



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

NATIONALBIBLIOTHEK  
IN WIEN

133035-B

ALT-








1295.1.

MORUM ET JURIS  
SCIENTIA  
UNIVERSALIS

CUM  
INTRODUCTIONE  
IN SCIENTIAS MORALES  
CONCINNATA  
OPERA ET STUDIO  
JOHANNIS FRIDERICI KREBSII.




NORIMBERGÆ  
*Impensis*  
JOHANNIS GEORGII ENDTERI  
*Typis KNORZIANIS.*  
ANNO CHRISTI M. DC. LXXXVI.


133035-B

# THE HISTORY OF THE CITY OF SILVER SPRING

BY  
JAMES W. WOOD  
OF THE  
CITY OF SILVER SPRING  
MARYLAND



Published by  
The City of Silver Spring  
Maryland  
1911



# PRÆFATIO.



**P**X quo, ita dirigente Numine, ad honestissimas saluberrimasque literas, non minus studio, quam doctrinâ propagandas, primùm quidem in Academia Jenensi, & deinceps in hoc Athenæo & Cœnobio ad fontes salubres, applicui animum, non tantùm id dedit operam, ut ad veritatis trutinam, quas-  
 cunque assertiones meas diligenter & accuratè expenderem, sed præcipuè in eo mihi etiam elaborandum esse censei, ut ingenuos istos homines, quibus meas invisere schôlas, meoque disciplinæ modo uti placuit, his imbuerem ac confirmarem sententiis, ut serio existiment, non discendum esse, ut ex cathedra duntaxat promptè differere ac respondere possint, sed ut animum perficiant, & exemplo vitæ ostendant, quod ad magnificentiora nati & instituti sint, vulgiquè errores ac voluptates multitudinis sublimi, sano & prudenti animo despiciant. Cum enim literarum studia potissimùm ad vitæ usum & ipsum hominis finem referenda esse judicem, adeo, ut eruditi homines non solùm facundiâ, rerum notitiâ, & ratiocinandi acumine, sed imprimis etiam virtute ac morum sanctitate, vivendiquè consiliâ & arte cognosci queant; nihil prius, nihil antiqui-



## Præfatio.

tiquius mihi fuit; quam ut commonefacerem discendi cupidos, ut vitæ rationibus studeant maturè, & quoad proficiant, moderatione suâ ostendant, ac sese sapere non citius existiment, quam benè constanterque ac congruè vivere inceperint. Quamvis vulgò sapientiæ studia cognitione & actione distinguantur, nulla tamen veræ ac solidæ scientiæ pars poterit afferri, quæ aded inanis & infrugifera sit, ut planè nullos probitatis stimulos in hominis animo excitare valeat. Morum verò & Juris scientiam, cujus adumbratam imaginem hoc ipso libello exhibere conamur, ad vitam emendandam per se dirigi, nemo diffitebitur. Quamobrem, inter alias disciplinas, hanc etiam Morum Magistram, præcipuâ curâ excolendam esse censui, & ad eam quadantenus exornandam studia mea contuli, potissimum disquirens, quò modò rectæ rationis semina in hominis animo adhuc reliqua excitari, ritè foveri, & in vivendi artes efflorescere possint. Ut verò rectam rationem diuturno & assiduo studio acquisitam, veluti Ducem vitæ, securius sequi liceat, divinas revelationes ubique adjungendas & consulendas esse duxi, quandoquidem quod his repugnat, pro rectæ rationis dictamine haberi nequit, & ingrati benignitatis divinæ æstimatores essemus, si hæc rationis perficiendæ subsidia temerè negligeremus. Quò doctrinæ modò scientias Morales comprehendere, & in quas partes commodè distribuere posse judicem, in introductione exposui, sed eâ lege, ut meas sententias nemini obtrudam, & si vel ipse mea repetens observavero, vel ex aliis fortè cognovero, quid emendari & rectius proponi debeat, meas retractare & formulas & opiniones nusquam recusabo, humanæ memor conditionis, cui nihil magis convenit, quam discere, corrigere & perficere, siquidem in hac rerum fragilitate nunquam licebit hominibus aliquid, assiduâ quamvis & anxîâ curâ, producere, quod absolutum sit, & nullâ sui parte laboret ac deficiat, ut ambitiosi hominis character sit, nihil velle in publicum emittere, nisi quod perfectum & plene

sit

## Præfatio.

lit exalciatum. Cæterum vix arbitror necessarium esse, prelorum mēda vel deprecari vel excusare prolixè. Quamvis enim iste sollicitudinis modus non sit adhibitus, quem Roberto Stephano tribuunt nonnulli, affirmantes, quod singula folia perlegenda hic illic per plateas certis locis affixerit, & præmium illis promiscuit, qui detexissent vitium, quâ ratione id consecutus est, ut Autores Stephanianis typis excusi ante alios laudentur; non minus tamen celebre est Endteorum nomen, nec ignobilius studium, quod literis propagandis impendunt. Ad hæc, cum ipse operi non possem invigilare, singularis scientiæ & virtutis Amicus, operam suam conjungebat, & providebat, ne quid typorum culpâ irrepât, quod sententiarum vim corrumpere nimium, aut lectores penitus impediret ac perturbaret. Omnino enim cavere, ut plane in nullis apicibus delinquatur, vix in multorum hominum mediocrem industriam & circumspectionem cadit. Nullum igitur dubium est, quin hoc bene merendi studium sese optimo cuique ultrò approbet, ac quoniam in eo versamur argumento, quod æquo & justo continetur, nulla causa erit, quamobrem iniquas extimescamus opiniones. Qui enim nullo recti & honesti amore ducuntur, ab his doctrinis abhorrebunt, ut omnem de illis disquirendi & judicandi laborem subterfugiant. Illi verò, qui virtutis studio incensi, ad cognoscendas & expendendas hujusmodi res accedunt, ad eò non immemores sunt bonitatis, ut etiam incautiùs dicta, in meliorem partem interpretentur. Heilsbronnæ Francorum d. 26. Febr. A. 1686.



# RERUM ET ARGUMEN- TORUM ORDO ET DISPOSITIO.

Introductio in Scientias Morales.

**LIBRI PRIMI**, exhibentis Scientia Morum & Juris  
subjectum, quod actiones humane constituunt,

CAP. I. De Natura Humanæ Actionis.

CAP. II. De Principio Actionum Humanarum Effe-  
ctivo.

CAP. III. De Imputatione Actionum Humanarum.

CAP. IV. De Actione Spontanea & Invita.

CAP. V. De Actionibus Mixtis.

CAP. VI. De Norma actionum Humanarum.

**LIBRI SECUNDI**, qui representat Subjecti, quod  
Actiones humane constituunt, Affectiones, **MORA-  
LEM BONITATEM & MORALEM MALI-  
TIAM**, nec non illa, que utramq; consequuntur,

CAP. I. De Moralitate Actionum Humanarum in  
communi.

CAP. II. De Morali Bonitate & Morali Malitia, aliisq;  
Moralitatis Divisionibus.

CAP. III. De Circumstantiis Moralibus, & quidem

I. De Natura Circumstantiarum Moralium  
in genere.

II. De Diversitate Circumstantiarum Mo-  
ralium.

III. De

- III. De Numero Circumstantiarum, earumque Quidditate.
- IV. De Circumstantiarum Principatu & Momento.
- CAP. IV. De Indifferentismo Morali, & quidem
  - I. De Natura actionum Indifferentium.
  - II. An omnes actiones Humanæ in se & sua natura indifferentes sint?
  - III. Num actiones Humanæ saltem quoad speciem, an verò etiam in Individuo indifferentes dentur?
- CAP. V. De illis, quæ actionem Moralem consequuntur generatim.
- CAP. VI. Quò Doctrinæ de Merito usus in S. Theologia ostenditur.
- CAP. VII. De illis, quæ actionem moraliter bonam consequuntur separatim.
- CAP. VIII. De illis, quæ actionem moraliter malam consequuntur seorsim.
- CAP. IX. De Pœnis in foro humano & divino.
- CAP. X. De inalarum actionum morali abolitione.
- CAP. XI. Quò Doctrinæ de morali abolitione usus in S. Theologia exhibetur.

**LIBRI TERTII, de Principiis Moralibus,**

- CAP. I. De principiorum moralium existentia.
- CAP. II. De moralium principiorum definitione.
- CAP. III. De moralium principiorum divisione.
- CAP. IV. De moralium principiorum subjecto.
- CAP. V. De moralium principiorum origine ac fundamento.
- CAP. VI. De præcipua moralium principiorum vi obligandi.
- CAP. VII. An principia moralia ex hominum consensu & moribus Gentium cognosci possint?

CAP.

CAP. VIII. De moralium principiorum immutabili-  
tate.

CAP. IX. De moralium principiorum æternitate.

CAP. X. De Ratione recta.

CAP. XI. De Conscientia.

CAP. XII. De Hominis Conscientia recta.

CAP. XIII. De Conscientia certa.

CAP. XIV. De Conscientia probabili.


CAP. XV. De Conscientia erronea.

CAP. XVI. De Conscientia dubia.

CAP. XVII. De Conscientia scrupulosa.



Q.D.B.V.



Q. D. B. V.  
INTRODUCTIO

In

MORALES SCIENTIAS.

§. 1.



orum & Juris Philosophia omni tempore affi-  
duo studio excolenda est, quoniam illa neglecta  
nulla societas finem suum consequi, neque  
quisquam officia sua facere & tranquillus esse  
poterit. Unde cum olim, sive propter magni-  
tudinem rerum occupationemque omnium,  
sive etiam, quod imperitis eam probari posse, non arbitra-  
bantur, morum Philosophiam literis non comprehende-  
rent Romanorum majores, vita tamen eam persecuti erant.  
Quod de suis hominibus testatur Cicero 4. lib. Tusc. *Qui  
cum cetera, inquit, literis mandarent, alii Jus civile, alii Orationes  
suas, alii monumenta Majorum, hanc amplissimam omnium artium  
bene vivendi disciplinam vita magis quam literis persecuti sunt.  
Itaque illius vere elegantisque Philosophiæ, quæ ducta à Socrate  
in Peripateticis adhuc permansit, & idem alio modo dicentibus Stoi-  
cis, cum Academici eorum controversias disceptarent, nulla ferè  
sunt, aut pauca admodum latina monumenta.*

§. 2. De Philosophis Græcis manifestum est, quod in  
morum Philosophia potissimum tradenda occupati fuerint.  
Socratem, Peripateticos, Stoicos, Academicos de formandis  
moderandisque hominum moribus imprimis fuisse solici-  
tos, cum ex illis adductis Tullii verbis, tum aliis locis mani-  
festum est. Præstanti sapientia & nobilitate Pythagoram

laudasse quotidie virtutem & vitia luxuriæ casusque civitatum ea peste perditarum enumerasse, Trógus Justinus memoriæ prodidit l. 20. c. 4. Quem non pœnitebit hoc loco legere ita commemorantem: *Post hæc Crotonicus fuit, nulla virtutis exercitatio, nulla armorum cura fuit. Oderant enim que infeliciter sumpserant; malissentque vitam luxuria, ni Pythagoras fuisset. Hic Sami Demarabo locupletis negotiatore natus, magnisque sapientiæ incrementis ornatus, Egyptum primo, mox Babyloniam ad perdiscendos siderum motus, originemque mundi spectandam profectus, summam scientiam consecutus erat. Inde regressus Cretam & Lacedæmonia, ad cognoscendas Minois & Elycurgi inclytas ea tempestate leges contenderat. Quibus omnibus instructus, Crotonam venit, populumque in luxuriam lapsum, austeritate sua ad usum frugalitatis revocavit. Laudabat quotidie virtutem; & vitia luxuriæ, casusque civitatum ea peste perditarum enumerabat; tantumque studium ad frugalitatem multitudinis provocavit, ut aliquos ex his luxuriatos incredibile videretur. Matronarum quoque separatam a viris doctrinam, & puerorum a parentibus frequenter habuit. Docebat nunc illas pudicitiam, & obsequia in viros; nunc hos modestiam, & literarum studium. Inter hæc velut genitricem virtutum frugalitatem omnibus ingerebat, consecutusque disputationum assiduitate erat, ut matronæ auratas vestes, cæteraque dignitatis suæ ornamenta, velut instrumenta luxuriæ deponerent, eaque omnia delata in Junonis eadem ipsi Deæ consecrarent, præ se ferentes, vera ornamenta matronarum pudicitiam, non vestes esse. In juventute quoque quantum profligatum sit, vidi scæminarum contumaces animi manifestant. Neque aliam ob causam Numam Regem Pythagoreum a posterioribus existimatum fuisse, quam quod ejus æquitatem & sapientiam, a Majoribus acceptam, cum Pythagoræ disciplina & institutis convenire, intelligerent, l. c. confirmat Cicero. Pythagoræ autem doctrinam longè lateque fluxisse, & in Romanam quoque civitatem permanavisse, itidem affirmat Tullius.*

§. 3. Inter cæteros populos, qui Græcis Barbari dicebantur

banur, moralis Philosophia studium non plane fuisse neglectum, inde videtur colligere quoniam Aristoteles librum *de moribus Barbarorum*, non solum conscripfit, quo Barbarorum, h. e. illorum populum, qui extra Græciam suas sedes habuerunt, mores & instituta recensuit. Quo labore haud dubie abstinuerit Philosophus, si nihil ex eo adjuvamenti ad morum scientiam illustrandam periret posse, ipsi exploratum fuisset. Quamvis temporum imperio hoc volumen ante multa secula perierit, ejus tamen faciunt mentionem Apollonius & Varro, nisi quod ante Turnebi emendationem in Varrone, pro Nomina, legebatur Nomina Barbarica. Præterea idem Aristoteles centum quinquaginta octo Regiminum vel Rerum publicarum descriptiones in unum librum redelegisse dicitur. Quod opus intelligit procul dubio, quando ipse memorat *ῥητορικὰς πολιτείας*, Respublicas congestas, ex quarum contemplatione & accuratiore placitorum & statutorum consideratione *ἡ ἀρετὴ ἀποβήσκει φιλοσοφίας*, h. e. Philosophiam, quæ ad res pertinet humanas, post Ethicæ ad Nicomachum absoluta, perficere instituit. Præceptoris institutum etiam discipulus tenuit Theophrastus. Luculentum testimonium de utroque perhibet Cicero l. 5. de finib. *Omnium serè, inquit, civitatum non Græciæ solum, sed etiam Barbariæ, ab Aristotele, Mores, Instituta, & Disciplinæ; à Theophrasto, Leges etiam cognovimus.* Ex Laertio de vitis constat; quod eodem consilio Dionysius Metathemenos librum *de Barbaricis ἔθουσιν* de moribus Barbaricis; Nymphodorus Amphipolites *de Νομίμας τῆς Ἀσίας* de moribus atque institutis Asiæ, quem *Νόμισμα Βαρβαρικὰ* seu Barbarorum ritus ac instituta nuncupari apud Clementem Alexandrinum existimat J. S. Seldenus; Anacharsis Scythæ Volumen de moribus atque institutis tam Scythiarum, quam Græcorum; Hecataeus opus de Ægyptiorum Philosophia, Theologiam & Jurisprudentiam illorum complectens conscripserint.

§. 4. In Barbarica Philosophia eminent Ebræi, quibus morum & Juris disciplina semper loco summo habita fuit,



eandemque magno studio sectati sunt Gentiles. ut non immerito Ebræorum Philosophia moralis Gentiliurum Archetypa credatur, & horum disciplina sit, veluti fax ab illo sole accensa. Etenim Pythagoram ab Ebræis indicisse, Judaico more circumcisum, atque Ezechielem Magistrum habuisse, ferè exploratum; Platonem eundem disciplinam cognovisse, facis manifestum. Aristotelem Judæis familiariter usum fuisse, pervagari videtur. Nam præter Jus proprium & Instituta Meritica habuerunt Judæi morum disciplinam, quæ illa exponebantur naturalis & universalis Juris officia, quibus omnes omnino homines obligarentur, quemadmodum omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum, jure utuntur. Cujus doctrinæ indoles non permittebat, ut hominem ullum aut populum ejus usu & notitia prohiberent. Qua de materia videatur in egregio libro de Jure naturæ & gentium juxta disciplinam Ebræorum Jo. Seldenus.

§. 5. Neque apparet, ob quam causam aliam, primitivæ Patres Ecclesiæ, nullum planè Philosophorum genus prorsus neglexerint, quam quod deprehenderent, nullam sectam fuisse adeo sterilem & absanam, ut nihil in ea traderetur, quod ad honestatem vitæ confirmandam & illustrandam non pertineret. Neque hæreses, fallacias & aberrationes omnino prætermiserunt, sed etiam has ad posteritatem propagarunt, non solum, ut dignosceretur ita rectius, quid rejiciendum & refellendum, conservandum & argumentis fulciendum esset, & putaminibus rejectis solæ nuces comederentur; sed etiam, quoniam ex erroribus & deceptionibus cum judicio diligenter animadversis & perpensis, multo tutior via ad veritatis arcem sterni munisque consuevit.

§. 6. Neque ulla Gens alia beator paulo & præstantior nominari poterit, quæ morum & Juris disciplinam abjecerit. De Chinensibus constat, quod Confucium, Philosophiæ suæ Principem sequantur ac colant studiosissime, qui anno ante Christum natum quingentesimo quinquagesimo primo natus, sed ætatis anno septuagesimo tertio è vita migravit

gravit, & in Schola, in qua docere consueverat, sepultus est, quæ hodie quidem muris veluti civitas cincta cernitur, & tantam sui admirationem reliquit, ut Magnus Magister, Illustrius Literarum Rex, Sanctus passim appelletur, & in omnibus oppidis urbibusque ipsi erectæ ac dicatæ aulæ reperiantur, ante quarum fores quotiescunque transeunt, qui è Literatorum ordine gerunt Magistratus, protinus è sublimi augustaque sella, in qua Gentis more gestantur, venerabundi descendant, & passus aliquot pedites incedentes viam suam prosequantur. Is omnem doctrinam suam eo retulisse fertur, ut naturam ignorantia tenebris offusam, vitiisque depravatam, revocaret ad pristinam lucem atque integritatem, cum qua à Coelo conditam fuisse assererat; ex quo deinde placida, benigna & æquarum administratio, adeoque felix & maximè placatus Imperii Status consequeretur. Inter præcepta ejus imprimis celebrantur illa, quibus voluit omnes obsequi Coelo, ipsumque timere ac colere; amare proximum, sicut seipsum; vincere se atque appetitus suos subdere rationi, nec quicquam agere, dicere vel etiam cogitare, quod ab hac esset alienum. Nihil verò voce vel scripto præcipiebat, quod non vita & moribus ipse primus exprimeret. Unde severus ac pervigil sui ipsius observator ac censor, contemptor opum honorumque, tantaque gravitate corporis & animi moderatione, fide, æquitate ac lenitate singulari eminebat, ut ex eruditorum ordine multi eorum, qui Religionem Christianam amplexi fuerunt, non dubiè assererent, sperari posse, Philosophum suum, siquidem vixisset ætate nostra, primum fuisse futurum, qui ad Christi doctrinam transfisset. Ut verò sententias suas propagaret felicius, non solum Scholas instituit, sed etiam varios gessit Magistratus. Quibus se tamen abdicavit, cum se sua spe excidere ac falli deprehenderet. Cum enim Mandarinum (quo nomine denotatur, qui publicas res inter Sinas administrat) ageret, tanta legum custodia, rerum & morum emendatio trimestri spatio consecuta est, ut jam vicini Reges æmulique Sinen-

sum incrementa metuerent, non ignari; Republicas vix ubi  
 la re alia felicius defendi & crescere, quam morum disciplina,  
 legumque sanctitate conservata. Finitimarum igitur pro-  
 vinciarum Rex & Optimates rebus Sinensium invidentes,  
 illis struere insidias annituntur, quas tamen occultare stu-  
 dent, & liberalitatem, amicitiae speciem, fingunt. Mittunt  
 enim Chinesium Regi dono, cavendi arte & gratia, forma  
 & aliis dotibus praestantes puellas. Hoc dolosum munus,  
 insidiarum securi, cum admitterent Chineses, adeo Rex &  
 Proceres deliciis capiebantur, ut totum trimestre illis indul-  
 gerent, publica negotia negligerent, & Regis adeundi ne-  
 mini facultas esset. Sed ferre talia recusans Confucius, re-  
 nunciat muneri, relinquit Aulam, & ad alia regna volunta-  
 rio exilio se recipit. Postea reversus indefessum & arden-  
 tissimum divulgandae per universum Imperium doctrinae  
 suae studium ad extremum vitae habitum non remisit, & tria  
 millia discipulorum numeravit. Vid. Sinarum Scientia Po-  
 litico-Moralis, quae in Augustissima Bibliotheca Caesarea Vin-  
 dobonensi adservatur, & Petri Lambecii Comment. Lib.  
 VII. Appendicem & additamentum secundum constituit.

§. 7. Cum igitur Morum & Juris Philosophia inter  
 omnes Gentes, quas benigniore vultu aspexit Jupiter, tan-  
 to studio expedita & aliunde accersita, conservata & exculta  
 fuerit; Christianis Scholis maxime dignum existimari de-  
 bet, ut in illis non remissioribus animis haec disciplina trada-  
 tur & excolatur, atque quoad fieri poterit, Divinarum reve-  
 lationum, Juris civilis & Naturalium Scientiarum ope ac  
 subsidio uberius perficiatur ac confirmetur.

§. 8. Divinas revelationes quod attinet, illae sane pluri-  
 mum ad illustrandam & confirmandam hanc morum & Ju-  
 ris Sapientiam conferre possunt. Etenim satis manife-  
 stum est, quod imago DEI primis hominibus insita & con-  
 creata, omnia dictamina rectae rationis complectatur. Atqui  
 Veteris & Novi Instrumenti Tabulae id sibi maxime habent  
 propositum, ut imaginis divinae naturam exponant, & qua  
 ratione

ratione in homine illa instituta sit, ostendant. Unde deprehendimus, passim ab Apostolo eadem commendari officia, diversique ordinis hominibus præscribi, quæ jure Naturali comprehenduntur, & pariter inculcantur. Nemo igitur dubitabit, quin revelationes divinæ ingens lumen moralibus scientiis affundant. Nec fortassis magnopere cepitaverit, qui asserere audebit, morum & Juris universalis scientiam tradere, adeoque Hominum officia Jure naturali præcepta, exponere, nihil aliud esse, quam Religionis Christianæ disciplinam, divinis literis propositam & inculcatam, concinnare, demptis saltem aut exceptis Mysteriis sanctissimis & omni rationi absconditis. Id perspexit haud dubiè quondam Illustris Dominus Johannes Christianus, Liber Baro de Boineburg. Is, prout erat erga omnis generis studiis propensissimâ & benignissimâ voluntate, & propterea viris doctis identidem singularia suggerebat argumenta, in quibus ingenia sua exercerent; ita Samueli Rachelio, Philosopho & Juris Consulto eximio, aliquoties significavit, se desiderare, qui ad imitationem Johannis Seldeni de jure naturæ juxta disciplinam Christianorum commentaretur. Extat equidem dissertatio præmissa Ethicis Jo. Cirelli, qua virtutis Ethnicorum, Hebræorum & Christianorum differentiâ proponitur, multisque argumentis ostenditur, tam superari Hebræorum virtutes à Christianis, quam illæ Gentilium virtutes superant. Enim verò existimat Rachelius, hoc sui quondam Mœcenatis desiderium, istius discriminis demonstratione non potuisse expleri, sed imprimis hoc illum voluisse, ut ex optimorum Theologorum & maxime Ecclesiæ Patrum scriptis ostenderetur, quid ipsi crediderint Juris esse naturalis, quibus argumentis quæque capita adstruxerint & illustraverint, quomodo illa disciplinæ Christianæ vel consentirent, vel hanc Jure Naturali præstare & præ illo multa eximia habere existimaverint. Quandoquidem autem hoc argumentum nemo feliciter tentare, nedum perficere tantum opus potest, nisi qui & Naturalis & Revelatæ religionis  
 Chri-

Christianæ exactam cognitionem sibi comparaverit, judice laudato Rachelio, Theologis sane hoc relinquendum est. Vid. ejus dissertationes de Jure Naturæ & Gentium §. 101.

§. 9. Quam idoneum verò jus Civile sit ad Juris Naturalis & Morum Philosophiam locupletandam & declarandam, novissimè docuit meritis & doctrina insignis Caspar Zieglerus. *Jus Civile*, inquit, *ut ex Veterum scriptis in unum corpus ab Imperatore Justiniano collectum fuit, tanta cum circumspeditione pleraque omnia proponit, Et tum intellectum hominis, tum voluntatem instruit, ut post Sacrum Codicem existis potius fontibus, quam ex hodiernorum Moralistarum libris petenda sit informatio conscientiarum.* Dum enim id, quod justum est, principaliter definire intendit, Et conscientie officium in hoc consistit, ut quasi præco aliquis justitiæ, homini suggerat, quid fieri vel non fieri in vita debeat, dubium non est, multum juvari conscientiam istam ex regulis Justitiæ, in jure civili præscriptis, præsertim cum illæ nihil aliud sint quam leges juris naturalis plenius, Et majori cum cura exculte. vid. ejus Dissertatio Justiniana de Clerico renitente.

§. 10. Quid hoc in loco valeant Scientiæ Naturales, jam olim demonstravit Latinæ Philosophiæ & Eloquentiæ Princeps verbis sequentibus: *Physicæ quoque non sine causa tributus idem est honor: propterea, quod qui convenienter naturæ videtur sit, ei Et proficiscendum est ab omni mundo, Et ab ejus procurratione, nec verò potest quisquam de bonis Et malis verè judicare, nisi omni cognita ratione naturæ Et vitæ, etiam Deorum, Et utrum conveniat, nec ne, natura hominis cum uni-versa, quæque sunt vetera præcepta sapientum, qui jubent tempori parere, Et sequi Deum, Et se noscere, Et nihil nimis. Hæc sine Physicis quam vim habeant (Et habent maximam) videre nemo potest, atque etiam ad justitiam colendam, ad tuendas amicitias, Et reliquas Charitates quid natura valeat, hæc una cognitio potest tradere, nec verò pietas ad-versus DEOS, nec quanta his gratia debetur, sine explicatione naturæ intelligi potest.* Ita differit Cato apud Ciceronem lib. 3. de finibus. Forfan eodem Consilio etiam Socrates naturalem & Mathematicam Philosophiam devocasse è Cælo, & in Urbibus

bus collocasse, & in domos etiam introduxisse legitur. Ita enim scribit Tullius: *Ab antiquâ philosophiâ usque ad Socratem, qui Archelaum Anaxagoræ discipulum audierat, numeri motusque tractabantur, & unde omnia orirentur, quo ve recederent: studiose ab his siderum magnitudines, intervalla, cursus inquirebantur & cuncta cœlestia: Socrates autem primus Philosophiam de vocavit de Cœlo, & in urbes collocavit, & in domos etiam introduxit, & cepit de vitâ & moribus rebusque bonis & malis querere.* Cic. lib. 5. Tusc. Quæst.

§. 11. Qui laudabilem in hac Morum & Juris Universalis Philosophia proponenda operam collocaverunt, illis non una docendi scribendique ratio probata fuit & adhibita. Nonnullis Dogmatica methodus magis placebat, qui genuina morum præcepta ex suis fontibus & principiis deduxerunt, & quæ facienda ac fugienda sint, demonstrarunt. Alii Gnomologicâ & Paræneticâ docendi ratione magis delectabantur, & pulcherrimis monitis & regulis ad recti honestique studium excitabant, neglectis fontibus & principiis. Quibusdam utile visum erat, characteres & certas notas colligere, quibus mores hominum intelligi, virtutes & vitia judicari queant. Reperitur etiam Paradigmatica methodus, quâ doctrinæ Morales illustribus exemplis declarantur, & quanta in virtute pulchritudo, in vitiis foeditas sit, velut in speculo ostenditur. Est etiam Mythicum quoddam & Poëticum genus, quô cum quâdam amœnitate, sub fabularum involucris, quid in vitâ sectari, & quid averfari debeamus, significatur.

§. 12. Neque omnes intra eosdem continentur terminos, siquidem alii laxiores, alii angustiores limites præferunt. In eo plerique omnes conveniunt, quod Morum Disciplina non ad contemplativam vel Theoreticam, sed ad Practicam Philosophiam pertineat. Utrum vero Practica Philosophia in Ethicam & Politicam tanquam partes, an verò diversas species dividenda sit, nec non Oeconomica sub Politicâ comprehendatur, an peculiarem ab utrâque di-

stinctam disciplinam constituat, argumentis verisimilibus in utramque partem speciosè disputatur. Aristotelem Ethicam & Politicam fecisse partes Philosophiæ Practicæ prorsus indubium est. Qui sequuntur Philosophi sententiam, illi primò existimant, leges Methodi Analyticæ non admittère, ut Philosophia Practica in Ethicam & Politicam, veluti specie diversas disciplinas, dividatur, quoniam felicitas & beatitudo non nisi in civitate & per civilia instituta potest acquiri. Deinde contendunt, respondere Ethicæ doctrinæ de sanitate & ægritudine illi, quam Medici instituunt, Politicam vero isti, quæ docet modum, sanitatis vel tuendæ vel restituendæ in integrum. Ex horum igitur & ipsius Aristotelis mente, in Ethicis agendum est de hominis summâ felicitate simpliciter; in Politicis, de adminiculis, quæ ad obtinendum summum illud bonum ex civitatis administratione & possunt & necessario debent proficisci.

§. 13. Illi vero, qui Politicam ab Ethica tanquam specie diversam disciplinam separant, superiori argumento primo contradicunt, & id potissimum urgent, quod felicitas humana à civili societate non nisi per accidens dependeat, utpote quam detur assequi, non quidem extra omnem societatem, (neque enim homini commodum est solitarium vivere) citra tamen societatem civilem. Id quod exemplo vitæ ab ipso DEO, primâ humani generis ætate, per domos duntaxat, absque civitate, institutæ, ostendere allaborant. Ad refellendam verò similitudinem Artis Medicæ cum Philosophia Practica, contendunt, illam de sanitate & morbis doctrinam non esse propriam Medicæ Arti, sed Naturali Philosophiæ, Medico acceptante in usum suum, quæ à Philosopho sunt demonstrata.

§. 14. Oeconomicam quod attinet, illam nonnulli sub Politica comprehendunt, quoniam illis persuasum est, personarum domesticarum naturam in priore Politices parte, officia vero in posteriore commodum invenire locum. Cæterum rem familiarem augendi conservandique præcepta solent

solent ad Artium systemata & disciplinas *partitias* ablegare. Quænam fuerit Aristotelis eâ de re opinio, subobscurum est. Circumfertur quidem Liber Oeconomicus ab ejus opere Politico separatus. Enimverò, utrum iste liber Aristotelem agnoscat Autorem, viri doctissimi dubitant. Id certè manifestum est, quod pars melior eorum, quæ in dicto libro Oeconomico invenias, accuratius & rectius in Aristotelicis Operibus Politicis exposita legantur. Unde proclive est conjicere, quod Aristoteles Oeconomiam pro parte Politicæ habuerit, forsan ideò, quoniam domus etiam pars civitatis haberi solet. Sed occurrit, quod etiam omnis generis Artifices partes civitatis sint, non tamen ad Politicam spectat, omnia præscribere ac definire, quæ ad Artes pertinent. Quemadmodum autem Politicæ incumbit, prospicere, rectè an perperam Artes in Civitate exercentur, id enim publicè refert plurimum; ita etiam concedunt, Politicæ esse, definire, num, quæ ad domesticæ societatis salutem requirit Oeconomica, sint in beatâ Republicâ observanda, nec ne? & si sint, num præter hæc etiam alia veniant in vitâ istâ domesticâ commodi publici ergo agenda, an non? præterea num in aliis omnibus Rebus publicis illa beatæ domus præcepta locum inveniant, nec ne? & quæ alia sunt hujusmodi ad Reipublicæ usum spectantia. Simpliciter tamen de felici domus statu, quis ille, quibusve mediis comparetur, tractare non Politicæ, sed Oeconomicæ esse disciplinæ contendunt. Neque inficiantur, domum esse civitatis partem. Id verò monent, quod non omnia eodem modo in partium numero ponantur. Alia ita partium loco habentur, ut à toto composito sejuncta perdant illicò omnem suam essentiam, cum sint naturâ suâ facta ad totius alicujus integritatem. De quibus verum est illud Aristotelis: *Pars non duntaxat alterius pars est, sed omnino alterius.* Alia quadantenus quidem producta sunt ad integrandum totum aliquod, quadantenus tamen, idque non leviter, ita se habent, ut solitaria etiam & separata vim naturæ suæ propriæ tueantur.



Ad posterioris generis partes societatem domesticam referunt, idque satis probari credunt primorum hominum vitâ, per domos duntaxat, absque civitate, nec infeliciter tamen, ipso quippe Autore DEO, institutâ. Et cum hinc appareat, domum non omni ex parte primò & per se ad civilem societatem pertinere, concludunt, nec omnem Oeconomicam Artém pro parte Politicæ habendam esse. vid. H. Conring. in Propolit. c. 5. Jac. Thomaf. in Phil. Praët.

§. 15. Latius disciplinæ hujus terminos prorogasse videntur, qui omiffâ illâ Moralis Philosophiæ partitione in Ethicam, Politicam & Oeconomicam, de Jure Belli & Pacis, de Jure Naturæ & Gentium, de Officiis Hominis & Civis commentati sunt. Quamvis disciplina Juris Naturalis cum Scientia Philosophiæ moralis, re plane sit eadem; negari tamen non potest, illos, qui hanc posteriorem viam ingressi sunt, atque Juris naturalis scientiam, juxta disciplinæ ordine, tradere allaboraverunt, multis locis has doctrinas locupletavisse. Inter Germanos eminent Samuel Pufendorfius, quo primo Interprete hæc disciplina in publicas cathedras ascendit, multis accessionibus amplificata, quod non solum Elementa Jurisprudentiæ, sed imprimis octolibri de Jure Naturæ & Gentium, duode Officio Hominis & Civis, abundè testantur. Ex Batavis effert caput Hugo Grotius, qui editis tribus libris de Jure Belli & Pacis Naturæ & Gentium Jus ita exposuit, ut ipso Pufendorfio Judice, non præter meritum palmam tulisse judicatus fuerit, siquidem primus seculum ad istam disciplinam æstimandam & excolendam evocavisse videtur, & tantâ industriâ in eâ versatus est, ut circa magnam ipsius partem cæteris nil nisi spicilegii laborem reliquerit. Quamvis non pauca sint ab ipso præterita, quædam levi duntaxat brachio tractata, nonnulla denique admista, quæ & ipsum hominem fuisse arguunt; medicinam tamen jam dudum adhibuerunt eruditissimi Viri, scriptis in illos libros notis & commentariis. Anglorum doctissimus Joannes Seldenus huic Doctrinæ manus quoque



expedit, Arctologiam adornare, cum præcipuis virtutum & vitiorum characteribus. Inprimis autem necessaria est Moralis Philosophiæ pars, quæ moderandorum affectuum rationes, justo disciplinæ ordine, demonstrat, & Pathologiæ moralis nomine appellari potest. Huic nostro instituto isthæc omnia inservire poterunt, quæ vel à Dogmaticis, Gnomologicis & Paræneticis, vel à Paradigmaticis, Mythicis & Poëticis Autoribus benè proposita deprehenduntur. Cæterùm sequemur Tullium, nullisque unius disciplinæ legibus adstricti, quibus in Philosophiâ necessario pareamus, quid sit in quâque re maximè probabile, ac simillimum veri, semper requiremus. Et quidni teneamus hoc institutum? Cum verissimè scripserit H. Grotius in de J. B. & P. Proleg. n. 42. *Inter Philosophos meritò Principem locum obtinet Aristoteles, seu tractandi ordinem, seu distinguendi acumen, seu rationum pondera consideres. Utinam tantum Principatus ille ab aliquot hinc seculis non in tyrannidem abiisset, ita ut veritas, cui Aristoteles fidelem navavit operam, nullâ jam re magis opprimatur, quam Aristotelis nomine. Ego & hic & alibi Veterum Christianorum sequor libertatem, qui in nullius Philosophorum sectam juraverant, non quod eis assentirentur, qui nihil percipi posse dicebant, quòd nihil est stultius; sed quod nullam esse sectam putarent, quæ omne verum vidisset, & nullam, quæ non aliquid ex vero. Itaque veritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam in corpus colligere, id verò existimabant nihil esse aliud, quam verè Christianam tradere disciplinam. Neque minus egregiè Johannes Henricus Boeclerus in præf. ad H. Grotium: Absint factionum nomina; quæ sine flagitio Reipublicæ noxionemo in literas infert. Et Conringius de Pace Civili: Sectæ studium morbus est, quâvis scabie insanabilior, quòd qui tenentur, cæci atque surdi reddi consueverunt. Atq; jam olim planè in sensum eundè Cicero: Philosophia nascatur latinis quidem literis ex æbis temporibus, eamq; nos adjuvamus, nosque ipsos redargui resellique patiamur. Quod si ferunt animo inique, qui certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti & consecrati sunt, eaque necessitate confriti, ut, etiam quæ non probare*

*bare soleant, ea cogantur constantia causâ defendere. Nos qui sequimur probabilia, nec ultra id, quod verisimile occurrerit, progredi possimus, & resellere sine pertinacia, & reselli sine iracundia parati sumus.* l. 2. Tusc.

§. 17. Cæterum evidens esse judicamus, quod hæc Morum & Juris Philosophia Scientiæ encomio debeat exornari, quoniam de subjecto suo affectiones per causas evidentes, veras & necessarias demonstrat. Sive enim complexum sive incomplexum demonstrationis subjectum statuas, scientiæ nomen tuebitur Philosophia moralis. Dantur enim in eâ conclusiones, quæ per veras & necessarias causas demonstrari possunt. Dantur etiam subjectum, quod sunt actiones humanæ; & affectiones, dum demonstratur, actiones vel honestas vel turpes, vel bonas vel malas esse. Dantur causæ veræ & necessariæ, quibus demonstratur, actionibus moralibus vel honestatem vel turpitudinem inesse.

§. 18. Non enim tantâ laborant incertitudine disciplinæ morales, ut omnis hic exulet *ἀπόδειξις*, uti quidem admodum multis visum fuit. Hoc ut satis expediamus, notandum est, quod demonstrare sit nihil aliud, quam causam reddere necessariæ connexionis subjecti & prædicati, seu, cur prædicatum subjecto competat necessario, nullò habitò respectu, subjectum sit necessarium an contingens, quod exemplis illarum demonstrationum, quæ omnium consensu sunt evidentissimæ, certum reddi potest. Deinde observandum est, quod disciplinæ morales partim ostendant actionum humanarum rectitudinem, partim quomodò actiones, cum propriæ, tum alienæ, ad securitatem & publicam utilitatem gubernandæ sint. Hæc Philosophiæ pars aliis Prudentia Civilis, quibusdam Ratio Status, nonnullis Statistica dici solet, de quâ non negamus, quod demonstrationum *ισχυρισμῶν* non admittat. Licet enim sua dogmata superstruat axiomatibus formatis ex dextra morum humanorum atque eventuum in rebus humanis observatione & collatione; sunt tamen primò ingenia humana valde lubrica & inconstantia.

stantia. Postea eventus rerum sæpernumero levi momento impulsæ in diversum cadunt. Deinceps humana perspicacia in applicatione illorum axiomatum seu aphorismorum propter improvidos casus, qui omnia repente turbant, frequenter fallitur. Tandem divina providentia, rerum humanarum moderatrix, a mortalibus etiam astutissimè disposita sæpè solet eludere. Quæ efficiunt, ut tanta certitudo hic sperari nequeat. Hinc etiam illi, qui in actu rerum versantur, consiliorum suorum eventum, postquam sagacissimâ circumspectione usi sunt, fatis concedunt. vid. Sam. Pufend, de J. N. & G. L. 1. c. 2. §. 4.

§. 19. Quod autem illam Philosophiæ Practicæ partem attinet, quæ de rectitudine humanarum actionum agit, illa utique Démonstrationes admittit. Nam præterquam quod incredibile videatur, hominibus certam scientiam esse denegatam circa ea, quæ ipso opere exprimenda per DEI auctoritatem injuncta sunt, cum alia firmiter liceat cognoscere, quæ impunè ignorantur; etiam lex naturalis, quæ conclusiones hujus disciplinæ nituntur, æterna & immutabilis est. Si autem principia necessariæ connexionis causæ sunt, ut posterius priori conveniat, quod sequitur, respondeat superiori, & aliud ex alio ita nectatur, ut si unum moveas, labent omnia, necesse sanè est, ut ipsæ conclusiones hoc modo illatæ; necessariam, certam & infallibilem habeant veritatem. Nec apparet, cur ipsa disciplina, quæ ex hujusmodi principiis & Conclusionibus est conflata, non æquè certa, h. e. demonstrativa, sed saltem probabilis esse debeat; Præclare Samuel Rachelius: *Hoc, inquit, cum plurimi, iique magni nominis Doctores, non satis sollicitè expendissent, sed deserto ore edixissent, rerum agendarum non dari scientiam, sed probabiliter solum de iis disputari, quid aliud nobis reliquerunt aut imprimere voluerunt, quam vitam omnem opinionibus regi, sicut nulla sint principia, ad quæ veluti normas actiones aut vitam indubitato componas. Ita verò docere, talemque doctrinam in actionibus sequi, nihil aliud foret, quam prostrigatam Cyclopi vitam re-vocare, quibus quodlibet licet*

*hæc & apud quos uidi, uideri audeo uidi, sequente unoquoque suam libidinem & opinionem.* Plura uid. in præfatione ad Philosophiæ Moralis Peripateticæ Studiosos, commentationibus Veterum Scholiastarum Græcorum præmissa. Add. H. Contr. in Propoliticis & Civili Prudentia. J. Contr. Dürrius in Exercitat. Problem. & Instit. Ethicis. Imprimis verò Erhardus Weigelius in Analyfi Aristotelis ex Euclide restitutâ hæc accurate persecutus est.

§. 20. Cum autem non sint unius generis scientiæ, sed Aristoteles VI. Metaph. c. I. eas distinguat in Theoreticas & Practicas; hæc morum & Juris scientia practica dicenda & habenda erit. Theoreticæ seu speculativæ scientiæ nominantur, quarum finis est veritas, sive, quæ ultimò sistuntur in cognitione veritatis, neque ulterius ad aliquam operationem tendunt. Practicæ appellantur, quarum finis est praxis, sive, quæ non sistuntur ultimo in cognitione veritatis, sed longiùs ad aliquam operationem tendunt.

§. 21. Utraque scientia, Speculativa & Practica, occupata est circa eruendam veritatem, certis comprehensam conclusionibus, quæ ex principiis certis & immotis deducuntur. Actibus verò & objectis distinguuntur. Sive enim objecti nomine veniant res ipsæ, in quibus versantur, sive conclusiones de rebus illis, ex principiis suis deducendæ, luculentum ex parte objecti adest discrimen. Si objecti nomine intelligantur res ipsæ, tunc discrimen in eo consistit, quod speculativa scientia versetur circa res, quæ sub nostram operationem non cadunt, qualis est Physica, Astronomia, Geographia: Practica vero scientia est, quæ occupatur in rebus, quæ sub nostram operationem cadunt. In talium rerum numero *virtus* habenda est, quæ dicente Aristotele II. Nicom. c. 2. *non queritur, ut sciamus, sed ut boni efficiamur.* Sin objecti nomine conclusiones significantur, tunc speculativa scientia versatur circa demonstrandas conclusiones de rebus extra nostram operationem positis, adeoque nihil præscribentibus, quid faciendum vel omittendum sit,

cum solius veritatis gratiâ cognoscantur. Præctica vero versatur circa confirmandas conclusiones de rebus, quæ sub nostram operationem cadunt, adeoque præscribunt, quid & quomodo agendum sit. Inde apparet, quod etiam actus utriusque sint diversi. Speculativa scientia in actibus simpliciter speculativis consistit: Præctica in actibus simpliciter practicis. Actus simpliciter speculativi appellantur, qui per se & naturâ suâ in nuda veritatis cognitione subsistunt. Practici sunt, qui per se & naturâ suâ in nuda veritatis cognitione non subsistunt, sed præscribunt etiam, quid agendum vel omittendum sit. Ipsa vero Praxis dicitur operatio præviis actibus intellectus directâ & præscripta.

§. 22. Jam, quia morum & Juris naturalis scientia versatur circa res, quæ sub nostram operationem cadunt, & de illis rebus demonstrat conclusiones, quæ nobis præscribunt, quid agendum vel omittendum sit, merito Præctica scientia dicenda erit. Huc accedit, quod etiam actus hujus scientiæ practici sint, quoniam in nuda veritatis cognitione non acquiescunt, sed à propositionibus cognitæ animus ad rem præsentem ipsamque operationem traducunt, quid & quomodo agendum sit, præscribunt. Cum autem ab objectis suis actus, ab actibus habitus determinentur, & suam specificam denominationem consequantur, nihil aliud relinquunt, quam ut asseramus, etiam hanc morum & Juris Universalis scientiam esse practicam.

§. 23. Equidem concedendum est, quod non exigua pars hujus Morum & Juris scientiæ in speculationibus consistat. Quando enim actionum humanarum naturam consideramus, actionum humanarum affectiones contemplamur in fundamentum moralitatis inquiritur, utique in meris speculationibus occupamur. Unde videri possit, quod hæc scientia speculativa sit, aut partim speculativa partim practica dicenda. Enim vero in speculationibus illis nequaquam subsistimus, nec veritate repertâ solemus acquiescere, sed omnes illæ speculationes ad operationes referuntur. Quamobrè hæc locò

locò repetendum est, duobus modis evenire, ut scientia suos actus dirigat & ordinet ad praxin vel operationem. Primo formaliter & directè, quatenus præcisè tales conclusiones ex aliis propositionibus & principiis deducit, quæ præcipiunt expressè, quid faciendum vel omittendum sit. Secundò indirectè ac virtualiter, quando ea, quæ veritati sunt consentanea & cognitu necessaria, eruuntur & considerantur, non solius cognitionis gratiâ, sed ut ex illis deducantur conclusiones, quæ diserte præscribunt, quid faciendum vel omittendum sit: Ut scientia tota & simpliciter practica dictatur, non necesse est, ut omnes & singulæ Propositiones & conclusiones directè ac formaliter sint practicæ, sed sufficit, ubi actus, propositiones & conclusiones virtualiter & indirectè tales fuerint. Quantumvis ergò in hac Morum & Juris Philosophiâ nonnulla occurrant, quæ formaliter nullam praxin continent, aut dirigunt, quia tamen non nudæ cognitionis causa traduntur, sed ad operationem referuntur, nihil obstat, quò minus practica scientia tota & simpliciter denominetur. Eadem in simili argumentò defendit B. Jo. Musæus in Introduct. in Theol. c. 2. n. 4. & c. 3. n. 5. ibidemque pro hac sententiâ Gregorium Ariminensem allegat & commendat.

§. 24. Quemadmodum autem scientia ex Demonstrationibus nascitur, & Demonstrationes ipsæ quoque certis subsidiis & principiis nituntur, quæ secundum Aristotelem i. post. Anal. 1. sunt vel Hypotheses, vel Axiomata vel Definitiones; ita in his moralibus scientiis, quæ pariter ex Demonstrationibus gignuntur, eadem principia sunt admittendâ. Proindè Definitiones passim requiri & afferri deprehendes. *Nam omnis, quæ à ratione suscipitur, de aliqua re institutio, debet à Definit. one proficisci: ut intelligatur, quid sit illa, de quò disputatur* Cic. L. 1. Officiorum. *Siquidem Definitio est quasi patefactio rerum operatarum, cum quid, quidque sit, aperitur.* Cic. l. 2. de Finibus. Inter Hypotheses primum locum tenet, esse Deum. Unde summum, præcipuum, & firmissimum omnis obligationis



tionis sepimentum, justitiæ & fidei vinculum petendum est. Quamvis autem notitia DEI naturalibus & evidentibus rationibus subnixâ sit; quia tamen non in morali Philosophia, sed vel in naturali Theologia vel Metaphysica vel Pneumatica id doceri consuevit, in hac disciplina, pro hypothesi haberi debet. Est autem ejus veritas planè indubia & summè necessaria, & demonstratio ad eò liquida & manifesta, ut eam nemo ignorare possit. Benè Lipsius: *Vide, inquit, rotundam illam uni-versi formam, vide connexionem inter se partium, vide varietatem, & super omnia magnitudinem, & spatia infinita, nec oculis & mente vix finienda. Quis insistit & scrutatur, & non simul magnum, pulchrum, bonum auctorem bonorum sentit & admittit illabantem.* cent. 2. Ep. 26. Propterea permotus est Aristoteles, ut pœna coercendos esse assereret, qui Deum existere negarent. *Non oportet, inquit, omne problema, aut omnem thesin, in questionem vocare; sed eam, de qua dubitare quispiam possit egens rationis, non pœnæ, aut sensus. Nam qui ambigunt, utrum oporteat DEOS colere, & parentes diligere, nec ne, pœnâ: qui verbò dubitant, utrum nix sit alba, nec ne, sensu indigent.* Hæc hypothesi nituntur officia hominis erga Deum, quod nimirum summò amore ac cultu Deum prosequi, à blasphemia & perjuriò abstinere, legibus verò DEI naturalibus obedire debeamus. Quod obsequium *Pietas*, & quatenus ad eam conscientia se obligari peritescit, *Religio* dicitur. Proximum inter Hypotheses locum sibi vindicat Divina Providentia. Non enim fas est, nescio quam fortunæ temeritatem comminisci, aut quandam vim materiæ fingere, qua universum hoc & res imprimis humanæ dirigantur, cum eas divina gubernet ac temperet Providentia, & in convenientem finem dirigat. Quod nemo diffiteri aut in dubium vocare potest, quin unâ ipsum Deum esse ambigat & inficietur, atq; in simul omnem pietatem, honestatem & tranquillitatem aboleat. Præclare Cic. l. i. De Nat. Deorum: *Sunt Philosophi & fuerunt, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem Deos. Quorum si vera sententiâ est, quæ potest est Pietas quæ Sanctitas, quæ*  
*Re-*

*Relligio: hæc enim omnia iure ac caste tribuenda Deo. Numini ita sunt, si animad vertuntur ab his, & si est aliquid à Diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autē Dii neg. possunt nos iurare, nec volunt, nec curant omnino, nec, quid agamus, animad vertūt, nec est, quod ab his ad hominum vitam permanare possit; quid est, quod ullos Diis immortalibus cultus, honores preces adhibeamus? In specie autē fidei simulationi, sicut reliquæ virtutes, ita pietas inesse non potest, cum quâ sanctitatem & religionem tolli necesse est: quibus sublatis, perturbatio vite sequitur & magna confusio. Atq; baud scio, an pietate aduersus Deos sublata, fides etiam & societas humani generis, & una excellentissima virtus, Iustitia, tollatur. Ex hac hypothese multa & valde necessaria, imprimis verò illa innatescunt officia, quod à precationibus omnium negotiorum primordia capi, & ab iisdem faustæ progressionem omnium rerum expectari debeant, quoniam absque DEI ope & moderamine nihil ritè geri, nihil rectè administrati potest. Præterea inde patescit, quod nos acquiescere debeamus, quomocunque res eveniant, quoniam exitus non in nostra potestate est, sed à divinò arbitriò dependent. Iuvat ergo magno opere, imò incumbit nobis maximè, divini regiminis rationes diligentissime scrutari, ut ei conformiter nostra negotia conficiamus, tum, quod irritum est, quicquid contrariò modò suscipitur, tum, quod Deus rebus humanis rectissime ac saluberrimè consulit ac providet. Ad Hypotheses scientiarum Moraliū etiam pertinet Animæ immortalitas. Etenim uti cum divina essentia DEI Providentiæ conjuncta est, ita cum hac indissolubili nexu cohæret animæ immortalitas. Ea siquidem rerum humanarum facies & conditio passim deprehenditur, ut si cum corpore penitus homo extingueretur, vix sibi constare posset divina providentia. Propterea scribit Claudianus;*

*Sed cum res hominum tantâ caligine volvi  
 Adspicerem, lætosque diu florenter nocentes  
 vexariq; pios: rursus labefacta cadebat  
 Relligio, causæq; viam non sponte sequebar  
 Alterius, vacuò qui currere semina motu  
 Adfirmat, magnumq; novas per inane figuras*

For-

*Fortunâ, non arte regi: quæ Numina sensu  
ambiguâ, vel nulla putat, vel nescia nostri.*

Sed animæ immortalitas divinam providentiâ, egregiè defendit atque dilucidè significat, eam non ex hujus vitæ scenâ æstimandam esse, quandoquidem in alterum seculum differri solent & tum abundè pensari possunt, quæ in hoc ævo videntur intermissa, vel impune commissa. Pröbündè animæ immortalitas, quæ alibi planissimè demonstratur, in moralî Philosophiâ supponi & diligentissimè inculcari debet. Si enim permettererur, ut homines sibi persuaderent, animas suas post mortem extingui, de vi & efficacîâ obligationum naturalium & officiorum debitorum non parum decederet. Profectò vix sperare liceret, justî & iniqui, Honestorum & turpium discrimina sancta & illibata conservari posse, si illa opinio animos hominum invaderet, post hanc vitam nihil superstes futurum esse. Quodsi enim post mortem nihil sensus, adeoque nihil expavescendum est, quid impediet, quò minus robustior quisque ac validior, cui satis præsidia in suâ nequitia & potentia positum videretur, audeat & committat omnia, misceat & turbet universa. Unde permultum refert, ad Pacem & sanctitatem legum custodiendam, ut animæ immortalitatem subindè inculcemus, ac constantè tueamur.

§. 25. Post illas Hypotheses, de hominis fine satis exactè constare debet, eundemque ob oculos semper positum habere oportet. Necessè autem est, ut hominis finem in ejus assimilatione cum Deo consistere afferamus, ut tunc demum homo suam *in Divinitate* seu felicitatem consequatur, quando Ipsius voluntas, quoad fieri potest, cum divinâ voluntate legibus patè factâ, convenit. Cum enim solus Deus sit bonum stabile ac firmum permansurum, quod ad explendum infinitum hominis desiderium sufficiat, fieri non potest, ut ullò modò aliò nostram beatitudinem consequamur, quam si nostrarum actionum principium, quod est voluntas, cum divinâ voluntate, naturalibus legibus expressâ, conformemus, & ita cum DEO jungamur, eodemque fruamur *tu-  
ti, læ*

liberati & quieti, ac semper tranquillis. Cætera bona, hominis felicitatem efficiere non posse, inde satis manifestum est, quoniam ad ea sunt fragilia & caduca, ut illorum perpetuitati nunquam non diffidere cogamur. Ex quo efficitur, ut semper timeamus, ne aliquando illis amissis evadamus miseri. Sed in maximarum rerum timore, ac diffidentia, neminem beatum esse posse, satis manifestum est.

§. 26. Ad hunc finem obtinendum, multis & diversis mediis & subsidiis homo instructus est. Pollet intellectu ac voluntate, cum libertate conjuncta; invitatur naturali quodam stimulo ad societatis studium, in quem usum sermonem articulatum adhibere idoneus est, & ut aliorum animos sibi conciliet, vitamque reddat jucundiores; multarum rerum abundans copia, non minore laborat indigentia. Ne vero sua libertate, qua gaudet, in suum detrimentum abutatur, eandem legibus naturalibus Deus circumscripsit, ut non quibuslibet actionibus affvescat, sed illis duntaxat sese applicet, ac tradat unice, quibus divinæ voluntati conformatur. Tunc autem cum divinâ nostra voluntas convenit, & illa cum Deo *ἁρμοζομένη* atque *παρασκευασμένη* hominis acquiritur, quando DEO, nobis & aliis præstamus, quæ nobis legibus naturalibus præcepta sunt, & vitamus contraria. Jam quidem, postquam hominis præcipuæ dotes sunt deperditæ, & vires primùm insitæ, mirum in modum debilitatæ, in hæc rerum humanarum fragilitate, nostræ actiones ad illam felicitatem comparandam non sufficiunt, sed præcipuum perfectionis nostræ præsidium, viâ patefaciente disciplinâ Christianâ, quærendum est in Dei benignitate ineffabili, quæ fieri permittit, ut aliena nobis justitia imputetur, & hoc modo *ἡμῶν κατάκριμα* relinquatur.

§. 27. Illæ actiones, per quas finis noster acquiri debet, quatenus cum legibus naturalibus conveniunt, bonæ & justæ dicuntur; quatenus autem spectantur, ut sunt perfectiones animi humani, actiones virtutum appellantur. Qui hominum officia describunt, illi legum naturalium præcipue rationem habent, & ad easdem, tanquam normam & regulam moralitatis, actiones humanas, in quocunque statu, & societate, revocare solent. A quibus illi, qui de virtutibus commentati sunt, requidem non discrepant, ad animum tamen potissimum respiciunt, quatenus ille prom-

præparatus est, ad illa facienda officia, quæ legibus naturalibus sunt præscripta. Nam illa perfectio & promptitudo, quæ efficit, ut animus facillè ac expeditè agat, quæ leges naturales requirunt, virtutis nomine appellatur. Hòc posteriori modò philosophiam moralem tradere aggressus est Aristoteles, sed iudice Samuele Rachelio, aliàs egregiò Sæctatore Peripateticæ Disciplinæ, specialem doctrinam de virtutibus, non satis persecutus est, quæ tamèn ex aliis, præsertim Thomæ secunda secundæ, Platonis Libris de Legibus, Ciceronis de officiis, Digestorum libris & multis aliis veteribus & recentioribus Scriptoribus suppleri & exornari possunt. Vid. Rach. de Jure Nat. & Introd. in Nic. Arist.

§. 28. Tanta autem est moralium demonstrationum & scientiarum evidèntia, certitudo & necessitas, ut vix appareat, quò pacto Mathematicis demonstrationibus concedere debeant. Primum enim etiam morales demonstrationes factis debent exprimi, prorsus ut in Mathematicis disciplinis, post theoremata proponuntur problemata, quæ id jubent effici, quod erat demonstratum. Deinde sive spectes Hypotheses supra expositas, sive axiomata seu principia consideres, quæ legibus naturalibus comprehenduntur; sive propositionum ex hypothelibus & principiis deductarum nexum expendas, tantam firmitatem utrobique invenies, ut profiteri cogaris, nihil deesse illorum omnium, quæ ad exactissimas demonstrationes requiruntur. Necessarium quidem est, atque exactissimam demonstratione concluditur, Triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales. Sed non minor est necessitas, quâ tenemur ad illa facienda officia, quæ legibus naturalibus nobis injunguntur. Neque minus exactæ sunt demonstrationes, quibus omnium officiorum naturalis obligatio concluditur. Proinde pariter, ut Mathematicæ, etiam Morales Demonstrationes exactæ, necessariæ & evidentes judicandæ sunt. Quod autem nonnulli asseruerunt, in solis Disciplinis Mathematicis earumque duntaxat iis, quæ puræ vocantur, reperiri omnibus numeris absolutam scientiam omnique vacantem exceptione, illi hæc potissimum ratione in hanc sententiam adducti fuerunt, quoniam illæ solæ disciplinæ occupantur circa objectum, quod tanquam abstractum ab omni materialitate, h. e. omni vicissitudine, consideretur, adeoque aliis atque aliis circumstantiis non est obnoxium. Enim verò ad Demonstrationes nihil refert, quomodo abstractum sit subjectum, utrum vicissitudinibus obnoxium sit, nec ne? quandoquidem in Demonstratione unice respiciendum est ad prædicatum, an illud necessariò in sit subjecto, & quamobrem aliter se habere nequeat. Quantumvis contingat, esse hominem, idemque multis & variis vicissitudinibus obnoxius sit, illud tamen non impedit, quò minus illi multa competant necessariò, idemque ad omnia Civis & hominis officia efficacissimè obligetur. Unde conficitur, pariter exactis in Morali, quàm in Mathematica Philosophia, Demonstrationes reperiri. MO.



MORUM ET JURIS  
SCIENTIÆ  
UNIVERSALIS  
LIBER PRIMUS

EXHIBENS EJUSDEM DISCIPLINÆ  
SUBJECTUM

QUOD ACTIONES HUMANÆ  
CONSTITUUNT.

CAPUT PRIMUM

DE

NATURA HUMANÆ ACTIONIS.

§. 1.

**N**aturam Actionum Humanarum, & quæ connectuntur cum illis, tradituri, omni commentatione prolixiori super- sedere possemus, si ea vocabulorum virtus esset, ut quàm primum animo percipiuntur, mox genuinam promerent sententiam. Nunc vero quoniam vel penuriâ vocabulo- rum, vel hominum genio deventum est eò, ut nonnun- quam plùs, interdum minùs, frequenter etiã planè aliud significari credatur, quàm voluerunt illi exprimere, qui nota licet & trita adhibuerunt vocabula, non utile duntaxat & necessarium est, vocum li- mites accuratè describere, sed etiã persæpè philosophari & sublimiores proponere doctrinas, nihil aliud est, quàm veros & genuinòs verborum significatus justâ interpretatione exponere.

§. 2. Quod ad humanas pertinet actiones, facile foret, eam percipere sententiam, quam inculcare cupimus, si horum vocabulorum nullus esset alius usus, nec aliâ ratione caperentur alibi. Ista verò diversitas necessi-

A

tatem

tatem imponit, definire atque circumscribere voces, ut errorum generix ambiguitas evitetur.

§. 3. Legum Civilium Conditores actionis vocabulum pro Jure usurpant. Sic Institutionum Imperialium Libr. 1. tit. 2. dicitur: *Omne jus quo utimur, vel ad Personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.* Quod evidentiùs constat è Libr. 4. tit. 6. ubi *actio dicitur esse nihil aliud, quam jus persequendi in judicio, quod sibi debetur.* Additur mox ibidem actionum divisio: *Omnium actionum, quibus inter aliquos apud judices Arbitrosve de quacunque re queritur, summa divisio in duo genera diducitur; aut enim in rem sunt, aut in Personam.* Quem loquendi modum etiam Philosophi, vel Sapientiæ Doctores nonnunquam imitantur, ut quando disquirunt: *An adversus Ingratum detur Actio?* quod J. H. Boeckerum peculiari dissertatione ad Commentationem Grotianam fecisse, manifestum est.

§. 4. Hoc verò in loco, atque in hac morali scientiæ parte, longè latior est vocis ambitus, ut actio sit omnis motus, qui proficiscitur ab homine, quatenus libertate physicâ gaudet. Ubi tamen motus in eâ est accipiendus amplitudine, ut etiam motus exercitium omissum, quod suscipi debuerat, complectatur. Non minus enim illi, qui intermittunt, quod non debebant intermittere, quam qui faciunt, quod debent, vel peccant, quod non debent, agere dicuntur. Quod vulgò actuum positivorum & negativorum, vel privativorum nominibus indigitari consuevit. Quicquid ergò committitur vel omittitur, actio humana dicitur, si ab homine proficiscitur, quatenus physicâ pollet libertate.

§. 5. Solent aliàs multa, pro diversitate facultatum, quibus instructus est, ab homine, fieri & provenire. Quemadmodum enim homo veluti compendium est naturæ universæ, ut omnes potentiæ & vires, quæ per omnia naturæ opera dispersæ sunt, in ipso solo & uno reperiantur conjunctæ; ita neutra illarum otiosa est, sed manifestis se produnt indicis & operationibus. Siquidem in eo vitales seu vegetantes, animales seu sentientes & rationales potentiæ, quibus antecedit corpora & quævis animalia aliâ, deprehendimus, quarum quælibet peculiaribus gaudet functionibus. Quæ nunc à vitalibus & animalibus potentiis proveniunt actiones, ut crescere & nutrire, audire atque videre, non humanæ sed naturales operationes sunt, quoniam eas non ut libertate physicâ pollet, sed ex naturæ necessitate exercet, illarumque comparatione homo agens naturale, non morale vel humanum appellatur.

§. 6. Inde manifestum est, quod actiones humanæ dicantur non ab homine, tanquam subjecto vel objecto actionum, neque à virtute homiletica, humanitate, sed à principio effectivo, quod in homine est. Sicuti autem porrò principium est vel quod, vel quo; ita principium actionum huma-

humanarum quod, est ipse homo, principium quo, sunt potentia: rationales, quæ hominem formaliter constituunt.

§. 7. Rationales potentia:, vel ob realem distinctionem, vel ob diversitatem connotatorum, in Voluntatem & Intellectum dividuntur. Quibus supervenit Libertas, vel Liberum Arbitrium, tanquam distinctum accidens, minimè verò ipsam intellectus & voluntatis essentiam formaliter includit. Equidem Victorinus Strigelius, famosissimus ille Sophista, in Colloquio Vinariensi, presentibus Principibus, horum Consulariis, & multis aliis hominibus, aliquoties inculcavit & repetiit hanc suam assertionem, quod *liberum arbitrium sit ipsa substantia intellectus & voluntatis cum proprietate sive modo agendi à substantiâ inseparabili conjuncta*. Quæ Propositio, sæpius à Strigelio allata, Flacio Illyrico vehementer imposuit, siquidem adversus eam ne mutire quidem ausus fuit. Serpulum quoque iniecit ejusdem Collegæ, D. Simoni Musæo, quem non solum in actu disputationis Vinariensis, sed etiam aliquot annos post adeo torfit, ut neque Strigelio contradiceret, neque Flacio assisteret, eumque corrigeret, sed ipse aliquamdiu suspensum animum teneret. Horrebat enim in hæc quidem tum agitata controversiâ, Substantiæ & Accidentis nomen, veritus, ne illò DEUM Optimum Maximum peccati Auctorem faceret; hoc verò peccatum Originis, extenuaret, Liberum Arbitrium extolleret, & vim illam, consentiendi gratia (quam Synergistæ proprietatem intellectus & voluntatis, modumque agendi vocabant) ei imprudenter tribueret. Ipsi verò Flacio tantæ fraudi fuit hæc assertio, ut non postremum locum teneat inter rationes, quibus se induci passus est, ut assereret, peccatum Originis esse ipsum hominis intellectum & voluntatem. Est enim altera ejus *Propositio*, quæ in formam Syllogisticam redacta ita sese habet. Liberum Arbitrium est ipsamet anima rationalis. Liberum Arbitrium est ipsum peccatum Originis, E. peccatum Originis est ipsamet intellectus & voluntas, seu est ipsa anima rationalis. Quod sanè portentosum dogma est, & merito explosum. Vid. Flacius in Tract. de pecc. Orig. adde B. Jo. Musæi examen istius libelli, cum præfatione in Glav. scripturæ.

§. 8. Cum autem jam in naturâ humanarum actionum declarandâ verlemur, quæ libertate solent maxime æstimari, multum sanè interest, accuratè intelligere quænam Libertatis in homine sit ratio. Potest igitur Libertas vel Liberum Arbitrium duplici modo considerari, formaliter & materialiter. Formaliter accepta Libertas nihil aliud significat, quam certam facultatem vel vires animæ, quib⁹ homo idoneus redditur, ut possit agere & non agere, sive bonè sive malè, hoc & illud, hoc & illo modo agere. Ut adeo appareat, Libertatem nihil aliud esse, quam indifferentiam ad utrumlibet Oppositorum. Cujus vulgò duæ species constituuntur, altera dicitur



Libertas speciei, altera Libertas Exercitii. Hæc appellatur indifferentia ad exercitium & omissionem ejusdem actus, secundum quam quis potest agere & non agere. Unde Libertas contradictionis dicitur. Illa vocatur indifferentia ad plures actus specie diversos, vel etiam contrarios, secundum quam quis ex duobus aut pluribus potest hoc & illud, hōc & illō modō agere. Unde Libertas Contrarietatis nominatur. Utraque Libertas egregie illustratur Ecclesiast. XV. 14. ubi hæc verba continentur. *DEUS ab initio constituit hominem; & reliquit illum in manu consilii sui* (quibus Libertas in genere significatur) *Adjecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te.* (his libertas contradictionis denotatur, quod homo possit servare mandata, & non servare) *Apposuit tibi aquam & ignem; ad quod volueris, porrigere manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi* (Ita libertas Contrarietatis exprimitur, quod homo possit bonum & malum, aquam & ignem, vitam & mortem eligere) Materialiter sumpta Libertas, denotat subjectum, cui vires agendi & non agendi bonum vel malum insunt, significatque illam ipsam rem, cui Libertas convenit. Si hoc sensu posteriori à Victorino Strigellio in memorato Vinariensi Colloquio, & à Flacio Illyrico in adducti argumenti Propositione Majori accipitur Libertas, concedi potest, quod complectatur voluntatem, cum connotatō intellectu, cujus prævia cognitio ad liberè agendum requiritur. Sed minor in argumento Flacii est falsissima. Sin priori modo sumitur Libertas, uterque fallitur. Etenim Libertas formaliter accepta pro viribus agendi sive bonum sive malum, non est ipse intellectus & voluntas, neque ipsa rationalis anima, sed superveniens quædam facultas, initio quidem, dum erat condita, prorsus sana & perfecta, siquidem potissimam imaginis divinæ partem constituebat, & in viribus agendi, quæ bona & recta sunt, fugiendi verò, quæ mala sunt, consistebat. Postquam verò lapsi sunt primi homines, hæc facultas insimul corrupta est, non tamen ipsum intellectum & voluntatem, neque animam rationalem constituit, sed denotat quandam adhuc residuam perfectionem cognoscendi & agendi ea, quæ sensibus & rationi sunt obvia, & satis manifesta, à diva, vel verò partim bonam; partim malè agendo contractam ad cognoscenda & agenda ea, quæ sunt Spiritus DEI, vel merè spiritualia, cum viribus pessimis ad agendum malum, connatis pariter & acquisitis, conjunctam. Hanc esse in homine liberi Arbitrii conditionem, & quotidie in hac fragilitate mortalium experimur, & Sacris Literis dilucidè docemur.

§. 9. Hæc Libertas, quam in homine adhuc supersitem esse, in rebus scilicet naturæ notis, asserimus, omnem internam & naturalem necessitatem excludit, qualem in animalibus ratione carentibus deprehendimus.

mus. Siquidem brutum esuriens, v. g. Canis non liberè ad offam accurret, sed internâ & naturali necessitate ad illam fertur, ut in ejus potestate non sit positum, abstinere. Homo autem, quantumvis haud leviter fame urgeatur, in ejus tamen potestate situm est, cohibere manum, ne cibum capiat. Unde homo liberè ad edendum se applicat, brutum verò naturali impetu, quem moderari nescit, in præsentem escam impellitur. Plus igitur significat Libertas, quæ naturalem necessitatem excludit, quàm illæ Libertatis notiones denotant, quæ servituti & violentiæ apponuntur, cum illa duntaxat subjectionem vel dominium neget; hæc verò saltem vim & coactionem removeat, & brutis etiam competat, quæ non omnia coactè, sed multa spontè faciunt.

§. 10. Actionem humanam diximus ab homine proficisci, quatenus Physicâ pollet libertate. Nam datur etiam Moralís Libertas, cui moralis Necessitas opponitur. Physicâ Libertas dicitur, quâ quis indifferens est ad aliquid, non ex rationis præscripto, sed prout naturæ secundum se conveniens est, vel non est, de notatque vim quamlibet producendi aliud, sive bonû sive malû sit. Moralís Libertas significat agendi licentiam jure concessam, ut quo minus aliquis agat, nullis juribus vel legibus, nullæ culpæ & pœnæ periculo impediatur, sive vires ad agendum necessariæ adsint, sive minus. Hæc moralís Libertas Græcis ἐλευθερία, Latinis potestas potius, quàm potentia dicitur. Physicâ Libertas & Moralís neque semper conjunctæ neque semper separatæ sunt. Frequenter solet evenire, ut multi agant; quod non licet: contra verò alii, etiam quando jure permissum est, se defendere nequeant. Contingit tamen, ut quæ jure concessa sunt, etiam facere possimus. Moralís autem Physicam Libertatem præsupponit, & cum hæc in indifferentiâ ad agendum simpliciter consistat, præcisâ justî & injusti ratione, illa hoc superaddat, ut quatenus utrumque ex æquo licet, neutrum injustum esse significetur. Quamquam interdum usu venit, ut alterum oppositorum sit laudabilius, vel magis expediat, quàm alterum. Moralís Necessitas dicitur, quâ quis ad alterum oppositorum ita obligatur, ut si secus faciat, peccato & pœnæ fiat obnoxius. Add. B. Pet. Mus. Met. Inst. c. 5.

§. 11. Licet suprà solius libertatis physicæ, quæ in voluntate est, mentio facta sit, non tamen excluditur intellectus. Quod vel ex eo intellescit, quoniam Voluntas non potest ferri in ignotum vel incognitum, sed requiritur Intellectus actio, quæ representatur Voluntati objecti convenientiâ vel disconvenientiâ, bonitas vel malitia, & sic voluntatis actio, appetitio vel aversatio, excitetur. Deinde actio humana malitiæ & bonitatis, & inde resultantis meriti & demeriti capax est. Horum verò ratio absque scientiâ & libertate, formaliter vel interpretativè, consistere

nequit. Præterea, quò fieri possit electio, necesse est, ut contraria, vel saltem diversa inter se comparentur, id verò absque cognitione intellectus fieri nequit. Debet ergò non alterutra sed utraque potentia rationalis concurrere, ut actio humana propriè constituatur. Quemadmodum enim non alterutra sufficit, sed utraque potentia rationalis requiritur, ut homo perfectè & propriè absolvatur; ita etiam ad actionem propriè humanam constituendam, utramque potentiam rationalem concurrere, necesse est.

§. 12. Quando ad constitutionem actionis humanæ potentias rationales requirimus, nequaquam id exigimus, ut in substantia sit semper rationalis, sed sufficit, si quoad modum saltem operationis talis est. Quod ut satis percipiatur, juvat hic annotare, quod alia actio humana talis sit quoad substantiam tantum, quæ nimirum à potentiâ hominis propriâ proficiscitur, non tamen sit voluntariè. Alia est humana tantum quoad modum operandi, quæ quidem exercetur per potentiam homini cum aliis animalibus communem, ut tamen ad ejus productionem utraque facultas rationalis concurrat, ut ambulare ad locum destinatum. Alia denique humana est, & quoad substantiam, & quoad modum operandi, quæ scilicet ab utrâque potentiâ rationali, & illis solis provenit. Dux posteriores actiones propriè sunt humanæ, quia ad illas dux potentiæ hominis propriæ concurrunt. Prior verò, licet in substantia sit humana, absolute tamen & propriè humana non est. Ut enim actio sit absolute ac propriè humana, necesse est, ut utraque potentia rationalis concurrat, vel simultaneus utriusq; concursus requiritur, ut egregiè declarat Doctor Angelicus, Thomas Aquinas 1. 2. quæst. 1. art. 1. *Actionum quæ ab homine aguntur ille sole propriè dicuntur humane, quæ sunt propriè hominis, in quantum est homo. Differt autem homo ab irrationalibus creaturis in hoc, quòd est suorum actuum Dominus. Unde ille sole actiones vocantur propriè humane, quarum homo est Dominus. Est autem homo Dominus suorum actuum per rationem & voluntatem: unde Liberum arbitrium esse dicitur facultas Voluntatis & rationis. Ille ergo actiones propriè humane dicuntur quæ ex voluntate deliberatâ procedunt. Si quæ autem aliæ actiones homini conveniunt, possunt dici quidem hominis actiones, sed non propriè humane, cum non sint hominis in quantum est homo.*

§. 13. Inde per se consequitur, quod primus actus intellectus, vel prima cogitatio in quòvis negotiò, quoniam omnem voluntatis actum antecedit, non sit actio absolute & propriè humana, quamvis in substantia sit humana, vel potius humanitatem participet. Actio quippe absolute ac propriè humana, non ex alterutrâ, vel unâ saltem potentiâ rationali, sed ex utrâq; h. e. totâ hominis formalitate solet æstimari.

§. 14. Ex illis, quæ dicta sunt, describi potest actio humana: quod sit motus ab homine sciente ac volente productus.

§. 15. Di-

§. 15. Dividitur actio humana, quoad modum productionis, in elicitam & imperatam. Elicita est, quæ à Voluntate producitur, & in eadem recipitur, ut voluntatis actus. Imperata actio est, quæ ab aliâ quâdam hominis potentiâ, ad voluntatis imperium producitur, ut Contemplatio. Quamvis verò aliæ potentiæ, præter voluntatem, suas actiones ex se quoque eliciant, non tamen elicite dici consueverunt, sed imperatæ, quia imperio voluntatis sunt elicite h. e. imperatæ.

§. 16. Utraque actio, elicita & imperata rectè pro humanâ habetur. Concurrit enim ad utriusq; productionem utraque potentia rationalis. Voluntas enim præviâ Intellectûs cognitione atque disjudicatione, & in se elicit actum & per actum elicatum aliis potentiis actum imperat. Quando usu venit, ut potentiæ imperatæ in agendo impediuntur, id Voluntatis libero imperio nihil derogat, adeoq; non efficit, ut imperata actio non sit humana. Manet enim actio liberè imperata, quantumvis per potentias, propter objecta impedimenta externa, eò modo quò imperata est, produci non possit.

§. 17. Dicis: saltem aliquando actiones imperatas non esse humanas, quoniam Voluntas, quoad actus imperatos interdum cogi potest. At verò nunquam cogi potest voluntas, sive spectes actus elicitos sive imperatos. De actibus elicitis res in confesso. Imperati verò actus vel ad imperium Voluntatis à potentiâ inferiore eliciuntur, vel à principiò quòdam externò per vim cohibentur, vel impediuntur, & contra voluntatem, seu modò aliò, quàm Voluntas imperavit, exiguntur. Si prius voluntarii actus sunt, ut eâ ratione voluntas nequeat dici coacta. Si posterius: Ad Voluntatem non pertinet actio, quippè quam non imperavit, dicique non potest, quòd Voluntas cogatur, cum tales actus sint absolute inviti, h. e. involuntarii. *Tales vero actus hoc modo coacti, non magis merentur vocari, ceu bene arguit CL. Vir, Jac. Thomafius in Dilucidationibus Stahljanis, à voluntate imperati, quam v. g. filii à patribus violenter, dum in Academiam à Patre ablegatur, abrepti, iter in speluncam, vocati meretur iter à patre imperatam. Fuit quidem iter istud fuerit, sed non imperatum à patre. Similiter actio illa coactum membri corporei fuerit, sed non item à Voluntate imperata.* Vid. d. l. pag. 529. v. 34. Quicumque igitur voluntatem quoad actus imperatos cogi asserunt, Voluntati adscribunt, quod membrò famulanti debebant tribuere. Membra corporea horumq; potentiæ cogi, trahi, & impelli à facultate robustiori possunt pro lubitu; voluntas autem cogi nescit, cujus rei argumento vel illud esse potest, quòd complures omni ferè tempore reperti fuerint, qui nullis potuerunt tormentis per-moveri, ut secreta manifestare, vel religionem abnegare vellent.

§. 18. Hoc tamen discrimine imperatæ actiones ab elicitis distinguun-

guantur, quod elicite sint essentialiter liberæ, quibus etiam isthòc nomine humanitas propriè ac absolútè tribui potest. Imperatis verò libertas est extrinseca, & id propter eatenus saltem humanæ sunt, quatenus libertatem participare possunt.

§. 19. Ex respectu ad subjectum distinguitur actio humana in externam & internam. Actio interna dicitur, quæ est intra subjectum suum, aut quæ recipitur intra principium quod, vel quo, ut Amor, Ira. Item ratione Intellectus, Conscientia, Consultatio; ratione Voluntatis Electio & Volitio. Externa est, quæ subjectum suum egreditur, aut: quæ extra suum principium in alio subjecto recipitur, ut actus Munificentia. Alii eandem rem ferè sensu eodem tradunt, quando illis actio alia est, quæ circa objectum suum ita versatur, ut intrinsecè consummetur; alia verò ita, ut in extrinsecam prodeat, eaque mediante & circa objectum (quod hoc modo sensibile requiritur) occupetur & porro consummetur. Qui verò externam actionem describunt, quod in sensus incurrat; internam, quod non in sensus incurrat, à posteriore & extrinsecò petunt descriptiones.

§. 20. In hac Philosophiâ non minus actionum internarum quam externarum, elicitarum quam imperatarum ratio haberi solet. Ad Virum enim bonum nequaquam sufficit, ut externâ quâdam specie legibus saltem satisfaciatur, sed conformes etiam animi motus requiruntur, ut actio cum mente conspiret, non dissideat. Quò nos etiam Philosophia manuducere debet, atque tantò facilius potest, quantò magis eam Christiana perficit Religio. Huc accedit, quod *quamvis consideratione naturali actus, ejusmodi duo sint, quorum etiam alter ab altero, interior videlicet ab exteriori, se parari atque adeo sine eò esse possit: consideratione tamen morali unus sit actus, sive bonitas sive malitia interiori inherens exteriorem denominat. Quia proximum interioris objectum exterior est: & exteriori mediante interior circa objectum vel circa rem externam bene vel malè tractabilem versatur; ad quam ipsam dum sensibili operatione sese porrigit, moraliter perficitur, ejusque sive bonitas, sive malitia extensivè augetur, ut bene monet Georg. Calixt. in Epic. Theolog. moralis p. m. 41. Indè confirmari potest, quod scribit H. Grotius de J. B. & P. l. 2, c. 10. v. 18. Nimirum id, cogitationis pœnam neminem mereri, non ob stare, quo minus actus interni, quatenus in externos influunt, in estimationem veniant, non sui propriè sed actuum externorum, qui inde meriti sui accipiunt qualitatem.*

§§) 0: ( §§



CAPUT

## CAPUT SECUNDUM

DE

PRINCIPIO ACTIONUM HUMANARUM  
EFFECTIVO.

§. 1.



Tramque potentiam rationalem ad productionem actionis humanæ requiri, equidem manifestum est. In currèndi autem modò tanta deprehenditur diversitas, ut intellectui ultra vim conditionis necessariæ ferè nihil tribui possit, voluntati verò principii effectivi ratio unice vindicanda veniat. Si qui plura constituerunt actionis humanæ principia, vel eò nomine conciliari nobiscum poterunt, quod tantà in latitudine acceperint vocem, ut illud omne, sine quo actio humana produci non solet, principii notione indigitaverint. Quoniam verò in præsentì de principio effectivò quaeritur, una & sola voluntas ita in actionem influere videtur, ut nulla alia potentia, præter illam, hujusmodi principii effectivi mensuram implere, debeat existimari.

§. 2. Primò enim constat, quod in omni actione humanà involvatur aliqua libertas, quæ in solidum pendet à voluntate, non ab intellectu. Deinde sola voluntas est illud principium, quod reliquas potentias animæ, quoad actus exercitium, movere potest, ipsam verò nulla alia movet potentia, quoad exercitium actus, cum se ipsam movere soleat. Quod bene declarat Thomas 1. 2. qv. 9. Art. 3. in corpore. *Hòc modò, inquit se habet finis in appetibilibus sicut principium in intelligibilibus. Manifestum est autem, quod intellectus per hoc quod cognoscit principium, reducit seipsum de potentia in actum, quantum ad cognitionem conclusionum, & hòc modò movet seipsum: & similiter voluntas per hoc, quod vult finem, movet se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem.* Ubi verò actio humana producenda est, reliquis utitur potentiis voluntas, easdemque ad agendum movet, atque adeò dependet humana actio à voluntate tanquam principio effectivò. Nam, ut iterum docet Thomas l.c. art. 3. in corpore, *fines & perfectiones omnium aliarum potentiarum comprehenduntur sub objectò voluntatis, sicut quedam particularia bona; semper autem ars vel potentia, ad quam pertinet finis universalis, movet ad agendum artem vel potentiam, ad quam pertinet finis particularis sub illò universali comprehensur: sicut dux exercitus, qui intendit bonum commune, scilicet ordinem totius exercitus, movet suò imperiò aliquem ex tribunis, qui intendit*

B

ordines

*ordinem unius actei.* Licet autem voluntas ab intellectu moveatur, quoad specificationem, repræsentando objectum, consistant enim intellectus munia in notificandò & judicandò; illà tamen specificatione factà nondum ponitur actio, sed voluntati prorsus adhuc integrum est, actum elicere, imperare & non imperare. Ut adeò id relinquatur, solam voluntatè esse actionum humanarum principium effectivum.

§. 3. Concedimus quidem, quòd intellectus sit necessarius ad actionis humanæ productionem; est enim voluntas potentia cœca, quæ, quòd appetere debeat, ex se non videt, sed intellectus face & illuminatione indiget. Ast falsum est omne illud, quod ad rei productionem est necessarium, esse rei principium productivum seu effectivum, constat enim abundè, quòd alia necessitas sit conditionis, alia causæ seu principii effectivi. Sic intellectus actus requiritur necessariò ad actionis humanæ productionem, tanquam conditio prærequisita sive conditio sine quâ non, nequaquam verò ut causa seu principium effectivum.

§. 4. Nec est, cur intellectus imperium, quò producuntur actiones humanæ, opponatur. Nam ad imperium duo requiruntur. (1.) ostendere & præscribere quid fieri debeat (2.) impellere ad agendum, quorum illud prærequisiti; hoc formalis constitutivi rationem habet. Intellectus autem, quoniam est facultas cognoscitiva & judicativa, tantum ostendere & præscribere potest, quid fieri debeat; Vis autem impellendi, quæ formalem rationem imperii absolvit, propriè non convenit intellectui. Exponit quidem intellectus objecti bonitatem, & sic impellere dicitur, sed non est impulsus propriè sic dictus, qualis requiritur ad imperium. Id quod vel inde patescere potest, quia Consilarii ostendunt quidem Principi faciènda, eorumque bonitatem clarè & perspicuè exponunt & demonstrant, non verò imperant, cum imperium ad solum Principem pertineat.

§. 5. Dum ita voluntas, quoad actus exercitium, reliquis potentiis imperat, easdemque ad agendum movet, ipsam verò pariter nulla alia impellere potest, satis illustri documentò suam indifferentiam & libertatem demonstrat. Solet illa libertas describi per facultatem animæ rationalis per quam homo positus omnibus ad agendum requisitis, indifferens est ad opposita, tam contraria, quàm contradictoria.

§. 6. Haud quicquam tamen libertati vel indifferentiæ hominis derogatur, licet hominis voluntas in bonum in communi, vel etiam in quodvis bonum quâ tale, necessariò ferri dicatur. Cum enim in bonò in communi, vel etiam in quòvis bonò quâ tali, nihil deprehendat voluntas, quod aversetur vel refugiat, fieri aliter non potest, quam ut in illud bonum, tanquam eligibile & appetibile merè ac purè protinus

timus feratur, & evitari vero illud, & desertari nullo modo possit. Fieri quippe repugnat, ut potentia, quæ ad sui perfectionem pertinet, respiciat, quod vero ad sui destructionem, vel depravationem, idoneum est, amplectatur. Jam vero bonum, tanquam proprium objectum voluntatis, ad ejus conluminationem, & perfectionem spectat, malum vero ipsi summopere adversum & molestum est. Proinde illud evenire necesse est, ut voluntas bonum averſari & malum, prosequi nequeat, sed bonum necessario appetat, malum necessario fugiat. Cum autem, scribit Svarcius, *queritur: Si modus operandi liberè est perfectior, quam modus operandi necessario, cur voluntas illam essequitur in quibusdam actibus, & non in omnibus, & in minus perfectis, & non in perfectioribus?* dicendum est, operari liberè non semper & in omnibus esse melius quam operari necessario, sed regula perfectionis est, quod objectum ametur pro dignitate & capacitate ejus: ita, ut si objectum sit bonum summe ac summe necessarium, tota necessitate ametur, si vero sit objectum minus bonum, aut non necessarium, actus etiam circa illud sit sub dominio diligentis. Et hæc ratione DEUS diligit se necessario & alia liberè, cum tamen actus ejus sub omni ratione perfectissimus sit. Idem ergo dicendum est, servatâ proportionè in voluntate creatâ. Vid. ejus disp. Metaph. l. 9. sect. 8. n. 21. addatur n. 4. ejusdem sectionis, ubi difficultas Scoti excutitur.

§. 7. Bona enim particularia, quæcumque in hæc mortalium rerum fragilitate reperiuntur, si exactius rimamur & perpendimus, illud licet facile advertere, quod quandam incommoditatem & malignitatem admixtam habeant, vel saltem unum nobis magis, alterum minus conveniens, aliud magis idoneum, aliud minus, deprehendatur. Jam, quia voluntatem ad actus exercitium nulla alia potentia movere potest, ipsa in illud potius fertur, quod majorem bonitatem, vel veram vel apparentem habet, quodve magis est idoneum, relicto altero, quod minore bonitate pollet quodve minus idoneum est, quamvis & in hoc bonum, nisi alterum ad finem necessarium sit, ferri possit. Si vero bona darentur æqualis valoris & dignitatis, adeoque per omnia æqualiter eligibilia, illa inclinatio, quæ voluntas in hanc potius partem trahitur, quam ad alteram, expirat, & ranc voluntas ad utrumque bonum, & ad hoc, & ad illud, eligendum, maxime est indifferens. Quod egregie illustrat Svarcius Disp. Metaph. XIX. sect. VI. n. 13. *Hæc, inquit, est voluntatis libertas, ut unum, nimirum e mediis æqualibus, possit eligere, & aliud amittere. Quod si hoc non potest, non video, quomodo possit dici libera, sed revera id potest, quia ad hoc est libera, ut possit velle, quod bonum est, & non velle, quod necessarium non est. Estque illud exemplar hujus libertatis voluntas divina, que inter hæc materiam & aliam omnino æqualem & similem, & inter hos cælos, & alios omnino æquales (& si de aliis rebus) hoc elegit creare præ aliis: quod non potest referri in judicium in-*



æquale, quia neque ex parte ipsorum, neque ex parte DEI est aliqua visio, quæ possit fundari tale iudicium, quod verum sit: est ergo illa præelectio solùm ex determinatione liberæ divinæ voluntatis. Rursus etiam, quando objecta vel media iudicantur inæqualia, censeo probabilis non determinari voluntatem necessariò ad id, quod est melius ex vi iudicii: Probatur, quia hoc ipso, quod neutram proponitur ut necessarium, potest voluntas utrunque non amare: ergo etiam potest indifferenter amare quodlibet illorum prætermittit aliò: Et in divinis voluntate multis videtur hoc necessarium, quia potuit meliora facere, quam fecit & tamen noluit.

§. 8. Modus, quò in actiones humanas influit voluntas, est diversus. Directè dicitur influere, quando ipsam actionem expressò actu expedit, & ita segerit, ut illam se intendere manifestis prædat signis. Quemadmodum ille, qui per se aliquid patrat, & qui eonstitit, svasu, iussu, modo ve aliò ad agendum impellit alterum, & eum in finem subministrat media & instrumenta, atque removet, quæ prohibere & impedire possunt, quò minus fiat, satis demonstrat, quod intendat, cupiat, & desideret, illud fieri. Ubi vero huiusmodi deficient indicia, è quibus alterum ipsam actionem expectasse appareat, directè intentioni locum concedere, licet adesse possit, tutum tamen non est.

§. 9. Indirectè dicitur influere, quando quidem ipsam actionem expressò actu non expetit, imò abhorret atque aversatur, præviâ tamen intellectus cognitione, vel aliud volendo, vel intermittendo actum, ad eam aliquid confert, atque adeò perinde se gerit, ac si eam expeteret.

§. 10. Cujus influxus indirecti duo dantur modi. Alter est, quando quis aliquid vult, ex quò effectum sequi, non est ignotum; aut, à quò tenebatur abstinere, ne huiusmodi effectus sequeretur. Ut autem effectus cum actione necessarium habeat nexum, necesse non est, sed sufficit, ut plerumque, vel ut plurimum contingat. Neque requiritur, ut certò sciamus, effectum ex eò, quod agimus, sequi, dummodò non sit ignotum, periculù esse, ne sequatur. Proinde illi, qui hominibus rixandi inter pocula libidine famosis sese adjungunt compotatores, rixâ cum his committendany; qui probra in alios ingerunt, convitia in se retorta; qui æquales percussunt, sui repercussionem; qui duellò congregiuntur, sui vulnerationem; qui furantur, pœnam in fures lege constitutam; qui intemperanter, & contra Medicorum præscriptum sese gerunt, morbos, quibus temporis successu corripiuntur; ignorantiam scitu rerum necessariarum, qui crebrò inebriantur, aut aliis affectibus, quibus scientiam obrui & obliterari aliquòmodo norunt, frenos nimium laxant, indirectè censentur intendere. Idem iudicari debet de illis omnibus, qui aliorum moribus regendis præ-

seci

Recti sunt, & tamen indulgent libidini, studentque pravo vitæ generi, cum non ignorent, vel haud difficill coniecturâ possint assequi, suos mores in exemplum trahi, & alios ad nequitiam adductum iri. Similiter, si quis filium vel servum nullâ urgente necessitate mitteret peregre, sciret autem juxta cum gnarissimis, hostes in quosvis obvios sævire & grassari, filii vel servi mortem, si acciderit, indirectè in condiscipulo diceretur. Hinc nequam Paulus nullam illis culpam impingit, qui carne vescabantur, cum tamen non nescirent, quosdam infirmiores usu carnis offendere, & ad peccandum allidere. Cujusmodi ferè exemplis rem præsentem declarat B. P. Muzus in Metaph. & in Diss. ad Rom. V. 12. Alter modus est, quando quis effectum non vult, aut conatur impedire, quem potest & debet impedire. Sic Dux belli, qui hostis impetum non conatur reprimere, cladem & jacturam; Medicus, qui medicamentis non conatur efficere, ne ægrotus moriatur, mortem ægroti; nauta, qui navi neque adest, neque vigilat, naufragium indirectè existimantur intendere. Inde peti possunt, fundamenta quibus nituntur Ufucapio & Præscriptio. Nam is, qui Jus aliquod speciatim à summa Potestate seu expressè seu tacitè impetravit, eoque intra certum, & lege civili determinatum tempus non fuit usus, præsumitur eò uti nolle, eique renunciassè. Quemadmodum nempè is, qui tacet, aut patitur, consentire videtur: ita etiam is, qui aliquid non facit, vel facere intermittit, quod facere etiam in futurum præsumitur, adeoque suo jure non amplius uti velle judicatur. Quamvis non desint, qui ex voluntario interpretativò hæc deducant, vid. Jo. Schilterus in Manud. ad Jurispr. c. 4. §. 20.



## CAPUT TERTIUM

De

IMPUTATIONE ACTIONUM  
HUMANARUM.

§. 1.



Uti actionem intendit, siue præstet influxum physicum, siue non, causam tamen physicam principalem ad agendum impellit, siue directâ intentione, siue indirectâ id faciat, ille actionis causa moralis dicitur; cui & actio, & quæ sequuntur actionem, verè imputantur. Nam pènes quemcunque positum est, ut aliquid hoc vel modo aliò eveniat, ei merito illud adjudicatur. Tamen si accedat hæc fictio, ut is, qui non est causa physica effectus, perinde habeatur, ac si esset causa physica; quia tamen hæc interpretatio habet fundamentum, nimirum effectus intentionem directam vel indirectam, merito ei, tanquam causæ morali effectus imputatur. Bene Tertullianus: *Eos, qui operam suam sponte aliis communicant, idcirco eum auctoribus merita communicare, quoniam ministri & socii habent arbitrium ministrandi atque sociandi, & potestatem suæ voluntatis in utrumque, homines scilicet & ipsi.* Vid. de Refur. Carnis. Hòc fundamentò nititur Cic. Philipp. sec. quando ad conturbandum Antonium ita differit. *Tu, inquit, omnium stultissime, non intelligis, si id, quod me arguis, voluisse interfici Casarem, crimen sit, etiam letatum esse morte Cesaris; crimen esse? Quid enim interest inter suasorem facti & probatorem? aut quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum? equis est igitur, te exceptò, qui illum regnare gaudebas, qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbarit? omnes enim in culpâ, etenim omnes boni, quantum in ipsis fuit, Casarem occiderunt, aliis consilium, aliis animus, aliis occasio defuit: Voluntas nemini.*

§. 2. Quot vero modis ad causæ physicæ principalis effectum causa moralis concurrere possit, prolixum foret exponere. Non incongruè tamen diversissima illa habitudo causæ moralis ad causam physicam principalem, referri ac reduci potest ad influxum positivum & privativum. Positivum influxum exerit causa moralis, quando actu quòdam reali agit in causam physicam: Privativum verò influxum exercet, quando non agendò ita attingit causam physicam, ut ab hæc oriatur effectus, qui non fuisset futurus, si causa moralis agere non omisisset. Breviter: Committendo & omittendo causa moralis aliquid confert ad causæ physicæ effectum, ut hic ipsi imputetur. Exprimitur id vulgo sequentibus versiculis:

Iussio,

Justio, Consilium, consensus, palpo, recurtus,  
 Participans, mutus, non obftans, non manifestans.  
 Vel ut elegantiores habent :

Consulo, præcipio, consentio, provoçò, laudo,  
 Non retego culpam, non punio, non reprehendo,  
 Non obfto, sed præcipio & defendo aliena.

§. 3. H. Grotius ita differit: *Tenentur præter ipsum, qui per se & sua  
 damnum dat, alii quoque faciendo aut non faciendo. Faciendo alii primario,  
 alii secundo: primario, qui jubet, qui consensum requisitum adhibet, qui adju-  
 vat, qui receptum præstat, aut qui alio modo in ipso crimine participat. Secunda-  
 rio, qui consilium dat, laudat, assentatur. Quid enim interest inter suasorem  
 facti & probatorem? ait Cicero Philippica secunda. Non faciendo, item pri-  
 mario aut secundo; primario, qui cum ex jure propriè dicitur debeat vetare  
 præcepto aut opem ferre ei, cui sit injuria, id non facit. Is Chaldeo Paraphraße  
 Levit. XX. 5. & obfirmator dicitur. Secundo, qui aut non dissuadet cum  
 debeat, aut factum reticet, quod notum facere debebat. Illud autem debere in  
 his omnibus referimus ad jus proprium, quod justitia expletrix respicit, sive illud  
 ex lege, sive ex qualitate exoritur. Nam si debeat ex caritatis normâ peccâ-  
 bit quidem omittendo, non tamen ad reparationem tenebitur, cujus origo est jus  
 aliquod proprium, ut antè diximus. Tenentur autem primò locò ii, qui imperio  
 aut alio modo aliquem impulerunt ad factum: His deficientibus patrator faci-  
 noris: & post eum ceteri: in solidam singuli, qui ad actum causam dederunt, si  
 ita actus ab ipsis, quanquam non solis, processit. Vid. lib. 2. de J. B. & P. c.  
 17. §. 6.*

§. 3. Juxta Gisbertum Voëtium potest aliquis concurrere (1.) an-  
 tecedenter, (2.) concomitanter. (3.) consequenter. Prima participatio  
 est magis directâ, cum quis aut consulit, aut petit, aut præcipit, aut provo-  
 cat, aut administrat, adjuvat, & subservit. Secunda magis indirectâ cum  
 quis (1.) permittit actionem, h. e. cum facit aliquid, quod erat omittendum,  
 ad quod loquitur actio. (2.) tolerat, h. e. cum non obstat, non impedit, &  
 omnem diligentiam non adhibet, ne fiat. Tertia est cum quis actionem  
 jam commissam defendit vel approbando & laudando, vel excusando &  
 extenuando vel connivendo, cum quis scilicet aut verbis non reprehen-  
 dit, aut ipso factò pro ratione muneris non coërcet. Vid. Disp. select.  
 part. 3. de Idolatria indirectâ & participatâ. It. p. 4. de Officiis Charitatis  
 ergà proximum peccantem.

§. 4. Id nequaquam hoc loco est prætermittendum, quod circa im-  
 putationem attendi debeat, an is, qui vel committendo vel omittendo ad  
 effectum aliquid contulit, per vires naturales aliter agere potuerit, & an  
 per

per obligationem quandam ad aliter agendū obstrictus fuerit? Quod si, vel utrumq; vel alterutrum deficiat, nō postrema adest imputationis ratio & causa. Qui ergo naturę necessitate, cujus durū telum evitare nequiverat, committit vel omittit aliquid, liber & immunis est ab effectūs participatione, nisi illam naturę necessitatem suā culpā sibi attraxerit. Similiter illi, qui ad suę actionis oppositum nullā obligationē tenebatur, nil imputari potest. Benè Paulus Laymannus in Theologiæ Moralis L. 1. part. 1. r. cap. 3. n. 7. *Hæc duo: posse impedire effectum & non impedire velle, minime sufficere; ut idcirco effectus indirecte voluntarius censatur, aut alicui tanquam causæ morali imputetur. Nam alioquin absurdum sequeretur, quod omnia Angelorum hominumque peccata DEO voluntaria essent: cum is haud dubie omnia impedire posset & consilio impedire nolit. Sed insuper requiritur ad voluntariam indirectam & imputativam, ut aliquis etiam debeatur obligatus sit, impedire effectum quem potest & non vult impedire.*

§. 6. Hæc imputatio, quæ effectus suę causæ adjudicatur, naturalis, in oppositione ad legitimam, solet à nonnullis appellari. Dispescunt enim Imputationem in naturalem & legitimam. Imputatio naturalis est, quæ actio propria ei imputatur, cujus est propria, sive quæ actio suę causæ imputatur. Legitima est, quæ actio aliena alicui, quasi propria imputatur. Id quod fieri solet, cum is, qui non est causa actionis, perinde habetur, ac si causa ejus esset. Actio propria dicitur intuitu istius, à quò velut à suā causā dependet. Quælibet enim actio suę causæ semet ipsam naturaliter imputat, ut nullò principio extrinsecò, nullā Juris fictione opus sit. Intelligitur verò causa moralis. Quamvis hæc nonnunquam etiam causa physica sit, non tamen, ut physicæ, sed ut morali effectus imputatur, quoniam actiones imputantur, ut voluntariæ sunt, at non per causalitatem physicam, sed moralem sunt voluntariæ. Ex quò efficitur, ut causæ physicæ non imputetur sua actio, nisi simul sit ejus causa moralis, causæ veromorali sua imputetur actio, licet non sit simul ejus causa physica. Non tamen repugnamus, quin fieri possit, ut causæ morali magis imputetur actio, quando simul ejus causa physica est, quoniam hōc modò & physicè & moraliter adeoque simpliciter propria ejus actio constituitur. Actio aliena dicitur, respectu istius, qui ejus causa non est. Proinde, quoniam hic per se ipsam adjudicari nequit, necesse est, ut extrinsecum principium accedat, si debeatur imputari, quod nimirum legis interpretatio, prudentiæ & æquitatis regulæ illud suadeant. Et talis imputatio legitima nominatur.

§. 7. Naturalem imputationem videtur Flacius Illyricus appellare essentialem; Legitimam vero cogitationis imputationem vel rationalem translationem. Utramque ita declarat. Imputationem essentialem

vocat,

vocat, cum rei aut facti sum præmium aut precium, bonum aut malum deputatur ordinaturve. Sic operanti sua merces imputatur, aut adjudicatur adscribiturve. Rom. IV. 4. Cogitationis imputationem vel rationalem translationem constituit aliam personalem, aliam realem. Personalem vocat, cum quæpiam bona aut etiam mala res ab aliâ personâ ad alias solâ cogitatione aut decretô transfertur. Sic à Christô Justitia ejus ad nos, & vicissim à nobis injustitia ad ipsum, solâ imputatione transfertur: seu, nobis quidem ejus Justitia, ipsi verò nostra injustitia imputatur. Realem dicit, cum dignitas, valor aut pretiositas alterius rei ad aliam, solâ cogitatione transcribitur, seu, alia res alterius locum, cogitatione, voluntate ac decretô vel DEI vel hominum, supplet. Sic fides nobis supplet locum justitiæ, perfectissimæque obedientiæ, quam habere debemus, quia alienam obedientiam apprehendit: seu imputatur nobis ad justitiam, aut pro justitia. Ita nobilitas Aulico pro virtute apud Regem est: Forma puellæ pro dote, aut contra dos pro formâ: Civi aut Mercatori, apud suos, divitiæ pro prudentiâ: Hic pretium aut valor prudentiæ transfertur ad divitias; dotis aut probitatis ad formam: aut etiam contra, virtutis ad nobilitatem. Sic dat census honores: id est, Magistratus, debitus virtuti, datur divitiis; seu, dignitas aut pretiositas, valorque simul & præmium virtutis, transfertur ad divitias: vid. Flacii Clav. Script. in Voce Imputatio.

§. 8. Cæterum satis manifestum est, quòd Naturalis Imputatio locum habeat, ubi intentio actionis vel directæ vel indirectæ deprehenditur. Ubi verò interpretativa voluntas datur, ibi legitima imputatio rectè obtinere dicitur.

§. 9. Equidem aliis plerisque indirectæ & interpretativa intentio existimantur coincidere: sed meritò contra distinguuntur ob tria potissimum discrimina. Nam (1.) is, qui dicitur intendere aliquid indirectè, debet scire, quod ex eò, quod agit vel omittit, talis effectus sequatur, vel saltem periculum esse, ne sequatur: In eò autem, qui interpretativè dicitur aliquid intendere, talis cognitio non requiritur. (2.) actionis intentio indirecta, etiam est intentio directæ, non quidem in ordine ad effectum, sed in ordine ad illud, quod sequitur effectus: at verò interpretativæ intentionis exempla demonstrant, quod is, qui interpretativè aliquid intendit, neque ipsum effectum, neque aliud, ex quò effectus sequitur, directè intendat. Opponitur autem interpretativa intentio formali intentioni, quæ non præsumenda est, sed sese satis prodit, habetque existentiam actualem, absolutam, & pro tempore præsentem. (3.) indirectè dicitur intendere, qui non impedit illud, quod potest & debet impedire. At verò

C

inter-

interpretativè qui aliquid intendit, neque potest, neque debet impedire, ceu exempla docent allata.

§. 10. Apparet autem, quod voluntas interpretativa dicatur per denominationem extrinsecam, desumptam ab intellectus actu, quò voluntatem unius, etiam alterius esse voluntatem, vel quando una persona aliquid vult & agit; id etiam alteram personam velle vel agere interpretatur. Illa interpretatio dici aliàs solet fictio juris, quia fingitur, voluntatem unius esse voluntatem alterius, quæ reverà non fuit.

§. 11. Nimirum legum Civilium Conditores & Interpretes, æquitatis & prudentiæ regulis admoniti, ne quis innocens severitate Juris lædatur, pax & rerum tranquillitas conservetur, interdum factum pro non factò, & non factum pro tanquam factò haberi volunt & præcipiunt. Sic, qui in utero est, natus esse fingitur, quoties de commodis ipsius pactum quæritur. Unde si quis duos habeat filios, & eos instituat hæredes, nesciatque uxorem ex se gravidam esse, tum nè contra naturalem æquitatem partus privetur paternâ hæreditate, juris fictione ille quoque & natus & institutus putatur à parente, cum testamentum conderet. Similiter fictione juris adhuc vivere judicatur, qui occisus est, idque ad declinandam tutelam sufficit. Nam jura permittunt, eum liberari ab onere tutelæ, qui quinque habet liberos in provinciâ Romanî Imperii. Si nunc Martis sævitia ex illis aliquem amittat, Jura fingunt, eum adhuc vivere, ac patris exculationem propter quinque liberorum numerum recipiunt. Etenim qui pro Republicâ ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. vid. Conradi Lagi Traditio Methodica juris utriusque de Fictio-  
ne juris.

§. 12. Quot species ac modi dentur fictionis Juris, nondum definitum est, nisi quod Azo ad decem prædicamenta eam dilatasse dicatur, Si autem fictiones Juris ideò sunt introductæ, ut cogantur leges incidentibus rebus servire, quoniam non omnes casus legibus comprehendi possunt, ut d. l. asserit Conradus Lagus, videtur æquè difficile negotium esse, omnes fictiones Juris ad certas species ac modos reducere, quam arduum est, omnes casus, qui evenire possunt, definire. Illud tamen satis liquidum est, fictiones Juris non obtinere locum, nisi cum prudentiæ & æquitatis regulæ illud permittunt. Proinde non licebit fingere, voluntatem interpretativam adesse, adeoque unius personæ voluntatem ad aliâ quoque personam transferendam, ut quæ uni competit voluntas, alterius vel aliorum quoque voluntas censeatur, nisi cum rectæ rationi & justitiæ consentaneum videbitur.

§. 13. Utrum actionum communiò, quæ resultat ex personarum conjunctione, huc pertineat, non immeritò dubitatur. Hujusmodi con-

unctio-

junctionem triplicem nonnulli constituunt, Physicam, Politicam & Mystificam. Physica est inter Patres & liberos: Ubi quod Pater vult, etiam liberi velle censentur, quod tamen non nisi in rebus favorabilibus locum habet. Politica est inter Regem & subditos; ubi actiones Regis pro totius civitatis actionibus habentur. In conjunctione Mysticæ exemplum Adamus affertur, in quo peccavisse homines dicuntur omnes Rom. V. 12. non quidem actu, sed interpretativè & virtualiter propter unionis rationem, quæ inter Adamum & posteros ejus intercessit, neque enim concipiendus est Adamus delinquens respectu tantum ad se habitò, sed simul ad universum genus humanum, cujus ille personam sustinebat, ut Syndicus, Vades, & caput mysticum, ut ita massâ & radice generis humani infectâ & peccante non potuerint membra intacta manere, aut homines dici non peccasse, &c. vid. Godofredus Peschviz de repressaliis c. 2. Addatur Philippi Mulleri Diss. de Jure puniendi liberos propter peccata parentum.

§. 14. Quod attinet conjunctionem Physicam, inter Patrem & filium, & Politicam seu moralem, quæ vel consensu tacito vel expresso contrahitur, qualis inter Dominum & servum, Principem & populum intercedit, equidem inferior, in illis, in quibus est subjectus, obligatur, ut suam voluntati superioris conformet, adeoque inferior eadem faciat, quæ superior præcipit, vel saltem superiori non resistat, & eatenus eadem velit. Quando verò his modis voluntas superioris etiam pro inferioris voluntate habetur, neutiquam id per fictionem juris, aut interpretativè fieri censendum est, cum verum, non fictum adsit fundamentum, ibi natura, hic mutuus consensus. Etenim Patres & liberi verè existunt, & propter naturalem dependentiam hi velle idem, quod Patres volunt, existimantur, idque citra fictionem aut interpretationem, seu propter conjunctionem ipsâ naturâ fundatam. Similiter populus Principi subjectus verò consensu talem societatem inicit, cui tribuendum sit, quicquid Princeps suscipit in rebus ad societatem pertinentibus. Vero igitur magis consentaneum est, ut expressa Inferiorum voluntas ad directam intentionem referatur. Sin verò expressa non adest, Inferior idem, quod Superior vult, indirectè velle censendus est. Postquam enim populus suam voluntatem in Principis voluntatem coniecit, nescire nequit, in eò jam se locò positum esse, ut Principi præcipienti & aliquid suscipienti refragari non debeat. Quò respectu idem, quod Princeps, citra fictionem aut interpretationem velle judicatur. In mysticâ, quam vocant conjunctione equidem pariter conceditur, adeste actionum communionem. Enim verò illa non interpretativâ, sed virtuali voluntate niti putatur.

§. 15. Dissimulare quippe non possumus, quod nonnullis alia sit in-



interpretativa voluntas; iterum alia voluntas virtualis. Distingui enim solet voluntas propria in formalem & virtualem. Formalis voluntas dicitur, quæ actu est: Virtualis voluntas nominatur, quæ actu non est, potest tamen esse. Virtualis est illis porro vel absolute futura, vel sub conditione. Ut harum distinctionum natura rectius intelligatur, illò exemplo eas illustrabimus, in quò istarum usus maximè cernitur, & cujus declarandi causâ potissimum fuerunt adhibitæ. Dicitur ab Apostolo, in Adamo omnes homines peccasse, & sic ad omnes pervenisse mortem, tanquam stipendium peccati. Si verò ad peccatum, quod nobis in peccatam imputandum est, requiritur, ut sit voluntarium voluntate propriâ, efficitur ex eò, quod dicendum sit, omnes homines peccasse in Adamo, voluntate propriâ vel formali vel virtuali. Non formali, quia posteri Adami nunquam ei coexistenterunt, formalis autem voluntas existentibus saltem competit. Ergò peccarunt voluntate propriâ virtuali, non tamen absolute futurâ, quandoquidem nunquam in rem traducta fuit, sed futurâ sub conditione. Nulla verò alia intelligitur conditio quàm coexistentia cum Adamo & similis cum eò status ac conditio. Igitur virtualis posterorum Adami voluntas in eò consistit, quod æquè peccaturi fuissent, si in statu eodem constituti & iisdem modis ad peccandum allecti fuissent. Ex quò apparet, virtuali voluntate in Adamo peccasse omnes nihil aliud significare, quàm si omnes Parentibus suis coexistitissent, pariter ac fortè facilius peccaturos, & Patris vestigia secuturos fuisse.

§. 16. Manifestum autem discrimen observare licet inter voluntatem interpretativam & virtualem. Siquidem hæc Dei præscientiâ nititur, cum à solo DEO prævideatur, in cujus iudiciò habetur eodem locò, quò formalis voluntas, nec, nisi ex divinâ revelatione, ab hominibus cognosci potest; illa, sicuti regulis prudentiæ ac æquitatis fundata est, ita ex illis cognosci potest. Quando enim, quod maximè probabile ac æquissimum videtur, eum, qui ratione uti nescit, imò nondum existit, id voluisse, aut eum, qui certè nihil contulit ad actonem præsentem, aliquid contulisse salvâ æquitate, fingimus; hæc interpretatio æquitati consentanea, voluntas interpretativa nuncupatur. Ita si Pater cum aliquo de bonis suis contrahit, filius, licet nondum natus eò tempore, censetur consentire, videlicet non formaliter, sed interpretativè. Similiter quando Cajus ab aliis sceleribus satis nota fingitur, frustra expectaretur à Titio & Sempronio furtum facientibus, adveniens autem furtum probaret, & partem rei ablatae acciperet, interpretativè ad furtum influxisse censeretur, quia salvâ æquitate, ejus intentio præsumitur, & hòc ipsò furti confors constituitur, cum cetera iniquitatem, Caji eadem voluntas, quæ Titii & Sempronii erat, adfuisse fingatur.

# CAPUT QUARTUM

## De ACTIONE SPONTANEA ET INVITA.

§. 1.



Uæ requirantur, ut alicui propriae pariter & alienae actiones, cum iis omnibus, quae actiones consequuntur, imputari queant, satis exposita fuerunt capite superiori. Quandoquidem autem in æstimandis actionum meritis accuratè dispiendum est, utrum sponte an invite susceptæ sint, & absque hâc instituta consideratione, neque de præmiis, neque de pœnis, neque de veniâ indulgenda, rectè judicari potest, nequit sanè omnis de sponte ac invite factis prætermitti tractatio. Constat enim, estq; maximè consentaneum; ut is demum pro verò autore facti, cui debeat imputari, habeatur, qui sponte egit, & quò majori cum alacritate egit, eo magis factum ei impurandum sit. Contra verò qui egit invitus, tantum abest, ut facti autor haberi debeat, ut potius omnis causa in externam vim, vel ignorantiam redundet, adeoque is, qui egit invitus, si quid mali patravit, veniâ dignus est; si quid mali verò passus est, commiseratione.

§. 2. Oritur autem actio spontanea seu voluntaria, quando voluntas præviâ intellectûs cognitione actionem producit. Cujus naturam lib. 3. ad Nicom. c. 1. declarat Aristoteles, quando scribit: *Ἐξ ἑωυτοῦ ἔργα, ἃ ἢ ἀρχὴ ἐν αὐτοῖς, ἰδιότῃ τὰ κατὰ ἑαυτὰ, ἐν δὲ ἢ ἑωυτοῦ.* Sententiam horum verborum sequens tradet definitio: *Actio spontanea est, cujus principium est in agente, particularia (seu singularia vel circumstantias) in quibus versatur actio, cognoscente.*

§. 3. Requiritur ergò ad Actionem Spontaneam (1.) ut ejus principium sit in agente. (2.) Ut agens circumstantias actionis cognoscat. Quod inculcat etiam Eustratius, Nicenus Episcopus, vel incertus Autor ad dictum locum Aristotelis, quando Interprete Joanne Bernardo Feliciano hunc in modum loquitur. *Utreque hæ particule ad spontaneam constitutendum necessariae sunt, ut scilicet ἃ principium sit in agente, ἃ agens particularia cognoscat. Nam ἃ qui ex ignorantia agit, in se agendi habet principium; ἃ qui particularia cognoscit, agere violentiâ inductum potest.*

§. 4. Solèt contingere, ut principium sit in agente duplici modo. Primo est principium movendi in aliquò, à quò quidem movetur in fi-

nem ut tamen finem illū non cognoscat. Sic quando lapis sursum movetur principium hujus motionis est extra lapidem; si vero deorsum movetur, principium hujus motionis est in lapide, qui tamen motionis finem non cognoscit. Id propter etiam non dicitur movere seipsum, sed ab aliō moveri. Vid. Thom. 1. 2. quæst. 6. art. 1. Deinde est principium movendi in aliquō, ut insimul finem actionis cognoscat. Cum dicitur, quod actio spontanea sit, cujus principium est in agente, debemus illud posteriori modō accipere. *Hæc enim, quæ finis habent notitiam, dicuntur verè se ipsa movere, quoniam in eis est principium, non solum ut agant, sed etiam ut agant propter finem, & ideo cum utrumque sit ab intrinsecō principio, scilicet quod agunt & quod propter finem agunt, horum motus & actus dicuntur verè & proprie voluntarii.* Vid. Thom. d. 1.

§. 5. Actioni Spontaneæ s. voluntariæ opponitur invita seu involuntaria, quam declaraturus Aristoteles l. c. scribit: *ἀναρτία ἢ ἄβουλα ἢ ἀγνομία ἢ ἄπειρα.* Ex quibus verbis talis definitio vulgō extrui solet: *Actio invita est, cum quis aliquid agit inscius vel saltem nolens.* Quō loco non est dissimulanda Eustratii vel incerti Autoris Commentatio ad verba Aristotelis allata: *Hæc, inquit, non videtur esse propriè definitio, sed potius specierum explicatio quædam: minime enim sunt definitiones illæ, quæ divisionibus constituuntur; ut si dicamus, id esse Ens, quod vel agere potest, vel pati. Hæc enim modō etiam equivoca admitterent definitionem: ut, Clavis quæ & Januaram instrumentum, & partem corporis animalium, id est, jugulum significat, posset ita definiri: Clavis est, quæ vel fores aperit, vel collo innexa est. Quibus tamen definitionibus uti interdum oportet, quando communem specierum rationem invenire non facile valemus: sicut hic in illis, quæ violenter, aut ignorantia efficiuntur.*

§. 6. Sunt igitur actionis involuntariæ species, actio invita per ignorantiam & actio invita per violentiam:

§. 7. Ignorantia non unō saltem modō, sed pro diversâ considerandi ratione variè accipitur. In ordine ad scientiam, cujus absentiam dicit ignorantia, dividitur in Negativam, privativam & pravæ dispositionis. Ignorantia Negativa dicitur, quando nescimus ea, quæ scire non possumus. Diciturque vulgō Nescientia. Ignorantia privativa seu puræ privationis est, cum simpliciter quid ignoratur, cujus tamen scientia in hominem cadit, nullō intellectus judicio interveniente. Ignorantia pravæ dispositionis est, cum quis judicat, rem illud esse, quod reverà non est, diciturque alias Error. e. g. quando Venator transfigit hominem inter frutices latitantem, quem bestiam fore putaverat, ignorantia pravæ dispositionis dicitur: quando verò nihil petiturus casu ferit hominem, ignorantia puræ privationis appellatur.

§. 8. Ex parte objecti dividitur (1) ab Aristotele in ignorantiam universalium & particularium. Illa dicitur, quando quis ignorat principia practica, & quæ ex iis proximè fluunt. Hæc, si quis singularia & actionis Circumstantias ignorat. (2.) à Jctis in ignorantiam juris & facti. Juris ignorantia vocatur, quando quis nescit suum Jus. Facti ignorantia nominatur, si quis ignorat, quid contigerit. Sic ignorare, bonorum aliquorum possessiones sibi deferri hæreditatis jure, ignorantia juris est; sed ignorare, decessisse ipsum, cujus bonorum possessio ipsi defertur, ignorantia facti dicitur.

§. 9. In se spectata Ignorantia est vel Vincibilis vel Invincibilis. Illa est, quando quis ea nescit, quæ scire poterat & debebat. Hæc, cum quis ignorat, quæ scire non poterat; Invincibilis est vel talis in se, sed non in sua causâ; vel in se & in sua causâ simul. Illa est, quando quis in ipsâ quidem actione ignorantiam, ex qua eadem procedit, exuere atque dispellere nequit, in culpâ tamen est, quare in eam incidit; sic sæpe qui per ebrietatem peccat, planè ita nescit, quid agat, ut eò tempore scire nequeat; in culpâ tamen est, quod nesciat. Hæc est, quando quis non tantum ea ignorat, quæ scire ante actionem non potuit, sed etiam in culpâ non est; quod ignoret.

§. 10. In ordine ad voluntatem dividitur Ignorantia in eam, quæ concomitatur tantum actum voluntatis, in aliam, quæ consequitur, & iterum in aliam, quæ antecedit voluntatis actum. Unde prior concomitans, altera consequens, postrema antecedens ignorantia solet appellari.

*Ignorantia concomitans* est, quando quis facit aliquid ignorans, quod idem faceret sciens. Sic se gerit, qui hostem suum ignotum interficit, quem etiam interfecisset, si cognitus fuisset. Hic unum subjectum agit & ignorat, sed ignorantia non est causa actionis.

Ignorantia concomitans, vel ignorantia non actionis causa, sed comes, etiam intelligitur, quando erroris agnitionem nullus sequitur dolor. Exempli loco allegari solet ille, qui lapide, quò corvum prætervolantem petebat, aberrante & in novercam recidente: *ne sic quidem malè, in-  
quiebat.*

*Ignorantia consequens* dicitur, cujus causa est Voluntas, quod fieri potest dupliciter. 1.) Cum quis simpliciter quid ignorare voluit, diciturque ignorantia affectata. 2.) Cum quis non quidem simpliciter quid voluit ignorare, sed tamen per oscitantiam & socordiam atque imprudentiam ignorat, quod scire debebat. Potest igitur Ignorantia consequens dividi in voluntariam directè, & voluntariam indirectè talem.

*Ignorantia antecedens* dicitur, quæ causa est actionis ita, ut si absque eâ fuisset, non egissemus. Hæc ignorantia laborat, qui omni cautione di-

ligen-

lignentiâque adhibita feram petiturus hominem interficit, quem si absque illâ ignorantia fuisset, non interfecisset.

Hæc Ignorantia, quæ Antecedens dicitur, neque directè neque indirectè voluntaria est. Et ideo, quia omnem voluntatis actum antecedit, de nominatur Antecedens. Ejus signum habetur, si erroris agnitionem sequatur poenitentia facti.

§. 11. Eodem ferè sensu distinguunt alii inter id, quod fit ab ignorante & quod fit ex ignorantia. Ab ignorante aliquid fieri dicitur, quando actionis causa non est ignorantia. Exempli loco affertur id, quod fit ab ebriò aut iratò, Licet enim ebrius aut iratus sæpè, quid agant, ignorent, actionis tamen causa non est ignorantia, sed ebrietas aut ira; Quarum illam declinare, hanc vero compescere penes hominem erit. Iram seorsim quod attinet, illam voluntariam esse, Sen. lib. 2. de ira, c. 1. probat. *Iram inquit, quin species oblate injuria moveat, non est dubium: sed, utrum speciem istam statim sequatur & non accedente animò excurrat, an illò assentiente moveatur, querimus. Nobis placet, nil ipsam per se audere, sed animò approbante, Nam speciem capere acceptæ injuriæ, & ultionem ejus concupiscere, & utrumque conjungere, nec ladi se debuisse, & vindicari debere, non est ejus impetus, qui sine voluntate nostrâ concitetur. Ille simplex est; hic compositus & plura continens. Intellexi aliquid, indignatus est, damnavit, ulsicitur, hæc non possunt fieri, nisi animus, qui tangebatur, assensus est.* Ex ignorantia dicitur aliquid fieri, quando ignorantia causa est, cur fiat. Atque, hæc est ipsa ignorantia antecedens, cujus character haberi solet subsequens dolor & poenitentia.

§. 12. Non quælibet ignorantia, sed illa duntaxat reddit actionem involuntariam per ignorantiam, quæ actionis causa est. Tum autem est ignorantia actionis causa, quando tollit eam scientiam, quæ prohibuisset agendi voluntatem. Nec est, quod arguas, ignorantiam non posse esse causam actionis, quoniam est non-Ens, cum in privatione scientiæ consistat: illud autem, quod est non-Ens, nullius rei causam esse. Constat enim contra, quod causam movens sit duplex, alia per se, & alia per accidens. Causa per se dicitur, quæ propriâ virtute movet. Causa per accidens appellatur, quæ removet prohibens. Licet ignorantia non sit actionis causa per se, quia est non-Ens, est tamen actionis causa per accidens, quatenus est privatio scientiæ perficientis rationem, quæ prohibuisset actionem. Dicis adhuc videri, ignorantiam non posse actionis esse causam, quoniam actionum humanarum principium effectivum est voluntas, hæc autem in cognitum, non in ignotum fertur. Enim verò, ut ut concedatur, non ferri voluntatem in istud, quod est omninò ignotum, nihil tamen obstat, quò minus feratur in illud, quod est partim notum, partim ignotum. Quod v. g.

contia-

contingit, quando alicui notum est, illum, quem occidit, esse hominem, sed ignotum, esse Patrem. Quò in casu parricidii causa ignorantia est, quoniam homicida planè non egisset, si cognitum fuisset, hominem esse Patrem. Debemus autem cavere, ne talis obrepat nobis ignorantia, quæ tollit eam scientiam, quâ destitui non debemus. Quæ enim scire possumus & debemus, eorum ignorantia nullum nobis præbet patrocinium.

§. 13. Proinde 1.) nulla ignorantia vincibilis, neque particularium neque facti, reddit actionem simpliciter invitam. 2.) nulla ignorantia universalium, itemque nulla ignorantia Juris reddit actionem invitam. 3.) Ignorantia antecedens sed invincibilis invitam reddit actionem, si non tantum in se, verum etiam in sua causâ invincibilis est, & eam consequitur poenitentia. 4.) Ignorantia concomitans propriè quidem invitam actionem non reddit, is enim, qui ex ignorantia concomitante agit, eò animò agit, ut idem faceret, si sciret. At verò propriè dictum invitum eà est indole, ut si notum esset, illud averfaremur. Excusare tamen creditur hæc ignorantia, quoniam id omne excusatur, quod spontè non fit. Ille autem, qui ex ignorantia concomitante agit, spontè non agit, cum in illud, quod spontè fieri dicitur, feratur voluntas; In id autem, quod ignotum est, ferri non potest voluntas. Vulgò tales neque spontè, neque invitè, sed non spontè agere dicuntur. Benè Thomas 1. 2. quæst. 76. act. 3. *Si scientia, quæ per ignorantiam privatur, non prohiberet actum propter inclinationem voluntatis in ipsum; ignorantia hujus scientie non facit hominem involuntarium, sed non volentem, ut dicitur in 3. Eth. & talis ignorantia, quæ non est causa actus peccati, ut dictum est, quia non causat involuntarium, non excusat à peccatò.* Vid. Hornejus in Phil. Mor. p. m. 349. adde Thomal. phil. pract. tab. XI. 5.) Ignorantia consequens licet actionem invitam simpliciter non reddat, si tamen affectata non fuerit, sed per negligentiam aut imprudentiam obreperit, delictum minuit, licet simpliciter non excuset. Ignorantia Negativa, quoniam dicit absentiam istius scientiæ, quæ in nos cadere non potest, actionem invitam reddit. At verò pravæ dispositionis & puræ privationis ignorantia idonea non sunt, actionem reddere invitam.

§. 14. Indè Actio invita per ignorantiam describitur, quod ejus causa sit Ignorantia invincibilis, ita ut cognitò postea, quod ignoratum erat, actionem sequatur dolor, seu poenitentia.

§. 15. Contrà verò Actio invita per violentiam seu coactionem est, cujus principium est extra, ita ut ille, qui agit aut patitur, nihil ad eam conferat, quod iisdem ferè verbis etiam Aristoteles l. 3. ad Nicom. c. 1. inculcat. *ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ ἑτέρου, τοιαύτη ἔσται, ἢ ἢ ἀπὸ τοῦ συμβαλλομένου ἢ ἀπὸ τοῦ ἑαυτοῦ.*

ad g. E. g. cum quis manum tuam violentor in alium torquet: item, cum venti impetu aliquo abriperis, aut cum rerum potuerunt homines.

§. 16. Quomodo ergo in naturalibus rebus illud proprie dicitur violentum, quod patiens contra ejus naturam immutat; ita ad id, quod homini violentum est proprie, requiritur non solum, ut ejus principium sit extra hominem, sed imprimis necessarium est, ut sit contra animi nostri inclinationem. Ut adeo is, cui per vim aliquid contingere dicitur, plane nihil conferat, & nec una agendo rem adjuvet, neque patienti voluntatem adferat.

§. 17. Proinde ut is, qui a principio extrinsecò validiori membra sua applicare adigitur, per vim illatam seu coactus egisse censeatur, necesse est, ut dissentium & aversionem suam manifestis signis, ipsaque resistantiâ seu reluctantiâ corporali, & ubi nihilominus effecta fuerit actio, dolore & poenentiâ ostendat. Quod si vero desint omnia signa dissensus actualis, præsumitur tamen reluctantiâ circa illas actiones & passiones, quæ communiter non creduntur spontè admitti, diciturque reluctantiâ interpretativa. Sic in lege Judaicâ vim passa judicatur virgo, cum quâ in agro quis concubuit.

§. 18. Est autem coactum aliud in se, sed non in suâ causâ, aliud in se & suâ causâ simul. Illud dicitur, quando quis in præsens versatur in tali casu, ut vim repellere non possit, in culpâ tamen fuit, ut in eum statum perveniret. Huc referri solet stuprum Dinæ illatum, Gen. 34. debebat enim virgo inter ignotos non peregrinari. Hoc dicitur, quando quis suâ culpâ in eum statum non pervenit, ut per vim ad aliquid cogi possit.

Sic ei, qui munere suo fungitur, aut jure suo utitur, nec alias temerè & inconsultò aliquid agit, si vel maxime vis eidem inferatur, nihil potest imputari. Vid. Pufend. de Jure N. & G. l. 1. c. 4.



# CAPUT QUINTUM

## DE ACTIONIBUS MIXTIS,

§. 1.



Trium humanarum actionum divisio in Spontaneas & Invitas tam late patcat, ut omnes omnino actiones humane ad illas referri queant, an verò dentur aliæ ab utrisque diversæ vel mediæ? jam olim in libris ad Nicomachum disquisivit Aristoteles. Ansam dubitandi præbuerunt illæ actiones, quæ per incurrendam, vel evitandam ingratam alicujus mali, vel obtinendi maximi cujusdam boni causâ suscipiuntur. Hujusmodi sunt: Si Tyrannus alicui mandaret, ut turpe quidpiam committeret, quod nisi patrârit, fore, ut ipse & uxor & liberi & cognati occiderentur; vel si mercator ortâ tempestate merces suas in mare projiceret ad exonerandam navem, ut sua & aliorum salus conservari possit, vel si quis in sinibus latronum incidere, atque, pro redimendâ vitâ, certam pecuniam summam præmitteret. De his & similibus actionibus quaeritur, utrum Spontaneæ vel invitæ, an ab utrisque diversæ, vel mediæ sint?

§. 2. Ad invitæ hujusmodi actiones pertinere possent videri, quoniam conjecturam facere de nemine licet, quod si sapit & mentis compos est, sponte vitam & famam facinorè turpi contemnere aut bonorum suorum jacturam facere velit. Quoniam tamen, qui ejusmodi quid perpetrant, in scii non agunt, & præterea ad illas actiones utique malum conferunt, non videtur actionis invitæ natura adeò bellè in illas cadere, cum qui sciens ad actionem aliquid confert, sponte agere existimetur.

§. 3. Aristoteles lib. 3. ad Nicom. c. 1. de his & similibus actionibus pronuntiavit, quod mixtæ sint, sed magis tamen similes voluntariis seu spontaneis. Antequam de rationibus circumspiciamus, juvat exponere, quænam actionis mixtæ natura & diversitas sit.

§. 4. Per actiones mixtas intelliguntur illæ, quæ proveniunt à voluntate, actionem aliquam cum damnò aut molestiâ conjunctam intendente aut suscipiente, propter majus bonum seu verè seu apparenter tale consequendum, & majus malum declinandum. Cum autem quilibet molestiam leviorè & damnum minus, quod cum actione conjungitur, præ graviori & majori libenter eligat: Interim tamen & minoris boni jactura ingrata sit, hinc ejusmodi actiones ex voluntariò & invitò miscentur, & propterea rectè appellatæ fuerunt ab Aristotele mixtæ, *(mixta)*.

D. 2

§. 5. Actio



§. 5. Actionis mixtæ quatuor genera passim ex eodem Aristotele recensentur; quorum unum *laudem*, alterum *vituperium*, tertium *veniam*, postremum *execrationem* & *detestationem* meretur.

§. 6. *Prætoris generis actiones sunt*; cum homines in decorum aliquid seu quod non est ex dignitate, sed contemptum affect, designant aut patiuntur, propter magnum bonum, honestum præsertim & publicum consequendum. Exempla præbent Zopirus Bæria apud Jôh. l. 1. c. X. §. 15. Solon & Lycurgus apud Eundem l. 1. c. VII. §. 9. lib. 3. c. 3. §. 12. Zaleucus Locrensius Dux apud Valer. Max. l. VI. c. 5. *Secundi generis actiones sunt*, cum homines exigui boni impetrandi vel minoris mali vitandi causâ, turpia, aut minus decora, aut quævis scelera patrant. Exempla sunt Vespasianus Imperator ap. Sueton. c. 16. 23. Rabirius ap. Cicer. Calanus Indus, Saguntini ap. Flor. l. 2. c. 6. In Saxeis Esau. *Tertii generis sunt*, quæ neque laudem, neque vituperationem merentur, veniam tamen & commiserationem impetrant. Huc spectant illi, qui rebus omnibus ad incitas reductis vel arces dedunt, vel fugam capessunt; ut Varro, de quo Lipsius, in de Const. l. 1. c. 22. In hunc censum etiam referri solent exempla illorum, qui exquisitissimorum cruciatuum servitiâ victi vel amicorum thesauros produunt, vel aliam arum suarum suis accoerunt. *Quarti generis actiones sunt*, ad quas nemo ullò metu aut cruciatu genere impelli debet. Tales sunt: abnegare religionem, prodere patriam, falsum dicere testimonium, homicidium; furtum committere. Hinc ridiculam Philosophus vocat excusationem Alceonis, apud Euripidem, causantis, ad actum se ad matris cædem fuisse execrationibus patris. Nec minus bene Laco ille cuidam scelus suum purgaturus & dicenti: *invittum se peccasse, respondit*; ergo *Sinvittus pœnam huius*. Huc pertinent etiam, qui in persecutionibus Ethnicorum Imperatorum afflictionibus & tormentis succubuerunt, atque Christianam fidem deseruerunt, quales fuerunt Traditores, Libellatici & thurificati, de quibus Meisnerus & Korthok de persecut. de cæteris vid. J. C. Dirrius in Phil. Moral. diff. 4. §. 1 3. 14. Insticus. Eth. part. 3. Sect. l. c. 3. §. 4. 5. Eth. paradigm. Sect. l. c. 5. aph. 6. Magirus ad dict. loc. Arist. Cirellus in Ethic. Arist. part. II. c. 6.

§. 7. Nunc videbimus rationes, quibus inductus Aristoteles asseruit, actiones mixtas esse similes voluntariis, seu spontaneis. Prima Ratio est, quoniam actionis mixtæ finis & circumstantiæ sunt in agentis potestate positæ, ut liberum habeat arbitrium eas persequendi aut intermittendi. Altera ratio est, quia principia & organa, sine quibus actio produci non potest, sunt in potestate agentis, quoniam manus & pedes non ab extrinsecò quòdam principio moventur. Tertia ratio est, quia actiones mixtæ laudem vel vituperium, præmium vel pœnam merentur, quorum actiones invitæ capaces non sunt.

§. 8. Ita

§. 8. Ita quidem satis evidenter apparet, quod actiones mixtæ proprius accedant ad voluntarias seu spontaneas; id verò dubium esse videtur, utrum ejusmodi actiones, quas ex spontaneò & invitò mixtas esse constat, dici debeant simpliciter spontaneæ & secundum quid invitæ, an simpliciter invitæ & secundum quid spontaneæ? Aristoteles d. l. scribit disertè, quod hujusmodi actiones, quæ fiunt ex metu, *simpliciter vel omninò invitæ sint*, ἀπλῶς ἀκούσια, quippe cum tale quidpiam per se eligat nemo.

§. 9. Aristoteli refragari videtur Thomas Aquinas, quando l. 2. quæst. 6. art. 6. asserit; *quod per metum fit, simpliciter voluntarium est, secundum quid autem involuntarium*: Sed facile est, Thomam cum Aristotele conciliare, si ambiguitas, quæ in voce simpliciter latet, fuerit evoluta. Quod præstitisse faciet eò, ut cavere possimus, ne formularum diversitas nobis imponat & crucem figat, ubi res ipsa plana, & satis liquida est atque perspicua.

§. 10. Simpliciter invita dicitur actio mixta ab Aristotele, quando in se atque secundum naturam suam spectatur exclusis circumstantiis. Sicuti patet ex ratione additâ, *quod tale quidpiam per se eligat nemo*. Ex quò insimul intelligitur, quomodo Aristotelis sententiæ, §. 7. & 8. declaratæ accipi debeant, ne cum se ipso pugnare videatur. Nimirum simpliciter vel omninò invitæ vocat, si spectantur extrâ temporis & necessitatis præsentis circumstantias. Spontaneas dicit, quatenus cum illis circumstantiis considerantur. Thomas verò actiones ex metu susceptas simpliciter voluntarias vocat, quatenus spectantur cum omnibus circumstantiis. Proinde actionem mixtam non eodem, sed diverso modo considerant, & hoc pacto non minus verè asseruit Thomas, actiones mixtas esse simpliciter spontaneas, quàm verè Aristoteles statuit, actiones mixtas esse simpliciter invitæ. Heerb. coll. Eth. Diss. VII. hic conjungi potest.

§. 11. Ut huic doctrinæ clariorem lucem affundamus, Thomæ sententiã luculentius explanabimus. Primò fatetur, ea, quæ per metum aguntur, mixta esse ex voluntariò & involuntariò; Id enim quod per metum agitur, in se consideratum non esse voluntarium, sed fieri voluntarium in casu scilicet ad vitandum malum, quod timetur. Mox subjungit, quod, si quis rectè consideret, *magis sint hujusmodi voluntaria quàm involuntaria*: *Sunt enim*, inquit, *voluntaria simpliciter, involuntaria autem secundum quid*. Quid autem ipsi sit simpliciter & secundum quid esse, ita exponit: *Unumquodque simpliciter esse dicitur secundum quod est in actu*. Tunc autem est aliquid in actu, quando fit atque hic & nunc, & sub aliis conditionibus individualibus exhibetur. Sunt enim actus in singularibus, quæ hic & nunc sunt. *Secundum quid autem considerari rem aliquam dicit, quatenus secundum rationem & solam apprehensionem spectatur extrâ casum illum, quò existit hic*

*¶ Nunc Sub aliis conditionibus individualibus.* His ita expeditis, suam assertionem repetit & confirmat: Sic, inquit, quod fit per metum, est voluntarium, in quantum scilicet est hic & nunc, prout nimirum in hoc casu est impedimentum majoris mali, quod timebatur; sicut projectio mercium in mare fit voluntarium tempore tempestatis propter timorem periculi. Unde manifestum est, quod simpliciter voluntarium sit: unde & competit ei ratio voluntarii, quia principium ejus est intra. Sed quod accipiatur id, quod per metum fit, ut extra hunc casum existens, prout repugnat voluntati, hoc non est nisi secundum rationem tantum; & ideo est involuntarium secundum quid, id est, prout consideratur, extra hunc casum existens. Atque hæc, quæ ex mente Thomæ allata fuerunt, passim à Scriptoribus moralibus comprobari videmus. E multis nominamus Paulum Laymannum, qui scribit: *quod metu fit, magis voluntarium est, quam involuntarium. Est enim voluntarium simpliciter & absolutè; involuntarium verò conditionatè, si videlicet metus mali adjacentis, sive tales objecti circumstantie abessent.* Vid. Th. Mor. L. I. Tr. 2. c. 6.

§. 12. Ut hæc satis manifesta sint, juvat tamen uberius declarationis causâ nonnullas difficultates, quæ in speciem moveri solent, in medium afferre atque discutere.

§. 13. Posset igitur quis causari, ex eò, quod secundum Aristotelem asseruimus, actionem mixtam secundum se spectatam esse involuntariam seu simpliciter invitam, illud consequi, quod etiam accedente metu fit involuntaria seu simpliciter invita, quoniam quod secundum se est tale, quolibet additò seu accedente remanet tale; quemadmodum quod secundum se est calidum, cuiuscunque jungatur, nihilominus est calidum ipso manente. Sed non est, ut ita quis serio excipiat. Nam dispar est ratio illorum, quæ absoluta & quæ respectiva sunt. Ea, quæ absoluta sunt, manent talia, cuiuscunque jungantur, uti calidum itemque album, sed ea, quæ relativa sunt, secundum comparationem ad diversa variantur, quod enim est magnum comparatum huic, est parvum comparatum alteri. Voluntarium autem dicitur aliquid non solum in se & absolutè, sed etiam relativè & in comparatione ad aliud. Proinde nihil impedit, quò minus id, quod in se & absolutè consideratum involuntarium est, in ordine & comparatione ad aliud consideratum fiat voluntarium. Bene in hanc rem scribit Piccolomineus: Hæc, inquit, procul dubio eum absolutè sint mala, qualia recensuimus §. 1. & eognoscantur ut mala, non absolutè fiunt spontè; cum tamen sint minus mala illis, quæ per hæc vitantur, & minus malum cum deteriore comparatum, obtineat vicem boni, jure dicuntur bona pro tunc, & præeliguntur, sponteque fiunt pro tunc & pro eâ occasione. Vid. grad. sec. c. 13. Phil. de Mor.

§. 14. Dicis:

§. 14. Dicitur: Nihilominus videri, actiones mixtas esse saltem secundum quid voluntarias & simpliciter involuntarias, quoniam sub conditione, ut vitetur malum imminens, voluntariae sunt. Quicquid autem sub conditione tale est, secundum quid tale dici & haberi solet. Ad hoc respondemus, quod actio mixta, uti existit cum omnibus suis circumstantiis, sine omni conditione sit voluntaria. Involuntaria autem est, sub conditione, hanc videlicet, si talis metus non immineret.

§. 15. Objiciat quis ulterius, eam esse naturam metus, ut non minus involuntarium efficiat, quam quævis alia violentia, conveniunt enim violentia & metus in eò, quod quemadmodum violentia dicit malum, quod in presenti adversatur voluntati; ita metus indigitat malum, quod de futuro contrariatur voluntati. Quoniam autem violentia efficit simpliciter involuntarium; ergo etiam metus. Sed quamvis in eò metus & violentia conveniant, remanet tamen ingens discrimen inter id, quod ex metu, & quod ex violentia fit. In eò, quod per violentiam fit, nullus datur consensus voluntatis, quoniam violentia est contra ejus inclinationem. At verò in eò, quod per metum fit, voluntatis consensus manifestò apparet, quoniam fertur in id voluntas, quò possit majus malum propelli & evitari.

§. 16. Neque ex eo, quòd actiones mixtas nonnunquam sequatur poenitentia, concludere licet, quod sint involuntariae. Nam utrum actiones voluntariae sint nec ne? judicari debet non ex quocunque tempore, sed ex illò præcisè, quò factæ sunt. In universum de nullà actione defini potest; voluntaria fit, an invita? Sed cum producitur actio & satis constat, quâ de causâ & quomodo agatur, tunc demum æstimari potest actio, fit ne voluntaria, an invita?

§. 17. Stat igitur firmò talò, quod actiones mixtæ simpliciter sint voluntariae. Quod egregiè d.l. confirmat Piccolomineus, quando exponit, denominationem debere accipi ab eo, quod formæ obtinet locum, non materiei, in eà actione, quæ mixta dicitur. *Quamvis res, quæ fit, absolutè sit mala, tamen ea, quæ actionem formant, reddunt eam spontè factam: insuper denominatio à fine ultimò præsertim petenda est, finis est majus bonum, propterea à ea actio magis spontè facta, & digna commendatione censeri debet.* Ex quò haud difficile est colligere, quod promissum, pactum, Jusjurandum, metu extorta nobis rectè imputentur, & obligationem imponere sint idònea. De quò alibi prolixius agemus,

## CAPUT SEXTUM

De

## NORMA ACTIONUM HUMANARUM.

§. 1.



Normæ vocabulum, quando pro regulâ sumitur, secundùm quam actiones humanæ bonæ vel malæ æstimantur, translata accipitur. *Μαίσα τὸ μέτρον εἶναι πρῶτον ἐκάστου γένους καὶ κρείττατα τῷ ποσῷ. Ἐπειδὴν γὰρ καὶ ἐπὶ τὰ ἄλλα ἰσχύουσι.* *Maximè normam vel mensuram esse primum cuiusque generis ac extensionis potissimum: hinc enim & ad alia tractatum est,* scribit Aristoteles L. X. Metaphys. c. 1.

§. 2. Complectitur norma, prout hōc locō significat, duplicem respectum. Unum in ordine ad actionem, cui debet quasi applicari, ut ex eâ dijudicetur; alterum in ordine ad potentiam cognoscentem istius, qui debet actiones suas normæ conformiter producere.

§. 3. Talis norma actionum humanarum Lex est, quam cognoscit homo & prout ejus actiones cum illâ vel conveniunt vel disconveniunt, bonæ vel malæ judicantur.

§. 4. Constat enim, quod hominibus non concessum sit quōcunque modō vivere pro nutu & arbitriō. Præclarè Cicerō: *Ut membra nobis ita data sunt, ut ad quandam rationem vivendi data esse appareant: Sic appetitio animi, quæ ἔρως græcè vocatur, non ad quodvis genus vite, sed ad quandam formam vivendi videtur data: itemq; & ratio, & perfecta ratio. Ut enim bistrioni actio, saltatori motus, non quivis, sed certus quidam est datus: Sic vita agenda est certō genere quōdam, non quolibet: quod genus conveniens consentaneumq; dicimus.* Vid. lib. 3. de finibus. Quemadmodum autem res quævis aliæ, quæ intelligendi facultate destituuntur, per naturales inclinationes in finem convenientem diriguntur; ita ratio, quâ præstamus cæteris animantibus, instruit hominem, quōd talem se præbere debeat, qui suæ præstantiæ & convenienter vivat, & ita se gerat in suis actionibus, ut finem illum, in quem conditus est, assequatur. Ejusmodi actionum hominem decentium in convenientem finem ordinatio, legis rationem habet.

§. 5. Hincbellè, uti videtur, Thomas describit Legem, quod sit *ordinatio rationis ad bonum commune ab eō, qui curam communitatis habet, promulgata.* 1. 2. q. 90. a. 4.

§. 6. Cum enim rationis officium sit, ordinare ad finem, qui in rebus p̄gendis primum est principium; per legem autem, tanquam per regulam

gulam actiones humanæ ad finem convenientem dirigi debeant: lex pro ordinatione rationis, sive in mente Divinâ, sive humanâ existentis, merito habetur. Si in mente Divinâ existit illa rationis ordinatio, Lex æterna dicitur, quæ nihil aliud est, quàm ratio gubernativa universi in mente Divinâ existens. Si verò rationis ordinatio in mente humanâ existit, nunc naturalis, nunc civilis Lex appellari solet.

§. 7. Quoniam autem omnes actiones humanæ tendunt ad finem ultimum, qui communis beatitudo est, etiam regulam humanarum actionum, qualem Legem esse diximus, ad bonum commune primò & principaliter respicere necesse est, adeò, ut quodvis aliud præceptum de re quâcunque non possit habere rationem legis, nisi quatenus ordinem dicit ad bonum commune.

§. 8. Hujusmodi rationis ordinatio ad bonum commune, non nisi ab eò proficisci potest, qui curam multitudinis habet, quoniam ordinare in finem, est ejus, cujus est proprius ille finis. Multitudo autem vel pro totâ universi communitate magnâ illâ Rerumpublicarum Republicâ, quam DEUS suâ providentiâ juxta legem æternam gubernat, vel pro aliquâ saltem societate perfectâ sumitur, cujus curam vel ipsa multitudo habet, vel persona una, vel plures, quæ vicem totius multitudinis gerunt.

§. 9. Cum tali rationis ordinatione indissolubili nexu conjuncta est obligatio, quæ quasi anima Legis est, & uberiore declaratione maximè digna, soletque idem, in plerisque Definitionibus, verbis perspicuis, sed diversis, exprimi. Sic Aristoteli Lex est oratio, à prudentiâ & intelligentiâ perfecta, vim habens cogendi. Vulgò dicitur dictamen rectæ rationis, homines in societate constitutos, ad honesta faciendâ & turpia vitanda obligans.

§. 10. Obligationis autem nomine intelligitur necessitas actionis in genere morum. Alii vocant obligationem qualitatem moralem, per quam quis præstare aut admittere vel pati quid necessitate morali dicitur. Jurisconsulti Romani vocant vinculum juris, quò necessitate adstringimur alicujus rei præstandæ. Etenim obligatio veluti frenum morale est, quod injicitur nostræ agendi libertati, ut in diversam partem, quàm quò illa ducit, tendere rectè non possimus.

§. 11. Non tamen ita hoc debet intelligi, quasi voluntatem hominis obligatio possit adeò stringere, ut physicè etiam & de factò in partem diversam flectere se nequeat. Nam obligatio moralem, non physicam necessitatem nobis imponit. Moralis autem necessitas ita est comparata, ut cum necessitate physicâ stare nequeat, quoniam omnis actio moralis, hoc est, moraliter necessaria, libera esse debet à necessitate physicâ. Differt enim obligatio à coactione, quâ quis infertur physicè, atque animus

per externam violentiam contra internam inclinationem ad agendum impellitur. Obligatio verò facit, ut ex internò animi motu agamus, atque ea, quæ nobis injunguntur, veluti nostrò iudiciò assensuque approbata, utique fieri debere percipiamus.

§. 12. Quò locò juvat expendere quæstionem : Unde trahat obligatio suam originem, num tantum & unice à superioris voluntate, an verò etiam à naturâ actuum quorundam? Haud dubiè rectè sentiunt, qui statuunt, quandam obligationem tantum & unice originem suam deducere à voluntate superioris; quandam verò fundari actuum naturâ, ut tamen superioris autoritas non excludatur, nempe istius, qui curam habet totius universi, quippe, quod rei natura requirit, efficacius injungit ejus voluntas. Non videtur enim dari posse vera obligatio, sine verò imperiò; ubi autem verum est imperium, ibi minimum duo sunt, quorum alter obligat, alter obligatur, alter imperat; alter parere saltem jure debet. At verò ipsam naturam actuum nos obligare, aut hominem sibi ipsi se obligare, propriè dici posse non videtur. Obligatio enim, præterquam quod nos dirigat, & quid agendum sit, injungat, etiam auctoritatem quandam eminentiorem & vim cogendi, quam inferior in superiori debet revereri, involvit. Illa verò auctoritas & vis cogendi neque à naturâ actuum, neque à nobis ipsis provenire potest, cum neque natura actuum homine, neque homo se ipso sit superior. Necesse est ergò, ut asseramus, in quavis obligatione respectum superioris involvi.

§. 13. Unde enim oriuntur impiorum assidua domesticæque furia; quæ illos rerrent, vexant & exagitant, nisi quod intelligant & persentiant, se dum obligationem violarunt, insimul ipsi Numini Divino repugnasse, cui obsequi ejusque auctoritatem colere & observare sanctissime debebant. Quamvis enim neminem mortalium revereantur, teneantque; sæpè, *illud in principatu beatissimum, quod nihil cogitur*, aut fraude adeo valeant; ut decipere possint homines, eorumque poenas effugere; animi tamen morsus, qui ipsos subinde pungunt & carpunt, effugere non possunt. Ut verò aliunde, quam ex sensu Imperii Divini eos deducamus, nulla adest ratio. Quod haud dubiè movit nonnullos, ut ab atheismo remedium peterent, sed adeo infauste & misere, ut ad tempus abjectâ Numinis reverentiâ, tantò acrioribus & vehementioribus aculeis retrò iterum recurrens, impiam mentem malè fodicaverit, sauciaverit, excruciaverit.

§. 14. Quemadmodum autem quædam per se sunt necessaria, ut fiant, vel omittantur, non verò quòd præcepta aut prohibita tantum sint ab aliquò, qui pro arbitriò circa ea possit disponere; v. g. subvenire extremè indigenti, abstinere furto, adulteriò, mendaciò: quædam autem necessaria sunt non per se & naturam suam, sed tantum propter voluntatem

tem

rem superioris; v. g. non gestare gladium, frumenta non exportare; ita etiam obligatio alia est naturalis & immutabilis, alia positiva & mutabilis.

§. 15. Obligatio naturalis & immutabilis dicitur, quæ originem ducit ex naturâ actus per se debiti, vel per se illiciti; e. g. obligatio naturalis datur ad cultum DEI, ad actum gratitudinis, ut committatur, ad actum invidiæ, ut omittatur. Positiva & mutabilis obligatio dicitur, quæ originem trahit unice, & tantum ex voluntate superioris, sive imperium habentis seu curam multitudinis gerentis, quâ talis. Hæc iterum prout is, qui habet imperium, vel DEUS est vel homo, in divinam & humanam dispescitur.

§. 16. Dum statuimus obligationem naturalem, nequaquam ab eâ voluntatem superioris removemus & excludimus, sed id saltem indicamus, quod illorum actuum, circa quos naturalis datur obligatio, ea sit conditio & indoles, ut non possit aliter de illis disponi, & contraria nobis obligatio injungi, adeoque in signo rationis, ut loquuntur, natura rei voluntatis decretum antecedit. Quoniam autem non minus a natura illorum natura, quàm ipsa recta ratio, per quam ejusmodi obligatio nobis innotescit, à DEO dependet, facile intelligi potest, quod etiam DEUS, cujus Imperium omnes veneramur & reveremur, nos ita velit obligari. Quia verò aliò & contrariò modo propter naturam illorum actuum nos obligari non possumus, neque DEUS nos aliter obligari vult, aut velle potest vel cupit, ideo dicitur obligatio illa naturalis & immutabilis.

§. 17. Neque ad positivam & mutabilem obligationem sufficit superior quicumque, sed is requiritur, qui habet imperium in eos, quos sibi obligatione obnoxios reddit, aut, ut Thomas loquitur, qui curam habet multitudinis.

§. 18. Inde apparet potentiam & vires solas non idoneas esse, ut alteri obligationem possit injungere. Ergo verè Plinius in Panegyri cap. 47. laudat Trajanum, quod *intuitu vni Legem, nature, que semper in ditione parentum esse liberos: passit, non uti inter pecudes, sic inter homines potestatem & imperium valentioribus dedit.* Licet enim robore validior cogere possit imbecilliozem; attamen per solas vires illas naturales obligationem ei non potest injungere. Lubrica quidem via est, contra simulam calcitrare, & prudentiæ advenatur, contra vires superioris incassum aliquid moliri; jus tamen resistendi & omnes tentandi vias, ut alterius vis repelli possit, romanet. Jus verò resistendi cum obligatione consistere, non potest, quia obligatio præsupponit tales causas, quæ intrinsecè hominis animum afficiunt & stringunt, ut ex proprio rationis dictamine, iudicet, non rectè adeoque non, nec solè resistere.



§. 19. Neque naturæ præstantia seu *virtus* ad producendam obligationem sufficit. Quemadmodum enim perfectionum gradus non sunt cum subordinatione & dependentiâ unius ab alterâ conjuncti; ita nec quælibet naturæ eminentia ad obligationem imponendam satis apta deprehenditur. Conveniens quidem est, ut naturæ excellentiam sequatur admiratio, & is imperet, qui cæteris est præstantior; obligandi tamen potestas non naturæ præstantiâ, sed imperiò vel per creationem, vel generationem, vel consensum legitimè acquisitò nititur.

§. 20. Ut per obligationem vim suam exercere possit lex, necesse est, ut legislator & lex ipsa innotescant. Hæc enim cognitio ubi deest, obligatio nullum locum habere potest. Siquidem ad normam requiritur, ut non solum ad rem ipsam, cujus norma est, sed & ad potentiam cognoscentem, quæ juxta normam rem dirigit, respectum ducat. Hinc sine ejusmodi cognitione Lex cassa & inanis est. Quomodo enim obedientiam præstare quis potest, si nescit, cui obedientiam præstare debeat, & ad quid teneatur? Sufficit tamen semel in hanc notitiam pervenisse, quam si quis tuâ postmodum culpâ decoxisse deprehenditur, obligatione nequaquam solvitur.

§. 21. Innotescit autem Lex per promulgationem. Per hanc enim ad instar regulæ vel normæ, illis, quibus proponitur, velut applicatur. Sive autem illud fiat vivâ voce, vel verbis in scripturam relatis, sive modo aliò nihil refert. Constat enim inter omnes, quod Divinitus naturam intelligentem acceperimus, cujus ope cognoscere & dijudicare possumus, quæ sunt honesta & humane dignitati consentanea, quæ verò turpia & indecora. Quamprimùm ergo incipimus ratione uti, & inter bonum & malum discernere, agendorum & omittendorum regula nobis actu applicatur, & cum effectu proponitur & promulgatur.

§. 22. Dividitur Lex in naturalem & voluntariam. *Lex naturalis est regula, indicans, aut alicuius ejus convenientiâ aut disconvenientiâ cum ipsâ naturâ rationali: moalem bonitatem aut malitiam inesse, & id propter naturæ auctore DEO aut præcipi aut prohiberi. Lex voluntaria est, quæ ex liberâ voluntate auctoris sui, quâ tali, originem suam ducit.*

§. 23. Differt Lex naturalis à voluntariâ, quod illa complectatur universalissimâ principia practica, & conclusiones ex illis deductas per evidentem & necessariam consequentiam: arbitraria autem Lex comprehendit propositiones, quæ à principis practicis primis distant adeò, ut consequentiæ necessitas & evidentia non cuilibet è multis appareant; obligant ratione, quia arbitriò illius, qui potestatem constituendi habet, potestæ sunt.

§. 24. Prætercâ distinguatur, quod Lex naturalis à DEI providentiâ  
unicè

unicè trahat originem; voluntaria dependet à liberâ Legislatoris voluntate. Illa in se debita præcipit, & in se illicita prohibet; hæc jubet ac vetat, quæ ex liberò Legislatoris placitò sunt constituta. Illa pertinet ad omnes homines, hæc ad suos cujusque Reip. Cives. Illa est juxta Ideam legis æternæ expressa; hæc verò est cujusvis Civitatis statui accommodata. Illa cum ipsò genere humanò cœpit & permanebit; hæc diversò tempore cœpit & durat. Illa per rectam rationem promulgatur: hæc modò variò, voce ac scriptò. Istius obligatio est interna & immutabilis; hujus externa & mutabilis. Illa una est per totum mundum; hæc tam varia, quam ipsæ Respublicæ.

§. 25. Voluntaria seu Arbitraria est vel divina vel humana. Quas non malè ita distingui deprehendimus, quòd naturalis & arbitraria divina conscientiam obligent directè, humana verò indirectè. Nam ad directam conscientiæ obligationem requirunt legislationem divinam; ad indirectam verò humana sufficit. Atqui naturales & arbitrariæ divinæ leges à DEO, humanæ verò ab hominibus immediatè dependent. Unde illæ conscientiam directè, hæc indirectè obligant.

§. 26. Utraque Lex, Divina & humana utilis, imò necessaria est. Divina quidem, quoniam tanta est humani judicii lubricitas, ut non raro de humanis actibus diversimodè censeatur, & in rebus præcipuè contingentibus & particularibus sententiarum divortia oriantur, adeòq; contrariæ prorsus leges inde procedant. Proinde utile, imò necessarium fuit, ut homo in suis actionibus per Leges etiam Divinas dirigeretur, quò absque omni dubitatione sciret, quid sectari in vitâ, quid averfari debeat. Leges quippe à DEO profectas veras & justas esse naturâ omnibus notum. Humana verò; quia pax & quies inter homines hæc ratione facillius obtineri potest. Sicut enim homo, si perfectus sit virtute, optimum animalium; ita si separatus à Lege & Justitiâ, pessimum omnium, & ad res turbandas proclive est, prout annotavit Aristoteles. Necesse ergo est, ut humanarum Legum arctiore disciplinâ & metu pœnæ ad virtutis studium adigatur.

§. 27. In hæc philosophiâ Lex naturalis præcipuè attendi solet. Consideramus enim actiones humanas, non quatenus ad hujus vel illius civitatis placita adornandæ sunt, sed quatenus juxta dictamen rectæ rationis institui debent, ut nil perpetretur, quod non cum naturâ humanâ per se conveniat. Quid autem cum naturâ humanâ per se conveniat & necessariò, vel non conveniat, Lex naturalis definit. Ergò hæc sola, vel saltem præcipuè, tanquam norma & regula actionum humanarum hoc loco considerari debet.

§. 28. In Legum propriè dictarum, quibus vis obligandi competit, numerò haberi non potest *permissio*, per quam actus aliquis, qui impediri

poterat, non impeditur. Dividitur permissio in eam, quæ est nudi facti, & illam, quæ fit Lege. Permissio nudi facti est mera remotio sive negatio impedimenti. Permissio, quæ Lege fit, est vel plena, vel plenâ minor. Permissio plena & perfecta est, quæ jus dat ad aliquid omninò licitè agendum, & tertium quemvis stringit, ne impedimentum ponat, si quis, quod lege permissum est, velit exercere; v.g. quando permittitur, ut privatus occidat proscriptum, permissio plena dicitur. Permissio minor plenâ sive imperfecta est, quæ tantùm dat impunitatem apud homines, & per modum conniventix indulget, non tamen vetat, quò minus id alii impediatur; v.g. Leges civiles permittunt marito occidere uxorem in adulteriò deprehensam, non tamen vetant, ne quis cædem impediatur.

§. 29. Ubi verò accuratè moneri solet, quòd propriè hujusmodi effectus non ex Legis permissione, sed ex suâ cujusq; libertate resultet. Quandoque enim nullâ lege actiones meæ amplius circumscribuntur, aut si Legis impedimentum, quod pro arbitriò agendi licentiam sufflaminabat, remouetur, naturalis libertas veluti ultrò reviviscit, cujus proprius est effectus, ut ne quis innoxium ejus exercitium turbet aut prohibeat.

§. 30. Legi opponitur ejusdem relaxatio & cessatio, quæ nihil aliud est, quàm remotio obligationis ab eò, qui subjectus erat Legi, ut qui Lege obligabatur, non amplius obligetur.

§. 31. Quia verò Lex naturalis secundum se convenit homini, in quòlibet statu eum obligat, & quidem eò perfectius, quò perfectior est status, in quò vivit. Retinet enim homo ubique suam naturam, & id propter semper manet obligatio, ut adeò relaxatio hic nullum locum possit invenire. DEUS quippe à seipsò suâque Justitiâ desciscere non potest, adeòque gratiam obligationis, quæ intelligenti creaturæ connaturalis, nemini mortisium, ne quidem absolutâ suâ potentiâ facere potest, siquidem impossibile est DEUM esse, hoc est, summè & immutabiliter justum esse, & quicquam injusti expressâ concessione permittere. Pertinet igitur relaxatio & cessatio saltem ad Legem arbitrariam.

§. 32. Oritur cessatio ex parte objecti & finis. Ex parte objecti, si observari nequeat, quin violetur aut negligatur Lex Naturæ aut alia magis obligans. Ex parte finis, si cessat finis, propter quem lata est, quod fieri solet, si non modò ad finem consequendum nihil amplius confert, sed etiam obesse incipit. Utraque illa Legis cessatio etiam citra Legislatoris consensum inducitur. Legislatoris verò autoritate & voluntate Legis obligatio aboletur, quando animadvertitur, majorem fructum ex Lege mutatâ & revocatâ, quàm perseverante obtineri.

§. 33. Potest autem obligatio removeri modò diversò. Vel enim ta removetur, ut Lex desinat esse Lex, aut ex totò, undè oritur abrogatio sive

five abolitio, aut ex parte, unde resultat derogatio; vel retinet obligatio. Legis suum rigorem in genere, removetur autem à certâ personâ, quam alias obligaret, unde nascitur dispensatio.

Describitur *abolitio*, quod sit *actus*, quò *Legislator efficit, ut id, quod Lex erat, simpliciter Lex esse desinat, nec quinquam amplius obliget*: ita sunt abrogatæ ceremoniales leges.

*Derogatio est actus, quò Legislator efficit, ut id, quod Lex erat, non in totum, sed in tantum Lex esse desinat, nec quinquam in tantum amplius obliget.*

*Dispensatio est remotio obligationis à certò subjectò Legis, manentibus omnibus eisdem circumstantiis, sub quibus Lex viget, alioque obligat*; v. g. quando Princeps gestationem gladii certis personis saltem permittit.

§. 34. Quemadmodum autem dispensationis beneficiò à certâ personâ in casu particulatâ obligatio Legis removetur; ita ubi simpliciter vel durabiliter obligatio removetur, *Privilegium* oritur. Hujus enim vi privatus à Lege vel perpetuo, vel saltem ad tempus à Legislatore definitum, ejusvè arbitriò reservatum eximitur.

§. 35. Cùm dispensatione non est confundenda æquitas, quæ nihil aliud est, quàm correctio Legis eâ in parte, quâ deficit ob suam universalitatem. Per quam correctionem genuinâ Legis interpretatio & dextrâ ejusdem applicatio ad singulas circumstantias intelligenda est. Intercedit autem inter æquitatem & dispensationem discriminem. Primò enim dispensatio obligationem removet: æquitas autem non removet obligationem; sed in aliquibus casibus nullam esse obligationem, docet & ostendit. Deinde dispensationem non nisi is, qui potestate legislatoriâ præditus est, adhibere potest; æquitatem autem etiam inferior magistratus non tantum adhibere potest, sed etiam debet, adeò, ut si nudam legis literam secutus fuerit eò in casu, ubi æquitati locus erat, contra mentem Legislatoris egisse censeatur. Demùm dispensatio in Leges saltem arbitrarias cadit: æquitas vero seu interpretatio etiam Legi naturali convenit.

§. 36. Quando æquitatem appellamus interpretationem, & utramque convenire indigitamus, non eò sensu id accipiendum est, quasi nudam verborum interpretationem intelligamus, quæ in genuinò sensu juxta Hermenevticæ regulas eruendo versatur: sed ejusmodi expositio animò concipiendâ est, quæ num ille casus singularis, qui fortè proponitur & objicitur, lege comprehendatur vel non, declarat & definit. Cùm enim circumstantiæ sint adeò multæ & variæ motique tam diversi, ut singula particularia determinare sit impossibile, non possunt leges non generaliter proponi. Proinde si contingit, ut casus nonnulli singulares & insoliti obiciantur, interpretatio accedat necesse est, quæ exponat, an lex de tali casu loquatur, an non?

§. 37. Strenuat exempli causâ , ut ob concursum objectorum duæ leges simul observari nequeant , sed dum facimus ea , quæ leges humanæ hic & nunc præcipiunt , impediamur ab observatione legis naturalis aut alterius , quam servari magis interest , & cumprimis decet. Tali in casu Æquitatis seu interpretationis officium postulatur , quò docemur , alteram legem ejusq; observationem tantisper seponendam , atq; præferendam esse legem alteram , quam servari magis conveniens censetur. Id enim Legi ejusq; auctori maximè consentaneum est , quoniam sanctissima naturæ placita contrariis legibus eludere aut publica commoda impedire , nemo sanus & justus cogitat , ut adeò ipse legislator , si præsens foret , atq; sententiam rogaretur , eandem legem præferri velle putandus sit. Quamvis necesse non sit , ejus sententiam rogari , utut ejus copia sit. Nam Interpretatio , quæ hujus est loci , non à potestate , sed à scientiâ dependet. Proinde is , cui certum & evidens est , utramq; legem servari non posse , suòmet ipsius judiciò stare atq; censere potest , talem casum singularem lege non comprehendit.

§. 38. Ut adeò appareat , quando vulgò cum Aristotele dicitur : *ἡ ἀρχὴ τῆς ἐπιτομῆς ἐστὶν ἡ ἀρχὴ τῆς ἐπιτομῆς* seu legis , illam emendationem seu correctionem non tam Legis esse , quàm opinionis , quæ exoriri potest , si vel lex non sufficienter intellecta , vel præsentis negotio secus , ac par erat , applicata fuerit : Nam *Lex id accipit , quod sit plerumque , non ignorans sanè , quandoq; deficere : Ὅνibilominùs rectè habet. Quippe defectus nec in lege est , nec in legislatore , sed in naturâ rei. Omnino enim rerum agendarum talis est materia* : annotante Aristotele §. Ethic. c. 10.

§. 39. Cæterum non re , sed verbi notione differunt , qui latius Interpretationem accipiunt. Licet enim invenire triplicem interpretationem , verborum , mentis & æquitatis. Verborum interpretatio adhibetur , si phrasis est insolens , aut verba obscura , peregrina , ambigüè posita , à communi usu remota , ut , quid significant , non appareat. Mentis interpretatio locum habet , cum verbis quidem claris & satis perspicuis , sed adeò indefinitè lex loquitur , ut in applicatione ad factum ex mente legis , certis rationibus collectâ , vel restrictione vel extensione opus sit. Æquitatis interpretatio accedit , quando de verbis & mente satis constat , sed Lex durivula & parùm æqua videtur , atque ideo emendatione quâdam & emollitione indiget. De verborum & mentis interpretationibus liquidum est , quod scientiæ sint , non potestatis. Sed æquitatis interpretatio hóc tertio sensu accepta solius potestatis est , & quidem summæ in Republicâ , siquidem non est veteris legis explanatio , sed novæ & æquioris , in locum veteris , substitutio , atq; prorsus eadem cum abrogatione aut mutatione legis , si generaliter & in univèrsum fiat ; cum dispensatione , si specialiter & in certò saltem casu eveniat. Vid. H. Conring. Disp. de Legibus §. 39.



MORUM ET JURIS  
SCIENTIÆ  
UNIVERSALIS  
LIBER SECUNDUS.

*De*  
*Subjecti, quod Actiones Humanae constituunt,*  
*Affectionibus,*

MORALI BONITATE ET MORALI  
MALITIA,  
 *nec non illis,*

Quæ utramq; consequuntur.

CAPUT PRIMUM

*De*  
MORALITATE ACTIONUM HUMANA-  
RUM IN COMMUNI.

§. I.



Actioni humanæ, postquam absoluta & perfecta est, peculiaris ratio supervenit, qualitas seu affectio moralis nonnullis appellata, unde vel bona vel mala, laudabilis vel culpabilis denominatur. Quæ causa est, quod vulgò dicant, actionem humanam duplici modo considerari posse, unò, in genere naturæ; alterò, in genere morum. Mò consideratur, quando, uti in se & naturâ seu entitate suâ est, prout nimirum à potentiis rationalibus proficiscitur, præcisè attenditur; hoc verò, quando spectatur, uti vel bonitatis vel malitiæ denominationem, justî vel

**F** iniqui,

iniqui, honesti vel turpis appellationem subit, & vel laudis vel vituperii capax esse judicatur. Ingens enim & manifestissimum est discrimen inter actionem humanam in genere naturæ, & in genere morum consideratam. Actionem in genere naturæ spectatam homo solus non producit, sed ad illam etiam DEUS concurret, à quò, tanquam causâ primâ, in esse, fieri & operari omnes easus secundæ dependent. Non posset igitur homo actionem humanam producere, nisi DEUS membra, vires corporis & locomotivam conservaret, sustentaretque facultates animæ, ut homo intelligere, appetere, eligere posset. Actio autem in genere morum spectata, ad solum hominem pertinet, quippe cui competit, actiones suas ad certam normam & regulam dirigere, atque ideo DEUS ipsi concessit potentias rationales, ut actiones suas referat ad certam normam ipsi pariter propositam, quas etiam probat, & sublevat. Unde, quod in actione humanâ est normæ vel conveniens, vel disconveniens, illud hominis proprium & peculiare judicatur, & prout rectè, an secus, applicatio ad regulam facta fuerit, bonus vel malus denominatur. Quod ipsum Moralitatis unitatissimò vocabulò indigitare consueverunt.

§. 2. Convenit ferè inter Doctores, actionum humanarum Moralitatem in quâdam relatione sepius habitudinè ad aliud consistere. Illud verò, ad quod referri debet actio humana, utrum sit lex DEI æterna & æternæ recta ratio, an naturæ rationalis ut rationalis? non adeo exploratum & definitum est. Liquidum tamen & satis planum reddi haud difficultè negotiò poterit.

§. 3. Majoribus difficultatibus obnoxium vel saltem acriori animorum contentione disceptatum est: an Moralitas sit habitudo ad O. M. Numinis tanquam summi Legislatoris voluntatem, quæ lege naturali manifestata & expressa est, an verò ad naturam actuum?

§. 4. Ut rem clariorem reddamus, exempla haud parcè adducemus. Debet autem cautio hic adhiberi, ne illas formulas, quæ nudum motum Physicum denotant, confundamus cum vocabulis, quæ moralitatem exprimunt. Sic loqui, scribere, manum extendere, lapidem emittere, arma vibrare, concumbere, rem de loco in locum transferre, ignem excitare, & plurima alia exprimunt meros & simplices motus Physicos, qui utique neque boni neque mali sunt. Sed mentiri, blasphemare, calumniari, armis lædere innocentem, scortari, moechari, incestum committere, furari, & infinita alia non nudum motum Physicum denotant, sed modum aliquem moralem, seu moraliter malum. Pari se modò res habet circa motus animi. Amare, honorare, sperare, probare, gaudere, dolere, & similia, neque bona neque mala sunt; Prout autem illi motus ver-

stantur

**Suntur circa objecta particularia, boni vel mali sunt, v. gr. amare Deum, honorare Deum, sperare in Deo, probare bonum, gaudere bonis eventibus bonorum, dolere ob peccata, sunt bonæ actiones. Contrà amare vitia, honorare Idola, sperare in Diabolo, probare peccata, gaudere calamitatibus innocentum, dolere ob virtute præditorum & bene meritorum hominum ressecundas, sunt actiones malæ.**

§. 5. De his & similibus actionibus humanis, bonis & malis, queritur, an illarum moralitas, bonitas vel malitia, resultet ex habitu ad voluntatem DEI lege naturali expressam, num verò ex illarum actionum naturâ, adeòque per & propter ipsam earundem naturam sint moraliter bonæ vel malæ?

§. 6. Ex habitu ad voluntatem DEI earundem moralitatem resultare ideò assertum fuit, quia fatentur omnes, Deum uti omnia, ita & hominem liberrimâ voluntate creâsse. Nullâ ratione igitur fieri posse, ut actionibus humanis aliqua competat affectio, quæ ex necessitate intrinsecâ & absolutâ extra DEI impositionem & beneplacitum promanet. Proinde aliquas actiones humanas moraliter bonas vel malas esse, honestas vel turpes, quia eas fieri aut omitti maxime requirebat conditio naturæ, quam Creator homini liberè attribuit. Esse quippe primò omnium concipiendum hominem, tanquam creaturam rationalem, à DEO liberè producendam. Inde habitudinem ipsorum actuum humanorum juxta normam dirigi aptorum. Post hanc legem, tanquam normam, ad quam actus isti necessariò referendi & dirigendi sunt, ac demum concipiendam esse moralitatem, honestatem vel turpitudinem, tanquam affectiones actuum ad normam relatorum.

§. 7. Ex naturâ verò actuum moralitatem originem ducere, seu resultare statuitur, quia primò in apicò positum est, quod DEUS non possit ferre leges contrarias illis legibus naturalibus, quæ jam latæ & omnium hominum cordibus sunt inscriptæ. Quod si verò nullæ actiones humanæ in naturâ suâ essent moraliter bonæ vel malæ, utique DEUS latas leges naturales abrogare, & novas iisque contrarias ferre posset, cum quilibet humanus Magistratus leges suas, quas circa eas actiones, quæ in naturâ suâ neque bonæ sunt neque malæ, tulit, abrogare, & novas possit promulgare. Deinde si nullæ actiones humanæ essent in suâ naturâ moraliter bonæ vel malæ, nullum discrimen inter leges civiles & naturales relinqueretur. Demum si nullæ actiones humanæ essent in naturâ suâ bonæ vel malæ, sequeretur, DEUM posse facere omne possibile realiter à se distinctum, quod in genere naturæ nullam involvit in DEO imperfectionem, quod tamen longè est falsissimum. Sanè si DEUS contraria præcepta



cepta hominum cordibus inscriberet, ex eò nulla imperfectio in genere naturæ redundaret in DEUM. Repugnat autem DEUM justissimum & sanctissimum hominum cordibus præcepta contraria inscribere, quia moralem involvit imperfectionem, quod inde constat, quoniam præcepta contraria id injungerent, quod naturæ rationali disconveniret, adeoque in se turpe esset. Hinc inter confectaria certissima & extrinsecus controversiæ periculum posita referri solent assertiones sequentes: Primo: Nihil morale est, nisi ratione ex naturâ rerum petitâ nitatur, & è contrariò ea, quorum ratio ex naturâ rerum reddi non potest, non sunt Moralia. Secundo: Moralia, licet nullâ lege jubeantur, nihilominus æquè servanda sunt; Et si quâ etiam lege divinâ vel humanâ jubeantur, moralia ideò non efficiuntur aut formantur, sed confirmantur & illustrantur. Tertio: Moralia apud omnes eadem & æterna sunt: quia nimirum rerum natura & connexio necessaria & consequenter æterna est.

§. 8. Ultraque sententiæ satis congrua est, nec si verborum & conceptuum demas discrimina, se mutuo impugnant. Id quod ut evidentissimè intelligatur, observandum est, circa Moralitatem considerari debere ejus primo formalem rationem, deinde fundamentum. Formalis ratio est habitudo ad legem naturalem, cum quâ actio humana convenit vel non convenit. Fundamentum est ipsa natura actuum, cui innititur habitudo illa ad legem, seu actionis cum lege convenientia vel disconvenientia, v. gr. Sacrilegii natura est fundamentum & ratio ultima, cur non conveniat cum lege: Ipsa autem disconvenientia illius actus cum lege, ratio formalis est, per quam est, & formaliter dicitur ille actus moraliter malus. Pariter cultus divini natura fundamentum & ratio est, cur conveniat cum lege naturali: Ipsa autem istius actus convenientia cum lege, ratio formalis est, unde moraliter bonus censetur. Ut adeò habitudo ad legem naturalem seu convenientia & disconvenientia cum lege naturali sit formalis ratio, ex quâ liquidò cognoscimus, an aliquid moraliter bonum vel malum, per se honestum vel turpe sit. Siquidem Lex naturalis actionum humanarum norma est, unde illarum bonitas vel malitia merito dijudicatur. Ut autem actio ad legem referri eique applicari possit, certa natura & aptitudo in eâ requiritur, atque id propter recte ipsa natura actionum pro fundamento, earundem verò habitudo ad legem, pro formali ratione moralitatis haberi videtur.

§. 9. Quod nunc attinet sententias allatas, quæ diversæ videbantur, apparet evidenter, quod illa, quæ originem moralitatis deducit ex habitudine, quam habet actio ad voluntatem DEI, lege naturali expressam

fam & manifestatam, de moralitatis ratione formali loquatur. Altera vero, quæ ex naturâ actuum eorundem moralitatem resultare dicit, de moralitatis fundamentò intelligenda est. Unde consequitur, quod adversis frontibus nequaquam pugnent, & sine difficultate conciliari queant. Congruunt etiam in eo, quod illæ actiones humanæ, quæ per se honestæ, & per se illicitæ dici solent, adeò naturæ rationali & sociali conveniant, vel non conveniant, ut aliter circa naturam humanam disponi, & contra illa præcepta promulgari non possint. Quando autem circa quæstionem de origine moralitatis, etiam voluntatis divinæ rationem habendam esse dicitur, non more hominum id intelligi debet, qui etiam male coherentia velle possunt, & subjectis occinere solent; *Sic volo, sic jubeo*; Sed ita hoc loco concipienda est DEI voluntas, uti sese ad conditionem naturæ humanæ attemperavit, eamque ad vivendi modum ipsi convenientem volens libensque adstrinxit. Est enim DEUS Ens Sapientissimum & perfectissimum, ejus natura non permittit, aliter circa hominem disponere, quam ejus natura requirit, adeoque nequaquam licet voluntatem DEI tanquam meram libidinem fingere, nullâ ratione subnixam, & quæ nullum alium scopum habeat, quam ut libertas subjectorum circumscribatur. Sed quia Creator naturam hominis ita formavit, ut nisi observatis legibus naturalibus felix & incolumis esse nequeat, consequitur ultro, quod fundamentum & ultima ratio harum legum sit, quia earum observatio ad naturam & conditionem hominis ita est applicata commode, ut ex illâ hujus incolumitas & felicitas oriantur, sicut ejusdem neglectum ærumnæ & afflictiones sequuntur, quas tandem miserabilis excipere solet interitus.

§. 10. Juvat ergo in disquisitione de moralitatis origine ad legem naturalem respicere, & hujus causam efficientem cum fundamentò vel ratione ultimâ non confundere, sed accuratè discernere. Quando de causâ efficiente Legis Naturalis quæritur, intrepidè asserendum est quod, ut cæteræ res omnes, à DEO O. M. tanquam Autore suo dependeat. Quod qui negat, in DEUM Creatorem injuriosè est. Si verò de fundamentò ejus quæstio intelligitur, dicendum est, id naturam actuum & necessariam rerum connexionem esse. Quamvis enim DEUS liberè omnia voluerit, & liberè omnia produxerit, nonnulla tamen in ejusmodi rerum ordinem compacta sunt, ut inde quædam necessariò consequantur. Et hæc talia nunc sunt, non quia DEUS vult vel non vult, sed quia sunt talia, etiam DEUS illa vult vel non vult. Quod intelligitur, quando vulgò dicitur, quædam antecedenter ad DEI voluntatem bona vel mala esse. Quæ pertinent illa omnia, quæ juris naturalis complexu continentur,

tinentur, & propterea illis opponuntur, quæ ad Leges arbitrarias, foren-  
ses & ceremoniales spectant. Quæ enim his sunt definita, consequen-  
ter ad DEI voluntatem bona vel mala sunt. Jam verò, quoniam Mora-  
litas ex habitudine ad legem naturalem oritur, eadem origo moralitati  
adjudicanda erit, quam legi naturali tribuimus, ut profiteri debeamus,  
actiones esse ac fieri moraliter bonas aut malas, quando cum legibus na-  
turalibus à DEO promulgatis conveniunt aut disconveniunt. Quemad-  
modum autem leges naturales non ex libidine quâdam, & mere arbitra-  
riò motu latæ sunt, sed rationibus nituntur hominis naturæ maximè at-  
temperatis; ita insimul intelligitur, cur ipsa natura rerum pro fundamen-  
tò seu ratione ultimâ moralitatis haberi debeat.

§. 11. Neque est, ut illi, qui naturam humanam moralitatis actionum  
humanarum fundamentum constituunt, DEO adjungere videantur prin-  
cipium aliquod æternum extrinsecum, quod independens sit, & tanquam  
æternam aliquam regulam ipse DEUS in assignandis rerum formis sequi  
necessum habeat. Nam natura humana utique DEUM, tanquam Au-  
torem & Creatorem suum, respicit, adeoque nequaquam independens  
est. Proinde nequit existimari, quod illi, qui naturam humanam mora-  
litas actionum humanarum fundamentum constituunt, DEO aliquod  
æternum extrinsecum & independens principium adjungant. Licet  
enim dicatur, moralitatem, h. e. honestatem & turpitudinem natura-  
lem sese antecedenter ad DEI voluntatem habere, istud tamen, ex quò  
moralitas resultat, à DEO dependet. Quoniam autem DEUS, non  
tantum Ens sanctissimum, sed etiam sapientissimum est, non permittit  
ejus natura, ut alias affectiones homini tribuat, quam quas ipsius essentia  
requirit. Est enim effatum illud æternæ veritatis: Talia sunt prædicata,  
qualia permittuntur esse à suis subjectis. Homo igitur obligatur ad id,  
quod in se bonum est, non consequenter ad DEI voluntatem, h. e. non  
ideo, quia DEUS ita vult, ut possit aliter velle, atque contrariam agendi  
necessitatem imponere homini; sed antecedenter ad DEI voluntatem,  
h. e. quia natura rationalis ita requirit, quam ipse DEUS sapientissimè  
condidit, ut aliter velle, seu contraria officia homini nequeat injungere.  
Quod adeò manifestum & perspicuum est, ut ab omnibus, qui ratione non  
abutuntur, facillè intelligi possit.

§. 12. Altercationibus verò super hâc re exortis occasionem haud  
dubiè præbuit vox *impositio*, quæ pro ejusmodi determinatione, quæ citra  
fundamentum in re, ex solò placitò imponentis provenit, passim accepta  
fuit. Enim verò illud vocabulum adeò latè debuit sumi, ut ea quoque in-  
telligantur, quæ ex positâ voluntate ac dispositione auctoris non possunt non con-  
sequi,

sequi, si quidem ille sibi ipse constare debet. Ut adeo alia impositio sit, quæ nil nisi merum placitum imponentis præsupponit; alia, quæ prove- nit, ex necessariâ consecutione eorum, quæ prius ab eodem liberè deter- minata erant. Illa in legibus & Institutis positivis, hæc in actibus huma- nis ad legem naturalem spectantibus, cernitur; quippe DEUS liberè ta- lem homini naturam assignavit, talemque finem præfixit, ut certæ actio- nes non possint non eidem convenire vel disconvenire.

§. 13. Ex his, quæ disseruimus, etiam patere potest, quod Morali- tas formaliter non in habitudine ad naturam rationalem ut rationalem consistat, quoniam natura rationalis ad fundamentum moralitatis re- ferri debet. In habitudine autem ad rectam rationem moralitatem non consistere, inde apparet, quoniam rectæ rationis opè saltem investigare & cognoscere debemus, quid moraliter bonum, quid malum sit, ut illud consequi, hoc fugere queamus. Qui moralitatem in habitudine ad le- gem DEI æternam collocant, haud ita procul à verò absunt. Quoniam est, hominique ita conjuncta, ut cum eò circumambulet, eundemque semper & ubique concomiteretur, Lex verò DEI æterna, homini extrin- seca; fatius est, ut asseramus, moralitatem actionum humanarum consi- stere in habitudine ad legem naturalem, quippe quæ illarum norma est & regula præsentissima, quam in se ipso invenire potest, ut prolixiori inda- gatione opus non habeat.

§. 14. Proinde moralitas actionum nihil aliud est, quam habitudo earundem ad legem naturalem. Quando enim actio, quam homo sciens ac volens producit, refertur ad legem naturalem, tanquam normam & regulam moralem, tunc ex applicatione illâ resultat peculiaris quædam habitudo, quæ Moralitas nominatur.



CAPIT

## CAPUT SECUNDUM

De  
MORALI BONITATE ET MORALI  
MALITIA, ALISQUE MORALITATIS  
DIVISIONIBUS.

## §. 1.



Moralitas, quam ex applicatione actionis humanæ ad Legem naturalem resultare diximus, duplex est, Bona & Mala. Illa, bonitas moralis aliàs dicta, est convenientia actionis humanæ cum lege naturali. Hæc, aliàs malitia moralis appellata, est disconvenientia seu exorbitantia actionis humanæ à lege naturali.

§. 2. Ut autem actio humana cum lege naturali convenire, & moraliter bona censeatur, requiritur, ut omnia singularia seu circumstantiæ, in quibus quasi hæret actio, cum lege naturali conveniant. Ad malam verò actionem sufficit; si vel unica circumstantia legi naturali est difformis. Hinc dici vulgò solet: *Bonum non nascitur, nisi ex causâ integrâ, Malum oritur ex quolibet defectu.* Quod Thomas ita effert: *Ad hoc, quod aliquid sit malum, sufficit unus singularis defectus: ad hoc autem, quod sit simpliciter bonum, non sufficit unum singulare bonum, sed requiritur integritas bonitatis.* l. 1. qu. 20. art. 2.

§. 3. Neque malè hanc rem illustrant Roberti Sanderfoni verba Prælect. 2. de obligatione conscientiz: *Celebre est illud axioma, bonum ex causâ integrâ, malum ex quolibet defectu: Et constat in omni genere rerum plura ad construendum requiri, quàm ad destruendum. Sufficit quidem defectus bonæ intentionis ad hoc, ut aliqua actio sit mala, (cujus enim finis malus est, id ipsum malum est) sed non sufficit aut finis bonus, aut bona intentio ad hoc, ut actio sit bona, nisi adsint Et cæteræ conditiones requisitæ. Requiritur autem ad hoc, ut actio aliqua, sive interioris voluntatis; sive exterioris operis, sit bona, tres distinctæ bonitates: bonitas scilicet objecti, bonitas finis, Et bonitas circumstantiarum Et c.* Hinc si privatus aliquis læsus lædenti retribuit idem, & æquale refert æquali, actus talis non habetur pro actu punitionis sive pœnâ, sed pro vindictâ privatâ, quia aberrat à lege causa efficiens. Circa materiam aberrat à lege, si quis de re alienâ distribuatur pauperibus. Qui per injuriam alterius gratitudinem exhibet benefactori suo, peccat, quia formæ (quomodo) circumstantia mala est. Qui prodesse vult, ut postmodum noceat, peccat propter intentionem malam, i. e. propter extremitatem circumstantiæ finis. Qui diebus festis res & functiones ordinarias, non urgente necessita-

cessitate, peragit, actionem edit, quæ mala evadit propter circumstantiam temporis. Locus etiam sit opportunus & conficiendo negotio destinatus, Secus, rem in se felicitam, turpem reddere satis est idoneus.

§. 4. Intentionis vulgò magna vis creditur, & ejus una & sola bonitas ad actionis humanæ moralem bonitatem sufficere judicatur. Quod significat, nescio cuius, è triviò versiculus: *Quicquid agunt homines, intentio judicat* *Was.* Cum quò & illud convenit: *Quantum bonum intendis, tantum facis.* Huc etiam locus trahitur *Matth. VI. 22. Si oculus tuus sit simplex, & totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus sit pravus, erit totum corpus tuum tenebrosam.* Nam per oculum intelligunt intentionem. At enim non una sed diversa ratio est intentionis. Si sumitur intentio pro intuitu boni, in quod fertur voluntas præcisè, absq; consideratione & applicatione mediorum, tunc nihil aliud est, quàm mera appetitio, quâ nihil efficitur, ut si quis dicat, se intendere gloriam Dei, utilitatem & voluptatem propriam; sed nihil conetur agere. Talis intentio, sicuti nullam actionem producit, ita etiam nullam actionem humanam moraliter bonam efficere potest. Sed alia ratio est istius intentionis, quæ non in nudâ cogitatione ac simplici appetitione consistit, sed applicat media, & conjunctam habet integram ordinationem totius processûs, à principiò ad extremum. Hæc intentio aliquid efficit, sed licet ipsa bona sit, nisi tamen & media, quæ applicat, bona sint, & integra ordinatio benè habeat, actionem humanam moraliter bonam non potest efficere. Ut actio sit moraliter bona, equidem intentio requiritur, unde qui ex casu benè agit, propriè non dicitur benè agere positivè, sed saltem negativè, h. e. non malè; sola tamen intentio bona non sufficit ad actionis humanæ bonam moralitatem constituendam. Qui bonâ intentione nituntur, & alibi deficiunt vel impingunt, in illos quadrat, quod dicitur: *Benè curritis, sed extrâ viam.* Sic non licet alterum afficere injuriâ, ut adversus alterum exhibeamus gratum animum. Scitum est illud Bernhardi: *Ut oculus sit simplex, duo sunt necessaria: Scilicet ut veritas sit in electione, & charitas in intentione.* Tametsi autem cætera benè se habeant, sola tamen intentio mala sufficit ad actionis humanæ malam moralitatem producendam. Unde nullum præmium meretur, qui, dum nocere voluit, & damnum inferre annisus est, maximè profuit, & summum attulit emolumentum.

§. 5. Moralitas ita strictè declarata non potest commodè dividi in Ethicam & Politicam. Ethicam moralitatem vocant habitudinem omnium Circumstantiarum ad legem naturalem, ut tamen primariò consistat in actibus elicitis, secundariò verò in imperatis. Hæc nobis absolutè dicitur Moralitas bona. Hinc pariter requirunt ad actionem moraliter & ethicè bonam, ceu loquuntur, ut omnes circumstantiæ morales rectè se habeant, atque vitiari actionem, si vel una non rectè se haber. Politicam moralita-

tem saltem in imperatis actibus consistere docent, eandemque judicari secundum ea tantum, quæ in oculos incurrunt, aut aliàs probari possunt.

§. 6. Cœterum non abs re est, Politicam Moralitatem, quam vocant, à moralitate Ethicâ, seu absolutè dictâ, diligentius distinguere. Solent enim prolium mortales pessimi quique; prava animi consilia tam astutè dissimulare, atque privatis similitudinibus sæpè publicum tam scitè prætexere, atque dum scelera cogitant, probitatem tam speciosè præ se ferre, ac simplicitatis colorem an fucum, versutissimæ malitiæ tam assidue superinducere, ut ferè ambiguum sit, quibus signis & indiciis probos ab improbis, sinceros à callidis discernere debeamus, & quibus tutò & sincerè confidere queamus. Nam propemodum verè dixit, qui dixit: *In nomine Domini incipit omne malum*, quatenus nimirum gloriâ DEI bellis, tumultibus, rixosis contentionibus & pessimis moliminibus prætexitur. Quod licet summum seculi dedecus & opprobrium sit, dicendum tamen est, & tangendum ulcus, ut *ἐπιπλήρη τῆς κακολογίας*, & ex animò probi meliùs sibi consulant & caveant.

§. 7. Possunt autem inter bonitatem moralem absolutè dictam seu Ethicè talem & Politicam isti limites constitui. Bonitas moralis Politica hominem in judiciò humanò absolvit: Bonitas moralis absolutè etiam in forò conscientiæ hominem reddit tranquillum. Juxtâ bonitatem moralem absolutè talem Philosophi Ethici intrinsecam actionum perfectionem intellectû metiuntur; juxtâ Politicam bonitatem moralem Judices Politici in forò humanò (quod ob defectum *κατανοήσεως* cogitur esse contentum sensuum judiciò) de justò & injustò pronunciant. Legimus hîc vestigia doctissimi & integerrimi viri *Jacobi Thomasi*, quem vide in Annot. ad Phil. Pract. XIV. & XLVI. Quod in animò etiam habuisse videtur *Tullium*, quando L. 3. off. scripsit: *Aliter leges, aliter Philosophi tollunt astutias. Leges quatenus manu tenere res possunt: Philosophi, quatenus ratione & intelligentiâ.*

§. 8. Qui naturalem & positivam moralitatem constituunt, voce moralitatis in significatû laxiori pariter utuntur. Vocant autem moralitatem naturalem, quam nos absolutè diximus moralitatem, & per habitudinem ad Jus naturale declarant. Moralitatem positivam vocare videntur, quæ habitudinem dicit non tam ad legem naturalem, quàm ad constitutionem legi naturali non contrariam, sed maximè convenientem, adeòque sanctissimè servandam. Non tamen dissimulant, quod moralitas naturalis sit strictè; moralitas positiva verò sit laxè moralis. Unde profitentur, illam cum moralitate simpliciter dictâ coincidere; hanc autem inferioris esse conditionis, præprimis autem ad proprietates aliquas vel accidentia, quæ aliàs Jus naturale morale, vel ea, quæ sunt moralia strictè sic dicta, insequuntur, accedere.

§. 9. Horum terminorum mentio fieri solet in quaestione de Moralitate

circu Sabbathi. Statuunt Nolrates, vi præcepti antiquissimi, quod in Decalogo continetur, Christianos obligari ad sanctificandum Sabbathum, i. e. ad certum tempus divino cultui, externo quidem & publico, dicendum, idè, quod præceptum illud non planè ceremoniale fuerit, sed morale quippiam, quòd immutabile sit ac perpetuum, contineat. Quando autem quaeritur ulterius, quousque illud morale, quod in præcepto de Sabbatho sanctificandò continetur, se extendat? non una eademq; omnium est sententia. Quidam existimant, hoc esse morale, ut in quâlibet hebdomade dies unus à profanis negotiis liber servetur, & cultui divino tribuatur. Si pressius inquiritur: utrum ipsum lumen naturæ seu recta ratio hominibus id dicitur, ut ex septem diebus continuis unum semper sacris impendant? denuò scinduntur illi in partes. Nonnulli enim contendunt, ipsò Jure naturæ necessarium esse, ut aliquam diem ex septiduo cultui divino, & quidem publico, tribuamus. Quò nomine laudant non tantum mores gentilium, qui septimam quemque diem religiosè habuerunt, sed & provocant ad rationem conformandæ creaturæ cum creatore, qui septimò die quievit ab opere suo, & septimum diem sanctificavit. Quidam verò malunt distinguere inter jus morale naturale & jus morale positivum. Ad illud referunt præceptum de aliquò, sed indeterminatò tempore ad cultum divinum externum destinandò; ad hoc verò pertinere putant circumstantiam unius diei in quâlibet septimanâ. Quod alii innuunt, quando diem septimum materialiter, non formaliter acceptum, cultui divino consecrandum esse statuunt. Vid. B. D. Johannis Musæi Programma peculiare hæc de re.

§. 10. Ut verò illorum terminorum vis & usus satis quæant intelligi, B. D. Majoris, Theologi Jenensis, verba subjungemus. Is verò in Diss. de Sabbatho? *Nos illis, inquit, subscribimus, qui primò id juris moralis naturalis esse contendunt, tam cultum externum, tam tempus aliquod cultus divini, nec non vacationem ab operibus cultum sacrum impediens. Secundo Juris verò moralis positivi esse circumstantiam septimi diei in quòvis orbe hebdomadario. Tertio, juris mere ceremonialis fuisse diem septimum & ultimum septimane in se & suâ naturâ mutabilem, sed stante Politia Judaicâ ex supposito immutabilem.* Simili modò locutus est B. D. Dannhæverus, cujus verba ita se habent: *Nos breviter dicimus I. Juris moralis naturalis esse, & cultum externum, & tempus aliquod cultus, vacationem à laboribus cultum sacrum impediens. II. Juris moralis positivi esse circumstantiam septimi diei in quòvis orbe hebdomadario, post exactos sex laboris dies, undecumq; orbem hebdomadarium incipias. Quia verba textus clara sunt, sex dies operaberis, septimus erit feriatum. Quia ex hæc consâjudicavit primitiva Ecclesia, septenarium non esse mutandum. III. Juris Ceremonialis fuisse septimum, hoc est, ultimum septimane Judaicæ diem &c.* Vid. D. Jo. Adamus Osiander, Theologus Tubingensis, in dissertationibus



de Sabbatho. Ubi Tit. de Moralitate Sabbathi §. 10. ipse hoc modo dicitur: Nos rejectis illis, quæ operosiori tractationi ansam præbent, principaliter illud ostendere intendimus, præceptum hoc mixti esse generis, & præter ceremoniale illud, quod in V. T. viguit, aliquid completi moralitatis, præprimis quantum ad circumstantiam septimi diei indefinitè talis, scilicet juxta supra adductam distinctionem & moralis, quod hic de secundâ specie volumus intellegendum, nempe de morali positiva, quanquam enim non negemus illud naturale supra assignatum, sufficit tamen nobis obtinuisse præceptum tertium non esse pure ceremoniale, sed suâ quoque gaudere moralitate.

§. 11. Haud dubie iterum alia & diversa notio huic verbo subijcitur, quando morale in externum & internum dividitur. Illud etiam licitum, hoc dicitur honestum, illud ad forum Soli, hoc ad forum Poli conscientia vè pertinet. Morale internum est illa ipsa Moralitas bona, quam ex convenientiâ cum lege naturali provenire diximus. Morale externum dicitur, quando illud, quod naturaliter injustum, civitas vel tolerat, vel in leges suas deducit, quò societati, justitiæ, paci, pro ingeniorum & circumstantiarum diversitate serviat, & adeò non sine piâ & justâ ratione exorbitare videatur. Hæc referuntur Præscriptiones, Polygamia & divortia in Jure veteri, transfugæ receptio, circumventio vel circumscriptio contrahentium, concubinatus &c. Enimverò in hac Philosophiâ nihil moraliter bonum dicitur, nisi quod cum lege naturali convenit. Nec quæ morale externum seu licitum tanquam medium inter Honestum & Turpe afferunt, illud aliâ profitentur, quam extrinsecâ ratione participare cum Bonò & respectu impunitatis, non bonitate morali internâ. Quantamvis hujusmodi Licitis nonnunquam & naturaliter addatur, ut cum dicitur: Naturaliter in corpus suum se vire licere; tamen & naturaliter non de jure ac honestate naturali primavâ, sed de Licentiâ & Impunitate Juris naturæ secundarii & Gentium accipiendum est. Vid. omninò Jo. Schilterus, Consil. Aul. Saxonicus, in Man. c. 6. §. 18. seqq.

§. 12. Præterea obscurum esse nequit, quòd multum differant actio humana, & actio moralis. Primò enim absolvitur actio humana scientiâ & voluntate; Moralis verò actio superaddit actioni humanæ, h. e. actioni à sciente & volente productæ, respectum ad legem naturalem. Deinde dantur ex quorundam opinione actiones humanæ, quæ propriè morales non sunt, videlicet indifferentes, quæ deliberatò & liberè producuntur, morales tamen non sunt, quoniam nullam habitudinem ad legem naturalem involvunt, nisi fortè quis cum nonnullis moralem actionem vocare velit, quæ nobis humanæ dicitur, quò sensu moralis, humana, libera, proteretica actio æquipollent, hoc autem locò, ut apparet, moralis actio strictius accipitur.

# CAPUT TERTIUM

## De CIRCUMSTANTIIS MORALIBUS,

ET QUIDEM

### I. DE NATURA CIRCUMSTANTIARUM MORALIUM IN GENERE.

§. 1.



Circumstantias actionum humanarum aliquid extra substantiam actus significare, quod tamen ad actum pertinet, ex ipsis vocum notionibus intelligimus, & recepto loquendi usu confirmamur.

§. 2. Hinc non obscure illarum naturam exponimus, si circumstantias morales actionum humanarum accidentia denominaverimus.

§. 3. Sunt enim in actione humana duo consideranda. Primo ipsa actio in se & secundum causas, quae actionem humanam constituunt & absolunt. Secundo quoad condiciones adjunctas, quae ipsam actionis substantiam non ingrediuntur, sed vel ipsam actionem attingunt, vel causis saltem, quae substantiam actionis constituunt, adjunguntur, vel alio modo ad illam accedunt; quaecunque autem actioni humanae his rationibus adveniunt, non ipsa actionis humanae substantiae, sed ejus accidentia reputari debent. Unde vulgo dicitur, quod circumstantiae non sint de substantia actionis humanae, sed ad substantiam actionis humanae pertineant.

§. 4. Hinc non incommode circumstantiae nomen ab illis, quae in loco sunt, ad ea, quae actiones humanas attingunt, translatum creditur. Quemadmodum enim proprie illud dicitur circumstare, quod rei extrinsecum est, illam tamen attingit, aut ei quoad locum appropinquat; ita quaecunque condiciones extra substantiam actus humani positae sunt, illum tamen attingunt aliquo modo, circumstantiae dicuntur. Vid. Doctor Angelicus 1. 2. qu. 7. Art. 1.

§. 5. Ubi cum primis consideratum dignum est, quod dicitur vulgo, circumstantias non de substantia actus esse, sed ad substantiam actus pertinere. Videntur enim causae ipsius actus. Nam **QUIS** pertinet ad causam efficientem, **PROPTER QUID** ad finalem, **CIRCA QUID** ad mate-

materialem. Proinde neque **QUIS** neque **PROPTER QUID**, neque **CIRCA QUID** erunt circumstantiæ, aut dicendum, circumstantias ipsam substantiam actionis humanæ ingredi, non verò nuda ejus accidentia esse, de substantiâ actûs esse, non verò actionem tantum attingere, vel modò alio ad illam saltem pertinere.

§. 6. Enim verò quis non deprehendit conditionem causæ adjunctam cum ipsâ causâ confundi, & quod causæ competit, ejus conditioni tribui. Non causa, sed causæ conditio circumstantia dicitur. Uti autem non conditio causæ, sed causa actionem humanam constituit; ita causa est de substantiâ actûs, conditio verò causæ ad substantiam actûs saltem pertinet. Quando **QUIS** ad causam efficientem pertinere dicitur, non ipsum subjectum agens, sed ejus conditio intelligi debet. Similiter de circumstantiis **PROPTER QUID** & **CIRCA QUID** sentiendum est. Illa quippe conditionem causæ finalis, hæc objecti conditionem denotat. Sic res aliena, quæ furti objectum est seu materia, non dicitur circumstantia, sed ejus adjuncta conditio, quod illa res aliena sit vel magna vel parva, usui sacro vel civili destinata.

§. 7. Multò adhuc clarior res evadet, si dixerimus, actionem humanam dupliciter considerari posse, vel in genere naturæ, seu quoad esse physicum, vel in genere morum, seu quoad esse morale. Illò modò si spectatur actio, tunc ad ejus essentiam circumstantiæ non pertinent, cum hæc ratione sint actioni humanæ prorsus extrinsecæ. Cum enim v. gr. alterum quis interficit, actioni secundum esse physicum consideratæ prorsus accidit & extrinsecum est, quod vel domi suæ, vel in templo & die festò illud fecerit, vel ut alterum spoliat, vel honoris sui defendendi causâ. Sin posteriori modò actio humana consideratur, tunc circumstantiæ non amplius sunt extrinsecæ actioni, sed intrinsecæ, & ad ejus essentiam pertinent, siquidem sese habent ut causæ & principia essentialia, quæ actionem humanam in genere morum, seu quoad esse morale, per se constituunt. Ita propriâ & alienâ uxore uti, sunt actiones quoad esse physicum essentialiter eadem; sed diversitas circumstantiarum efficit, ut in genere morum sint actiones essentialiter diversæ. Unde satis manifestam erit, quod circumstantiæ actionibus humanis quoad esse physicum consideratis accidunt, illisve prorsus sint extrinsecæ; si verò in genere morum considerantur actiones humanæ, illarum essentiam constituent, adeoque de illarum sint essentiâ. Quod tamen salvâ illâ diversitate, quâ distinguunt solent circumstantiæ, intelligendum est.

## II. DE DIVERSITATE CIRCUMSTANTIARUM MORALIUM.

### §. 1.

**H**Arum circumstantiarum non exigua est diversitas. Quædam enim neque augent neque minuunt delictum, neque peccati speciem mutant, aut aliud ipsi nomen addunt, ut: sive die Jovis sive Mercurii peccetur, perinde est. Turpe est, dextrâ manu aliquem transigere, non tamen magis vel minus turpe sinistrâ. Perinde est, sive atrâ sive cineraceâ veste indutus obloquaris senioribus. Hujusmodi circumstantiæ dicuntur impertinentes, item solum concomitantes actum.

§. 2. Quædam augent aut minuunt actionem, v. gr. Laudi vertebatur Sauli, quod 1000. percusserit; Sed majori laudi vertebatur Davidi, quod decem millia. Rem alienam invito dominò eripere, furtum est, sed majus furtum, majorem partem eripere. Augetur Jobi gloria, quod justus fuerit in terrâ Hus, bonus inter malos, verus DEI cultor inter Gentiles. Maximum Anti-Christi scelus à Paulò illud esse dicitur, quod se permittat coli in templò DEI. Indè laudabilior est latro, quod eò tempore, quò alii blasphemabant, ille à laudibus DEI non cessabat.

§. 3. Quædam circumstantiæ dant actioni speciem vel mutant speciem, aliudque nomen ipsi addunt, v. g. Qui rem alienam eripit, furtum dicitur committere, si verò res aliena usui sacro destinata est, sacrilegium, Deum publicè adorare, bonum est, inanis autem gloriæ causâ Deum adorare malum est. Abstinere à cœnâ vel prandiò est in se indifferens: Quando verò quis abstinet, ut aliquam singularis sanctimoniz laudem sibi conciliet, moraliter mala est actio, quæ in se indifferens erat. Sin abstinet, ut divino cultui vel gravioribus studiis det operam, moraliter bona evadit actio.

§. 4. Inprimis illa memorabilis est speciei mutatio, quando ab actu separatur malitia, quod evenit, dum actus objectum mutatur. Sic extrema necessitas est talis causæ circumstantia, quæ malitiam separat ab hujus vel illius rei ablatione, invito Dominò facta, vitandæ mortis & vitæ conservandæ gratiâ. Quomodo autem objectum mutetur: Utrum hoc in casu ex bonò proprio fiat commune, an mutuum, ad quod alter obligetur, expositum vid. ap. Jo. Schilt. d. 1. §. 15. & 16.

§. 5. Ab hóc circumstantiarum officio, quod nimirum ab actu separant malitiam, objectum mutando, pleræque omnes regularum Juris limitationes & exceptiones dependent, v. g. Regula est: Filium familias non posse testamentum facere: Regulæ ratio est, quia nulla habet bona, de quibus testetur. Quando autem illa personæ & causæ circumstantia accedit,

dic, ut filius familias sit miles, & bona sibi acquirat, tunc illa circumstantia malitiam vel injustitiam à filij familias testatione removet, dum mutat objectum, siquidem non de alienis, quod regula prohibet, sed de suis bonis testatur. Similiter intervenientis furoris circumstantia efficit, ut ab actu non reddendi depositum, separetur malitia vel injustitia, quoniam mutat personam, ut ejus jus repetendi, quod ante hunc casum habebat integrum, quoad in hoc statu permanet, sit in suspensio cum omnipotentate res suas administrandi. Schilt. d. l.

§. 6. Aliam diversitatis originem suppeditat Paulus Slevogtius in Diss. pr. VII. §. 24. & 25. Constituit enim circumstantias alias essentielles, alias accidentales. Essentiales vocat, quæ pertinent ad actionis substantiam; accidentales, quæ non pertinent ad actionis substantiam. Etenim contingere potest, ut concurrant circumstantiæ, quarum aliquæ sint actioni essentielles, & pertineant ad substantiam ejus secundum unam rationem; sint autem eadem quoque accidentales, & ad substantiam ejus non pertineant secundum aliam rationem. Quarum hæc est diversitas, ut si essentielles circumstantiæ cognoscantur, actio fiat voluntaria, & obliget, autoremque suum obnoxium reddat illis omnibus, quæ actionem consequuntur; accidentalium verò circumstantiarum ignoratio efficere nequeat, ut actio sit involuntaria, etiamsi fortè, si accidentales circumstantiæ fuissent cognitæ, actio non perficeretur. Ad naturam harum circumstantiarum melius declarandam idem afferemus exemplum, quò etiam Slevogtius usus est. Oedipus Thebas iter faciens à Lajò, parente suo, cui de viâ cedere recusavit, sceptrò percutitur. Injuriam Oedipus ferre nequit, sed Lajum, quem ignorat esse Patrem, interficit, ut scribit Sophocles in Oedip. Quò pacto Lajus, qui afficiebat injuriâ, est actionis hujus circumstantia, ad ejus essentiam pertinens, quatenus est homicidium: Idem Lajus, ut Pater Oedipi est, & ejusdem actionis circumstantia essentialis, quatenus parricidium est. Quemadmodum autem hæc circumstantia essentialis est actioni, ratione parricidii; ita eidem accidentalis est ratione homicidii, cum accadat homicidio, quòd sit parricidium. Proinde actio illa Oedipò voluntaria est, quantum ad rationem homicidii, quia singulari, in quibus substantialiter est homicidium, ipsi sunt cognita: non autem æquè voluntaria ipsi est, quantum ad rationem parricidii, quia nescivit, Lajum patrem suum esse, quæ tamen conditio ad substantiam parricidii requiritur. Ex quò efficitur, actionem illam, quatenus habet rationem homicidii, Oedipum obligare, atque homicidii reum constituere; sed non item, quatenus habet rationem parricidii, quoniam substantiam actionis, quatenus parricidium est, ignoravit, & saltem cognovit, quatenus homicidium est, & si Oedipus conditionem Patris exploratam vel cogni-

cognitam habuisset, fortassis etiam homicidiò abstinuisset. Quantumvis autem hæc accidentalis circumstantia ignota fuerit, homicidium tamen voluntarium permanet. Eodem modo, si quis contraheret alienam rem, atque juxta cum ignarissimis sciat, rem illam alienam esse sacris usibus destinatam, nihilominus actio ipsi est voluntaria, & committit furtum. Quamvis enim hanc conditionem rei alienæ, quod sacris usibus destinata, quæ requiritur ad substantiam actionis, ut sit sacrilegium, ignoret, atque idè sacrilegii crimine absolvatur; quia tamen eas cognovit circumstantias, quæ pertinent ad furti substantiam, idè actio furti ei est voluntaria, & illum obligat. Parili ratione si puella nubat adolescenti, quem putavit fore candidatum Juris, qui nihil minus est, quàm candidatus Juris, tum ignorat aliquam circumstantiam contractus matrimonialis; quia verò illa circumstantia est saltem accidentalis, & ad substantiam contractus matrimonialis non pertinet, idè ejus ignorantia contractum matrimoniale neque involuntarium, neque invalidum reddere potest.

### III. DE NUMERO CIRCUMSTANTIARUM EARUMQUE QUIDDITATE.

#### §. I.

**D**E número circumstantiarum non convenire Doctores, non miramur. Rem enim adè mutabilem & variabilem certò definire numero perdifficile est. Hinc reperies, alios octo, alios sex, septem alios, nonnullos undecim circumstantias attulisse. Aristoteles 2. Nic. 6. quinque numerat circumstantias: quò tempore, & propter quam causam, & quibus, & cujus rei gratia, & quomodo. Franciscus Piccolomineus recenset decem: agens, quò agitur, in quò agens agit, quò instrumentò, quomodo, cujus finis gratia, quando, ubi, coram quò, quàm diu. Potissimæ tamen ipsi sunt, cujus gratia & in quò agit. Paulus Slevogtius d. I. existimat, circumstantias non incommodè ad quatuor genera causarum revocari posse: Septenarius tamen numerus, qui sequenti versiculò continetur:

*Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando?*  
maximè receptus est, etundemque sufficientem esse ita probat Thomas de Aquino in Summâ Theologiæ 1. 2 qu. 7. art. 3. *Circumstantia dicitur quæ extra substantiam actûs existens, ita tamen, quod aliquò modò attingit ipsum: Contingit autem hoc fieri tripliciter. Uno modò, in quantum attingit ipsum actum. Aliò modò, in quantum attingit causam actûs. Tertiò modò, in quantum attingit effectum. Ipsum autem actum attingit vel per modum mensuræ; sicut tempus & locus, (ubi & quando?) Sub quò etiam quoties comprehenditur,*

H

quoniam

quoniam attingit actionem per modum commensurationis temporis) vel per modum qualitatis actus, sicut modus agendi. (Quomodo?) Ex parte autem effectus, ut cum consideratur, quid aliquis fecerit. (quid?) Ex parte vero cause actus, quantum ad causam finalem, accipitur propter quid. (cur?) Ex parte autem cause materialis sive objecti, accipitur circa quid. (quid?) Ex parte vero agentis cause principalis, accipitur, quis egerit. (quis?) Ex parte vero cause agentis instrumentalis accipitur (quibus auxiliis?) Ubi non videmus, quid cause habuerit Anonymus in Diatribe de Circumst. quæ Dissertationi Gottfridi Sluteri de actionibus moralibus Lipsiæ A. 1671. accessit, ut §. 28, QUIBUS AUXILIIS referret ad causam formalem. Profiteatur quidem, se cum Johanne de Gerson septenarium Circumstantiarum numerum stabilire. Enimvero argumentum, quod in medium produxit, est Thomæ Aquinatis, qui circumstantiam QUIBUS AUXILIIS ad causam agentem instrumentalem retulit, ut docere possunt verba à nobis allata. In quibus & illud prætermittendum non est, quod rationem ostendant, quomodo Tullius cum Aristotele convenire possit. Nam Aristoteles præter allatas & à Cicerone traditas Circumstantias addidit aliam, nempe CIRCA QUID, quæ à Tullio sub QUID comprehenditur. Jacobus Thomæus ita partitur has Circumstantias, ut aliæ sint cause, nimirum quinque priores; aliæ adjuncti, duæ posteriores; v.g. Quis? sit cause efficientis principalis; quibus auxiliis? cause efficientis instrumentalis, cur? Finalis, quid? materialis seu objecti externi, quomodo? formalis; ubi? loci, quando? temporis. Vid. Phil. Pract. Tab. 10.

§. 2. Circumstantia QUIIS notat conditionem seu qualitatem personæ operantis, v.g. an persona agens sit fidelis vel infidelis, doctus an rudis, Clericus vel Laicus? Cujusmodi conditiones ex bonis fortunæ, corporis & animi prolixè adducit Anonymus in Diatribe de Circumst. §. 33, usque ad § 6. quibus ostendit, quomodo Rhetores, Philosophi morales & Icti circumstantiis illis uti soleant.

§. 3. Circumstantia QUID significat conditionem, quantitatem aut qualitatem materiæ sive objecti, circa quod actio versatur, v.g. an res ablata fuerit usibus sacris an profanis destinata? an injuria fuerit illata, homini innocenti, sancto? an beneficium sit datum viduis, pupillis, peregrinis?

§. 4. Circumstantia UBI denotat conditionem vel qualitatem loci, an v. gr. actio sit commissa in foro, an verò in domo privata, vel loco sacro & publico, item an actio sit commissa coram pluribus, an verò paucioribus?

§. 5. Circumstantia QUIBUS AUXILIIS significat partim propria instrumenta, quorum adminiculo homo utitur, ut si quis armorum genere

nere ad lædendum exquisitò aut speciall lege prohibitiò alterum aggetia-  
tur: partim significat alios homines jussu vel consiliò ad actionis societatem sollicitatos.

§. 6. Circumstantia CUR denotat causam finalem, propter quam actio suscipitur. Ubi tamen præcipue debet intelligi agentis intentio, five cum actionis fine coincidat five non coincidat.

§. 7. Circumstantia (QUOMODO) significat modum actionis, v. gr. An homicidium fuerit cum sævitiâ aut feritate commissum? An furtum fuerit violentum? Differt enim in vitò Dominò rem clam auferre, & per apertam vim extorquere; Prius furtum est, posterius rapina. Differt hominem interficere in foro, manifesto duellò, & in itinere ex insidiis. Item utrum peccatum ex scientiâ ac merâ malitiâ, an ex passione, an ex culpabili ignorantia, num voluntate plenè determinatâ, an verò ex motu, suasionè, precibus sit commissum? Libenter an difficulter, citò an tardè beneficia conferantur.

§. 8. Circumstantia QUANDO significat vel temporis moram, quò actio durat, vel aliam temporis affectionem; utrum v. gr. die Dominicò vel festò actio commissa sit? Utrum natali, an aliò die peccatum sit commissum?

#### IV. DE CIRCUMSTANTIARUM PRINCIPATU ET MOMENTO.

##### §. 1.

Cum adeò multæ & diversæ dentur actionum humanarum circumstantiæ, operæ pretium est, disquirere, quænam principes sint, & quæ longius aut propius ab illis recedant. Thomas haud obscurè principatum desert circumstantiæ finis, & ab hâc primò locò ponit circumstantiam objecti, deinceps verò reliquas. *Actus, inquit, proprie dicuntur humani prout sunt voluntarii, voluntatis autem motivum & objectum est finis: & ideo principalissima omnium circumstantiarum est illa, quæ attingit actum ex parte finis; scilicet casus gratiæ: secundaria verò, quæ attingit ipsam substantiam actûs, id est, quid fecit? Aliæ verò circumstantiæ sunt magis vel minus principales, secundum quod magis vel minus ad has appropinquant.*

§. 2. Pro causâ efficiente & formali pugnare videtur, quòd in unò quòque præcipue spectari solet, quis & quomodo egerit? Enimverò in genere physico efficiens & forma præsupponuntur, & saltem dispicitur de circumstantiis, quid quælibet earum conferat ad actionem in genere morum. Hòc rite observatò facile constabit, quòd agens magis ordinatur ad actum à circumstantiâ finis, quàm à conditionibus personæ, quæ in illâ deprehenduntur. Finis enim movet ac impellit ad agendum; personæ



verò agentis circumstantiæ, saltem addunt actioni quasdam conditiones augentes vel minuentes; interdum verò planè sunt impertinentes. Modum quod attinet, seu circumstantiam quomodo; is aded non absolvit aut constituit actus substantiam, ut saltem quædam accidentalis qualitas haberi debeat. Substantia actus ex objecto vel fine solet æstimari, cui modus seu circumstantia quomodo instar accidentis supervenit. Bonitatem tamen vel malitiam addere & augere potest.

§. 3. Nec fini potest magnoperè officere, quòd sit rei extrinsecus. Licet enim finis sit extra actum in genere naturæ consideratum; in genere morum tamen spectatum actum ita ingreditur, ut non immeritò ejus præcipua causa habeatur, cum moveat ad agendum, & actus ab illò suam speciem accipiat.

§. 4. Tantum autem momentum in circumstantiis moralibus positum est, ut inde non tantùm actionum humanarum moralis bonitas, & malitia, sed earundem omniumq; consiliorum eventus dependeant. Si enim omnes circumstantiæ cum morali regulâ conveniunt, actio moraliter bona est. Sin unica vitiosa fuerit, actio tota moraliter mala evadit. Quandoquidem leges naturales non tantùm præscribunt, quid debeat fieri, sed etiam quò fine, quando, ubi, quomodo agendum sit; ut tota actio secundùm omnes circumstantias morali regulæ conformetur. Cum jam universum hoc; imprimis res & actiones humanæ providentiæ divinæ subordinentur, & juxta legem DEI æternam dirigantur, fieri non potest, ut actiones humanæ, quarum una vel altera duntaxat circumstantia exorbitat, DEO fortunæ nostræ Authori, placeant; propterea eventus, utrum etiam spe nostrâ excidamus, felici & exoptatò rerum exitu desitueamus. Equidem primâ specie multorum hominum actiones admodum bonæ apparent, sed si altius paulò examinantur, & considerantur accuratius, intelligitur, quod in principalibus circumstantiis aberraverint, & non omnino nullos officii numeros præterierint. Quò casu incassum de fati malignitate conqueruntur, siquidem omnis culpa in ipsos recidit, quoniam in suis actionibus, ad regulam moralem accommodandis, non satis gnavi & circumspecti fuerunt.

§. 5. Sed rectius exemplis cognosci poterit, quantum momentum ad eventus actionum humanarum circumstantiæ afferant. Benjamitæ inauditò & immani flagitiò adversùs se Israëlitarum arma excitaverunt. Quamvis Israëlitarum finis erat bonus, & ex parte objecti nullus error interveniebat, quia tamen in modò aberrabant, & illud divini & Juris naturalis præceptum: A DEO capienda esse omnium rerum primordia; negligebant, optimam causam corrumpebant, & id propter infelici eventu aliquoties dimicabant. De Conjugiis vulgò dicitur, quòd fiat

fata-


fatalia ; sed non aliò sensu admittendum est , quàm quòd DEO placeant , si legibus divinis & prudentiæ Oeconomicæ præceptis convenienter fuerint inita , & omnes circumstantiæ ad normam moralem revocantur ; sin secus , permittantur quidem à DEO , sed ipsi displiceant , quoniam regulis veræ prudentiæ , naturales & divinæ leges non repugnant , sed quæ illis conveniunt , eadem & his conformia , quæ illis contrariantur , eadem & his adversa sunt censenda . Necessè ergò est , ut isti , qui hanc societate conjungi volunt , non solum id faciant iustò tempore , ac locò commodò , sed etiam rationes accuratè subducant , an sibi invicem satis conveniant . Quodsi enim pauper ducat pauperem , antequam facultatem alendi familiam fuerit nactus , æquè contra divinas & naturales leges ac contra prudentiam oeconomicam impinget . Quænam sint ambitus fata , obscurum non est . Spiciofus quidem prætextus vix unquam deficit . Nam munus publicum ambire , honestum est . Neque adhibentur media illicita . Proinde nihil videtur impedire , quò minus promittatur eventus exoptatus . Sed contra evenire omnia deprehendimus , quando is , qui ambiit officium , sibi blanditus est nimium , & nequè illà peritià & experientià , nequè illà naturæ vi & authoritatè instructus & exornatus est , quæ ad officium feliciter obeundum requiruntur . Præclare Seneca : *Inspicere debemus primùm nosmet ipsos , deinde que aggredimur negotia , demum eos , quorum causâ , aut cum quibus agendum est .* vid. de Tranquill. animi c. 4. 5. 6. Nec minus benè Horatius l. 1. Ep. 14.

*Optat ephippia bos piger , optat arare caballus .*

*Quam scit uterque libens , censebo , exerceat artem .*

Quicumque ergò negotium aliquod suscipiunt , aut res magnas aggrediuntur , illi omnem adhibeant diligentiam , ne ulla circumstantia deficiat à regulâ morali ; ad DEUM , omnium rerum Authorem & Moderatorem , primùm respiciant , quid velit , attendant , quò fine res geri oporteat , quove modò deceat , scrutentur , & quod rectum ac conveniens est , constanter sequantur . Aliter qui res suas instituunt , & administrant , perperam agunt , & si infeliciter res cadant , ut fieri plerumque solet , non fortunæ , sed suò vitio sunt miseri putandi . Egregiè Tullius l. 5. Qu. Tusc.

*Omnes bonos semper beatos volumus esse . Quos dicam bonos , perspicuum est : omnibus enim virtutibus instructos & ornatos , tum sapientes , tum viros bonos dicimus .*



## CAPUT QUARTUM

De

## INDIFFERENTISMO MORALI:

ET QUIDEM

I. DE NATURA ACTIONUM  
INDIFFERENTIUM.

§. I.



Uemadmodum actionis humanæ Moralitas ex ejusdem respectu ad legem Naturalem vel præcipientem vel prohibentem resultat; ita ubi ejusmodi respectus seu habitudo actionis ad legem Naturalem non reperitur, indifferentia oritur.

§. 2. Hinc à priori describitur actio indifferens, quòd sit motus agentis liber, qui ex se & naturâ suâ non involvit respectum ad Legem Naturalem. A posteriori Actio Indifferens describi solet, quòd sit actio, quæ antequam lege determinata est, utrum sic fiat, an aliter, nihil refert, postquam verò lege determinata fuerit, refert. Sic mœnia conscendere, arma gestare, frumentum exportare, quoniam nulla Lex Naturalis de illis quicquam definivit, indifferens est, & cuique liberum id facere vel non facere. Postquam verò lex promulgata est, quâ isthæc omnia prohibentur, non licet amplius citra culpam, reprehensionem & pœnam conscendere mœnia, arma gestare, & frumentum expòrtare.

§. 3. Duo igitur requiruntur ad actionem indifferentem. Primò Materiale, quod est motus ab agente liberò productus. Loquimur enim de actionibus humanis, quæ à potentiis rationalibus producuntur. Secundò Formale, quod consistit in absentia moralitatis, hoc est, respectu ad legem Naturalem.

§. 4. Ufu tamen ferè receptum est, ut illa actio censeatur indifferens, quæ non solum ex se & intrinsicè illò respectu ad legem Naturalem caret, sed præter id in se continet quandam aptitudinem seu habitudinem, ejusmodi respectum ad Legem ab extrinsecò intuendi. Unde consequitur, quòd omnis actio, quæ in se & naturâ suâ per Legem Naturalem nondum est determinata, per legem verò Positivam, Civilem vel Ecclesiasticam, determinari potest, indifferens sit. Sic pretium, quò captivi liberentur, si secundum se spectetur, utrum sit mina, an aliud, nil refert, cum lege Naturali definitum non sit. Possunt tamen homines in legem quandam convenire, & pretium determinare. Hinc non incongruè actio indifferens

à Scho-

Scholasticè comparatur cum indifferente Grammaticorum syllabâ, quæ ex se nec determinatè brevis, nec longa est, ex arbitriò tamen Poëtæ produci aut corripì apta est.

§. 5. De actionibus humanis indifferentibus duo præcipuè hóc locò juvat expendere. Primum est, utram omnes omninò actiones humanæ in se & naturâ suâ sint indifferentes, an verò aliquæ saltem? Secundum, an præter actiones Indifferentes secundùm speciem & in universali, etiam aliæ in Individuò dentur?

## II. AN OMNES ACTIONES HUMANÆ IN SE ET SUA NATURA INDIFFERENTES SINT?

### §. 6.

**P**rimum quod attinet, sciendum est, quòd non omnes actiones humanæ, sed aliquæ saltem in se & naturâ suâ sint indifferentes. Aliæ enim sunt Morales, hoc est, vel per se bonæ, vel per se malæ, quæ ex se & suâ naturâ, respectum involvunt ad legem naturalem, vel præcipientem vel prohibentem. Si enim quædam non per se bonæ, hoc est, per & propter naturam suam necessariò convenirent; quædam non per se malæ forent, hoc est, per & propter naturam suam necessariò repugnarent homini, posset saltem lege divinâ de illis aliter disponi, quàm legibus naturalibus factum est. Quoniam autem id fieri nequit, & de illis aliter disponere DEUS velle non potest, sequitur profectò, quòd non extrinsecâ quâdam sanctione, sed intrinsecè atque per se bonæ vel malæ sint.

§. 7. Id quævis planum sit, & adeò manifestum, ut opposita sententia cum naturâ humanâ consistere non posse, ac proinde cum ratione rectâ evidentissimè pugnare videatur, olim tamen Simonem Magum subpermisisse liberis, agere quæ velint, & hóc ipsò indifferentissimum Moralem cum Carpocrate ac sociis asseruisse, ex Irenæo monstrat CL. Vir, Jac. Thomasius in Sched. Hist. §. 38. lit. X. J. A. Osiander in Theol. Moral. part. 1. c. 9. §. 23. scribit: *Adversantur hic veritati primò Nominales, quorum Princeps Ochamus, qui objectivam malitiam sollicitant, & putant, omnem pravitatem pendere ex prohibitione extrinsecâ saltem divinâ, quam putant esse liberam, quia pendeat ex voluntate DEI, quæ libera est in omnibus effectibus ad extra, ex quibus est prohibitio sive præceptum. Deinde Libertini, qui nullum agnoscunt discrimen inter bonum & malum, atque omnia referunt ad opinionem, & si quis putaret se peccasse, peccasse censendus, si non existimaret se peccasse, nullam peccatum commississe. Eandem sententiam magni nominis Vini etiam Petro ab Aliaco, Cardinali Cameracensi, Durando, Almaino & Saydky.*

## CAPUT QUARTUM

De

## INDIFFERENTISMO MORALI:

ET QUIDEM

I. DE NATURA ACTIONUM  
INDIFFERENTIUM.

§. 1.



Uemadmodum actionis humanæ Moralitas ex ejusdem respectu ad legem Naturalem vel præcipientem vel prohibentem resultat; ita ubi ejusmodi respectus seu habitudo actionis ad legem Naturalem non reperitur, indifferentia oritur.

§. 2. Hinc à priori describitur actio indifferens, quòd sit motus agentis liber, qui ex se & naturâ suâ non involvit respectum ad Legem Naturalem. A posteriori Actio Indifferens describi solet, quòd sit actio, quæ antequam lege determinata est, utrum sic fiat, an aliter, nihil refert, postquam verò lege determinata fuerit, refert. Sic moenia conscendere, arma gestare, frumentum exportare, quoniam nulla Lex Naturalis de illis quicquam definivit, indifferens est, & cuique liberum id facere vel non facere. Postquam verò lex promulgata est, quâ isthæc omnia prohibentur, non licet amplius citra culpam, reprehensionem & pœnam conscendere moenia, arma gestare, & frumentum exportare.

§. 3. Duo igitur requiruntur ad actionem indifferenter. Primò Materiale, quod est motus ab agente liberò productus. Loquimur enim de actionibus humanis, quæ à potentiis rationalibus producuntur. Secundò Formale, quod consistit in absentia moralitatis, hoc est, respectu ad legem Naturalem.

§. 4. Usu tamen ferè receptum est, ut illa actio censeatur indifferens, quæ non solum ex se & intrinsecè illò respectu ad legem Naturalem caret, sed præter id in se continet quandam aptitudinem seu habitudinem, ejusmodi respectum ad Legem ab extrinsecò intuendi. Unde consequitur, quòd omnis actio, quæ in se & naturâ suâ per Legem Naturalem nondum est determinata, per legem verò Positivam, Civilem vel Ecclesiasticam, determinari potest, indifferens sit. Sic pretium, quò captivi liberentur, si secundum se spectetur, utrum sit mina, an aliud, nil refert, cum lege Naturali definitum non sit. Possunt tamen homines in legem quandam convenire, & pretium determinare. Hinc non incongruè actio indifferens

à Scho-

Scholasticis comparatur cum indifferente Grammaticorum syllabâ, quæ ex se nec determinatè brevis, nec longa est, ex arbitrio tamen Poëtæ produci aut corripì apta est.

§. 5. De actionibus humanis indifferentibus duo præcipuè hõc locò iuvat expendere. Primum est, utram omnes omninò actiones humanæ in se & naturâ suâ sint indifferentes, an verò aliquæ saltem? Secundum, an præter actiones Indifferentes secundum speciem & in universali, etiam aliæ in Individuò dentur?

## II. AN OMNES ACTIONES HUMANÆ IN SE ET SUA NATURA INDIFFERENTES SINT?

### §. 6.

Primum quod attinet, sciendum est, quòd non omnes actiones humanæ, sed aliquæ saltem in se & naturâ suâ sint indifferentes. Aliæ enim sunt Morales, hoc est, vel per se bonæ, vel per se malæ, quæ ex se & suâ naturâ, respectum involvunt ad legem naturalem, vel præcipientem vel prohibentem. Si enim quædam non per se bonæ, hoc est, per & propter naturam suam necessariò convenirent; quædam non per se malæ forent, hoc est, per & propter naturam suam necessariò repugnarent homini, posset saltem lege divinâ de illis aliter disponi, quàm legibus naturalibus factum est. Quoniam autem id fieri nequit, & de illis aliter disponere DEUS velle non potest, sequitur profectò, quòd non extrinsecâ quâdam sanctione, sed intrinsecâ atque per se bonæ vel malæ sint.

§. 7. Id quamvis planum sit, & adeò manifestum, ut opposita sententia cum naturâ humanâ consistere non posse, ac proinde cum ratione reatâ evidentissimè pugnare videatur, olim tamen Simonem Magum subpetmisisse liberis, agere quæ velint, & hõc ipsò indifferentissimum Moralem cum Carpocrate ac sociis asseruisse, ex Irenæo monstrat CL. Vir, Jac. Thomasius in Sched. Hist. §. 38. lit. X. J. A. Oslander in Theol. Moral. part. 1. c. 9. §. 23. scribit: *Adversantur hic veritati primò Nominales, quorum Princeps Ochamus, qui objectivam malitiam sollicitant, & putant, omnem pravitatem pendere ex prohibitione extrinsecâ saltem divinâ, quam putant esse liberam, quia pendeat ex voluntate DEI, que libera est in omnibus effectibus ad extra, ex quibus est prohibitio sive præceptum. Deinde Libertini, qui nullum agnoscunt discrimen inter bonum & malum, atque omnia referbant ad opinionem, & si quis putaret se peccasse, peccasse censendus, si non existimaret se peccasse, nullam peccatum commisisse.* Eandem sententiam magni nominis Vincentii Petro ab Aliaco, Cardinali Cameracensi, Durando, Almaino & Seydly.

Szydlovio aliisque tribuunt, quasi nimirum docuerint, omnes actiones humanas esse naturâ suâ indifferentes, adeo, ut amare Deum, odisse Deum, parentes honorare vel non honorare, mentiri, furari, naturâ sit indifferens & indeterminatum, & nunc ideò duntaxat pro malis vel bonis haberi, quia legibus divinis præcepta vel prohibita fuerunt. Posse autem Deum omnibus præceptis contrarium præcipere, adeòque planè aliam & diversam agendi necessitatem nobis imponere, ut homo, qui nunc tenetur Deum colere, ad ejus odium, & qui nunc unicuique suam tribuere debet, ad furta facienda obligari queat.

§. 8. Tam portentosa sententiâ rationibus sequentibus non probari quidem, incrustari tamen solet: Primò: Si Deus quæcunque præcipit aut prohibet, suò nutu & arbitriò præcipit aut prohibet, sequitur, Deum contraria posse præcipere, & consequenter ea, quæ nunc pro bonis vel malis habentur, in se & suâ naturâ esse indifferentia. Prius est verum. E. etiam posterius. Antecedens probatur, quia Deus est agens liberrimum; Consequentia patet ex eò, quia libertas consistit in indifferentiâ ad opposita. Scholastici nonnulli ad hoc argumentum respondent negandò consequentiam, & ut Responsionis ratio appareat, dicunt præcepta Dei posse concipi dupliciter, vel verbis modi Imperativi, vel verbis modi Indicativi. Priori modò id fieri putant, quando dicitur: Ne mentire, ne odiò habere Deum, ne pejera: Posteriori modò: Deum odiò habere, aut mentiri non licet, pejerare nefas est. Si priori modò accipiuntur, dicunt Dei præcepta, quæ sunt legis naturalis, nutu & arbitriò Dei posita esse, quoniam Deus, quicquid extra se ipsum vult, liberè vult. At verò, si secundò modò præcepta sumantur, juris Naturalis præcepta non esse à Deo nobis liberè data, quoniam necessariò verum est, pejerare, mentiri non licet.

§. 9. Clarius fortassis respondemus, si dicimus, consequentiam ideò non procedere, quoniam libertas Dei ita accipienda est, ut ejus sanctitas & Justitia atque Immutabilitas non tollantur. Verum quidem est, quod Deus sit agens liberrimum, sed non eò sensu, quasi æquè ad bonum & malum liberè feratur, quò modò ne in homines quidem bonos & virtute præditos libertas cadit. Sed ita Deus est agens liberrimum, ut quod bonum, sanctitati & Justitiæ suæ congruum est, liberè velit & præcipiat, & quod semel voluit & præcepit liberè, semper velit & præcipiat liberè, ne ejus immutabilitas tollatur. Cum autem quædam sint mala, & sanctitati atque Justitiæ ipsius adversa, ea liberè prohibuit & semper prohibet. Probationis locò quod allatum est, id tùm demum locum tenet, si in oppositis par seu æqualis convenientiæ ratio deprehenditur. Quoniam autem in boni Moralis oppositò nil profus convenientiæ ab intellectu divinò deprehendi potest, voluntas Dei in illud ferri nequit, ut inde tamen divinæ

Volun-

voluntatis libertas non debilitetur. Nam quod voluntas divina necessario in bonum feratur, causa non est, quasi voluntas non sit intrinsecus libera, sed quod ea sit objecti conditio, ut non possit non illud amplecti, ad eamque manet voluntas Dei libera, licet neque operetur contraria, neque operari possit. Ea enim est divinæ Naturæ perfectio, ut licet non possit non agere rectum, quicquid tamen agit, liberrime agat.

§. 10. Secundo: Si aliquid esset bonum vel malum antecedenter ad Dei voluntatem, Deus ex obligatione & officio illud facere teneretur: At Deus nullâ ratione officio aut obligationi subest. E. nihil est bonum vel malum antecedenter ad Dei voluntatem, & consequenter omnia sunt in se & suâ naturâ indifferentia. Respondetur negandô consequentiam. Quamvis enim neque ab aliô neque à seipsô Deus possit propriè obligari, quoniam superiorem non habet, & sibi ipsi nemo potest obligationem injungere; ea tamen est divinæ naturæ ratio & sanctitatis ejus talis conditio, ut ea, quæ bona sunt, & cum lege æternâ congruunt, præcipere, quæ verò mala, & à lege æternâ dissona, prohibere immutabiliter velit, quoniam à seipsô recedere, aut sanctitatem & naturam suam deserere non potest. Hinc placuit etiam nonnullis scribere, quod licet Deus ab extrinsecâ obligatione immunis sit, ab extrinsecâ tamen naturæ suæ conditione obligetur.

§. 11. Juxta aliorum ergo loquendi formulas dicendum foret, Deum utique obligationi subesse. Ita enim loquuntur: Deus sibi ipsi est Lex, Deus à naturâ suâ obligatur. Quorum verborum is sensus est: O. M. Numinis natura adeo bona & perfecta est, ut non indigeat lege aut normâ, impulsive exterioræ ad hoc ut recte agat, sed isthæc sola normæ, legis & obligationis locum subit. Quoniam autem alii existimant, Jus & Obligationem aliquam subjectionem involvere, malunt hoc in negotiô terminis illis abstinere. Quas lites facile licebit componere, quoniam in re ipsâ maximus est consensus, & nihil aliud asseritur utrinque, quàm quod Deus quædam non possit non agere, & quædam non possit non omittere, propter ipsam rerum naturam, ejusque sanctitatem & infinitam perfectionem, non verò quod ita liberè voluerit, aut non voluerit, cujus contrarium pro arbitriô decernere possit.

§. 12. Cæterum vix poterit causa reperiri, quæ magnoperè urgeat, quamobrem in O. M. Numine Legem & Obligationem propriè dictam concipiamus, cum in Deo non detur peccati & erroris periculum. Ubi autem nulla aberratio fieri potest, frustra Lex & Obligatio concipitur. Homini sanè Lex data est, ut ejus Libertas circumscribatur, & ad bonum directetur. Præclare scribit J. A. Osiander, Academiæ Tubingensis Cancellarius, & Scripturæ S. Interpres in Typo Legis Nat. §. 26. *Crudèntius loquitur*



loquitur (Zydlouium intelligit) de Deo proteruus disputator : non enim necessarium est, ut si statuitur, aliquid esse justum ad Dei voluntatem antecedenter, dicatur Deum ad id obligari, ex officio teneri, cum defecatoria possint adhiberi vocabula, Deum scilicet talia velle necessario, velle attemperate sue sanctitati. Præterea rō obligari, aut dicit tantum constantiam & conformitatem necessariam in operando, quæ id exprimit in DEO, quod obligatio in homine. & Angelō, vel præter illam dicit respectum ad potentiam superiorem, imperium, & ex illō vinculum injectum libertati, ut alias qui obligatur, à superiori constringitur. Priori modo si dicatur, Deum obligari ad justa & honesta exequenda, nihil absurdieris, cum hoc saltem concedatur, Deum constanter ad sanctitatem suam in istis respicere, nec vel latum unguem ab illō defecere, hoc est, sanctum esse, & operationes illius sanctas, justum esse, & judicia ejus justa. Ps. 119. v. 137. Si verò posterior sensus intendatur, consequentia negatur, cum funiculum ex arenâ quivis deprehendat : Ex se facere justum & honestum, & ab aliō superiori, aut ab extra necessario ad id obligari, constringi. Consimilis ambiguitas in phrasi ex officio aliquid velle, vel ad aliquid teneri.

§. 13. Tertiò : Ante imperia justum vel injustum non extitisse, ut quorum natura ad mandatum sit relativa, actionemque omnem suâ naturâ esse adiaphoram ; quòd autem sit justa vel injusta, à jure imperantis provenire. Reges igitur legitimos, quæ imperent, justa facere imperando, quæ vetent, vetando injusta. Hæc sunt Hobbesii verba, ex libro ejusdem de Cive desumpta, quibus sanè, nisi ad id, quod expedit Reip. vel non, restringantur, moralis indifferentismus apertè satis adstruitur. Quem egregiè confutavit Samuel Pufendorfus de J. N. & G. l. 8. c. i. §. 5. Quamvis enim Reges naturalibus legibus vim legum civilium in forō humano valituram possint addere vel demere, sanctione pœnali adjectâ, vel intermissâ, nec non multa legibus naturalibus non comprehensa, jubendō justa, vetandō injusta, reddere ; Falsum tamen est, quòd ante imperium civile nullum justum vel injustum naturâ detur. Nam ut taceamus, quòd ante ortas civitates in familiis & societatibus simplicibus rectum & iniquum locum habuerit ; profectò nullæ unquam civitates coalescere potuissent, nisi ante ipsas justum & injustum extitisset. Etenim absque pactorum interuentu nulla civitas coalescere potuit. Nisi autem ante civitatem coalitam notum fuisset, justum esse, ut serventur pacta, neque pactorum usus adhibitus esset, neque civitas constituta. Imò civitates jam constitutæ conservari non possent, nisi ante imperium civile naturâ justum esset, quandoquidem nemo facillè adducitur, ut credat, solâ vi metuque tantam multitudinem in officio posse contineri. Unde amentissimus & suæ securitatis prodigus Rex esset, si leges ferret, quæ generalibus naturæ præceptis

ceptis adverfantur; v.gr. Nefas fit, fidem servare; Ne quis suum cuique tribuat, ne colant virtutem, ut quilibet quemlibet, quantum possit, lædat. Si verò nihil naturà justum vel injustum non apparet, cur non tales quoque leges promulgari, & per easdem pax & securitas obtineri possit.

### III. NUM ACTIONES HUMANÆ SALTEM QUOAD SPECIEM, AN VERO ETIAM IN INDIVIDUO INDIFFERENTES DENTUR?

#### §. 14.

**U**trum autem actiones humanæ indifferentes, quod alterum est, saltem in universali & secundum speciem, an verò etiam in individuo dentur, inter Doctorem Anglicum, & Doctorem subtilem, illorumque sectatores maximè disceptatum fuit, quibus neque hodiè sua desunt patrocinia.

§. 15. Actus quidem indifferentes, in universali, aut secundum speciem dari, ferè indubium est. Quemadmodum enim dantur actiones, quarum objectum dicit respectum convenientiæ cum lege, ut: opem ferre indigentibus, & iterum aliæ, quarum objectum dicit respectum disconvenientiæ cum lege, ut: auferre aliena: ita contrà dantur actiones, quarum objectum neque respectum convenientiæ, neque respectum disconvenientiæ cum lege dicit, ut: ire in campum, levare festucam de terrâ. Illæ verò actiones uti secundum speciem sunt vel moraliter bonæ, vel moraliter malæ; ita hæ neque moraliter bonæ neque moraliter malæ, sed indifferentes secundum speciem sunt.

§. 16. Idque adeò planum est, ut præter cavillationes Sophistarum proprias nihil adferri soleat, quòd magnoperè indigeat confutatione. Cur enim id nos morari debeat, quòd dicitur, privationem & habitum sibi invicem opponi immediatè. Ex quò inferunt, omnem actionem esse vel moraliter bonam, vel moraliter malam, nullam indifferentem secundum speciem, quoniam bonum & malum sibi opponuntur ut habitus & privatio. Sed quis nescit, quòd alia privatio omnem tollat bonitatem, alia non tollat omnem bonitatem, sed sit duntaxat via ad totalem bonitatem tollendam. Non hæc, sed ista opponitur habitui immediatè. At verò id, quòd moraliter malum, non tollit statim omnem bonitatem, sed aliquam relinquit, saltem ex parte materialis, ut proinde possit esse medium inter bonum & malum, videlicet indifferens, quòd asserimus.

§. 17. Quòd ut rectius intelligatur, primò est observandum, quòd actiones humanæ possint esse bonæ duplici modò. Unò, naturaliter, quatenus sunt motus phyfici, vel etiam transcendentaliter, quatenus entia

sunt, quò respectu bonum & Ens convertuntur. Alterò moraliter, quatenus cum regulâ morali, legibus naturalibus conveniunt. Jam quia homo est substantiâ transcendentaliter & naturaliter bona, multas producit actiones, quæ, ut motus physici sunt, & positivam entitatem habent, naturaliter & transcendentaliter bonæ sunt. Quam bonitatem non amittunt, si evadant moraliter malæ. Quoadmodum enim non est necesse, ut substantiâ transcendentaliter & naturaliter bona, illicò etiam moraliter bonas actiones producat, quoniam ad moraliter bonas actiones producendas non sufficit substantia transcendentaliter seu essentialiter & naturaliter bona; ita possunt actiones productæ moraliter esse malæ, ut tamen esse bonæ naturaliter & essentialiter vel transcendentaliter non desinant. Secundo est observandum, quòd talis mali natura sit, ut absque bono esse nequeat. Nam malum integrum vel secundum se totum semetipsum destruit. Arist. 4. Nic. c. 5. Quantumvis etiam absolute aliquid denominetur malum, id tamen non satis est ad hoc, ut secundum se totum malum, & nullâ sui parte bonum sit. Potest enim fieri, ut aliquid absolute subjectum denominet, nihilominus tamen subjecto secundum se totum non conveniat. Sic homo post lapsum dicitur absolute mortalis, absolute quoque dicitur reverti in terram, ex quâ desumptus est, non tamen secundum se totum mortalis est, neque secundum se totum revertitur in terram, sed tantum quoad corpus. Similiter ob peccatum originis jam dicitur absolute malus, non tamen secundum se totum, atque adeo secundum essentialiter vel entitatem suam malus; quoniam essentialiter vel transcendentaliter adhuc Dei creatura, & propterea bonus est. Cum igitur malum morale non destruat omnem bonitatem, sed saltem moralem tollat, transcendentalem vero & naturalem integram relinquat, hæc autem in se ac quatenus est talis, nullam dicat relationem ad legem naturalem; oppido manifestum & liquidum est, quòd malum morale & bonum morale admittat medium, nempe indifferens.

§. 18. Majorem speciem præ se ferre videtur illud, quando dicitur, omnis actionis objectum & finem, unde speciem nascitur actio, vel boni vel mali rationem habere, adeoque omnem actionem vel moraliter bonam vel moraliter malam esse, nullam indifferentem. Enim verò hoc loco reputandum est, quod duplex detur bonum & malum, Morale seu Ethicum, & Naturale seu Physicum. Licet concedamus, quod omnis actionis objectum & finis habeat bonitatem vel malitiam saltem naturalem; non tamen statim etiam moralem, quæ consistit in comparatione ad legem naturalem. Ad quam si nullum respectum dicit actionis objectum & finis, secundum speciem est actio indifferens, cujusmodi actiones dari satis ex dictis constat, & utrinque concessum est.

§. 19. An verò etiam in Individuo actiones indifferentes dentur, contròversum est.

§. 20. Loquimur autem non de actionibus illis, quæ omni deliberatione vacant, ut: Si quis non animadvertens aliquid agat. Hæ enim actiones non sunt humanæ, de quibus non est sermo, sicut fricare barbam, scalpere caput, & hujusmodi, quæ procedunt ex solâ imaginatione, & non ex libero arbitrio impellente: Sed de actionibus liberè elicitis, seu deliberatè productis sermo est.

§. 21. Doctor subtilis contendit, dari actum individuum liberum, qui neque bonus neque malus sit. Non enim consistere, ait, nos obligatos esse ad singulos actus referendos in finem honestatis, adeoque ad Deum vel actualiter vel virtualiter. Hominem quippe exercere multas actiones, saltem commoditatis seu utilitatis cujusdam temporalis, aut decori causâ, ut: quando frigus expellit; aut ex arte pedes movere, gladio cinctus incedit, sine ullâ ratione honesti, sed solius commoditatis & decori studio, neque illas refert ad ullum finem alium, neque tenetur referre. Quæcumque autem actio ad finem honestatis non refertur, indifferens est, neque bona, neque mala.

§. 22. Et ne, quod in sacris literis de verbò otioso dicitur, opponi posset, adducit explicationem Chrysostomi, qui scribit, verbum otiosum est, quod mendax est, & calumniam habet, quam interpretationem suam faciunt Theophylactus & Oecumenius. Et urget, favere textum, quia de pernicioso agit; Interlinearem verò exponere de frivolis & fatalis. Nec otiosum esse, quod habet aliquam utilitatem naturalem, ut expellere frigus sine ullâ ratione honesti. Vid. Scot. in 2. libr. sentent. distinct. 41. qu. un. Schol. Quem inter recentiores sectantur Gabriel Vasquez, Oviedo, Arriaga. His multò adhuc liberalior est Bonaventura, si ejus verba sunt, quæ sequuntur: *Nec Deus requirit ab homine in tali statu distractionis & miserie, quòd omnia, quæ facit, referat ad se; requirit tamen, quando est locus, tempus, & tunc si homo non referat, amittendò peccat, nec secundò relationem virtutalem in ultimum finem, ut disputat Scotus, nec eandem relationem habitualem, ut debet Rega & ceteri.*

§. 23. Thomas Aquinas contrà docet omnes humanas actiones Individuas, quæ secundum speciem ex objecto præcisè consideratò indifferentes sunt, per circumstantias, præsertim finem, moraliter bonas vel malas existere, ac proinde nullam esse actionem humanam seu liberam, quæ in individuo indifferens sit.

§. 24. Ratio assertiois in verbis sequentibus continetur. *Actus moralis, inquit Thomas, non solum habet habitalem ex objecto, & quædam habet speciem, sed etiam ex circumstantiis, quæ sunt quasi quædam accidentia, sunt ali-*

quid convenit individuo hominis secundum accidentia individualia, quod non convenit homini secundum rationem speciei. Et necesse est, ut quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum vel ad malum ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus à ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi & habet rationem mali: Si verò ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni; necesse est autem, quod vel ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem. Unde necesse est, omnem actum hominis à deliberatâ ratione procedentem in individuo consideratum, bonum esse vel malum. Vid. Thom. 1. 2. quæst. 18. art. 9.

§. 25. Quod uberius diducit Laymannus Jesuitarum in Germaniâ, Conringii judicio, moralis Theologiæ peritissimus, quando scribit: Omnis actio ex objecto indifferens, v. g. festucam humo levare, si humano modo ac deliberative fiat, ob finem aliquem necessariò sit. Que ratio ad finem, si recta atque rationi conformis sit, puta, si festucam tollas, ut cubiculi mundities corporis atque animi munditiem tibi conciliet, bona & honesta est talis actio; sin autem ratio ad finem rationi conformis non sit, vel quia ad finem malum, vel quia ad nullum bonum finem refertur, sed festucam v. g. tollas humo, solùm ut imaginationi vel libertatis exercendæ appetitui satisfacias, tunc non minus otiosam ac vanam (quippe sine debito destitutam) actionem exerces, quàm si otiosum verbum proferas. Vid. ejus The. Mor. L. I. Tr. 2. c. 8. Et 1. 2. tr. 3. c. 1. §. 4. Nullus actus plenè rationalis ac deliberatus in individuo indifferens est secundum rationem bonitatis ac malitiæ moralis. Verbum autem otiosum apud eundem Laymannum c. I. interpretatur Bernardus, quod nullam rationabilem causam habet. Origenes autem, itemque Hieronymus ac Gregorius exponunt, quod & ratione justæ necessitatis, & intentione piæ utilitatis caret. Cum quibus ferè convenit glossa Bibliorum Ernestinorum, quæ verbum otiosum reddit, dadurch der Mensch nicht ist gebeeßt. Nec dissentit Egidius Hunnius, qui otiosa verba interpretatur, quæ omni utilitate planè sunt vacua, & nec ad Dei honorem, nec ad proximi commodum vel tantillum faciunt. Vid. Comment. ad Matth. c. XII.

§. 26. Pro sententiâ Thomæ Aquinatis etiam laudatur Author Alcaris Damasceni, quem Amefio, suo Præceptor, aliàs jucundissimæ recordationis, opponit Mart. Schoockius de Adiaphoris. Ita verò dictus Autor disputat, ut Thomas videatur severior: Respondetur, inquit, imperio rationis & voluntatis subesse motus illos locales membrorum exteriorum, quos prevenire debebat ratio, &c. Certè si ratio tenetur esse pervigil, ne transgrediatur lassità nostra verbum otiosum, quia de eo rationem reddituri sumus in die judicii, vigilare etiam debet, ne prodatur actus aliquis otiosus. Rigidum juxta legis divine mihi minuire videntur, qui id negant. &c. Dico igitur nullum actum à deliberativa ratione

ratione procedentem esse in individuo indifferentem ; sed vel esse vestitum omnibus debitis circumstantiis, maxime finis, vel non esse ; si prius, erit actus bonus ; si posterius, malus, &c. Usus rerum indifferentium determinandus est regulis sobrietatis, charitatis & pietatis, &c.

§. 27. Audiamus etiam hæc de re differentem J. A. Osiandrum in Th. Morali c. 9. *Admittendum, inquit, posse esse aliqua verba, quæ inferviant ad humanum convictum, non tamen habeant spirituales finem ; nec tamen ideo sint otiosa : e. g. Si ego alteri dicam, ambulemus parum, ut frigus pellamus ; vel, lava faciem, quam habes maculatam. Quò posito dico, illa tantum esse verba otiosa, quæ non ordinantur ad commodum, nec quidem physicum hominis, sed, ut sæpe contingit, dicuntur tantum animo loquendi, nullâ aliâ in eis attentâ bonitate, quàm loquendi : ejusmodi autem esse otiosa, ex terminis constat ; esse item mala, colligo ex eotestimonio, quia caret utilitate rationabili, & non est parvi pendendum tempus, quod infumitur verbis otiosis. Sunt duo genera verborum inter se diversa ; unum ob garrulitatem sine utilitate physicâ ; & hoc vocatur communiter ab omnibus otiosum ; & de hoc intelligo locum Christi : alterum ordinatum ad commodum nature, ut cum dico famulo, accendas ignem, ut calefaciam me ; quod verbum à nemine dicitur otiosum ; & tamen non est honestum moraliter. Quod si rationem jam velimus dare, cur verba otiosa sint mala, ea erit, quia homo, qui rationalis, tenetur operari ob aliquem finem bonum saltè physicè, si non moraliter ; at qui ea verba otiosanullum habent ejusmodi finem, ut offensum est, cùm nec sint honesta, nec utilia nature, sed solam ex animo loquendi proveniant. Dices : Unde constat, quòd homo talem finem debeat adhibere ? Resp. id ex terminis constat ; operationes enim sunt in perfectionem subjecti : E. humane debent esse in bonum aliquod hominis, seu quatenus spiritualis, seu quatenus corporalis est. E. si id non habeant, eo ipso erunt vitiose & contra naturam. Id quòd verum est, sive verba sint, sive alia opera.*

§. 28. Ex quibus illud maxime conficitur, quòd omni contentione debeamus eo niri, ut Dei gloriam & communem utilitatem provehamus, adeòque omnia ad finem dirigamus. Nullum enim est dubium, quin, quæcunque formavit Deus, in hunc finem condita sint, ut Dei gloria celebretur, & hominum utilitas promoveatur. Tenetur ergò quicumque homo circa ea, quæ Deus efficit, ita suis actionibus versari, ut finis ille uterque obtineatur. Et licet non semper appareat illa ratio, illeque modus, quò Deus per opera à se producta gloriam suam & hominum utilitatem promoveri cupiat, debemus tamen operam dare, ut modò quòcunque vel indirectè saltè ac negativè, si non semper positivè ac directè fieri potest, ad illos fines actiones nostras dirigamus. Proinde si non possumus actû, virtute tamen, secus atque Scoto placuit, actiones nostras ad finem honestatis referre tenemur. Si enim univèrsa natura in finem suum collinear, & hoc

Et hoc modo perficitur, cur homo se flectat a sortum, qui tenetur vivere secundum rationem, quæ naturæ imitatio & summum hominis bonum est; ex naturæ voluntate se gerere, dicente Senecâ. Epist. 66. Quod egregie illustrat Tullius: *Communis, inquit, parens natura, quicquid genuit, non modo animal, sed etiam quod ita esset ortum à terrâ, ut stirpibus suis niteretur, in suo quidque genere perfectum esse voluit. Itaque Arborum & vitæ, & ea quæ sunt humiliora; neque se tollere à terrâ altius possunt, alia semper virent, alia hyeme nudata, vernâ tempore repescent a frondescant: neque est ullum, quod non vigeat interiore quodam motu, & suis quoque seminibus inclusis, ut aut flores, aut fruges fundat, aut baccas, omniâq; in omnibus, quantum in ipsis sit, nullâ vè impediente, perfecta sint. Facilius verò etiam in bestiis, quod his sensus à naturâ est datus; vè ipsius naturæ perspicui potest. Namque alias bestias nantes aquarum incolas esse voluit, alias volucres cælo frui liberò, serpentes quasdam, quasdam esse gradientes, earum ipsarum partim solivagas, partim congregatas, immanes alias, quasdam autem cæcures, nonnullas abditas, terrâq; tectas: atque earum quæq; suum tenens munus, cum in disparis animantis vitam transire non possit, manet in lege naturæ. Et ut bestiis aliud aliis præcipui à naturâ datum est, quod suum quæque retinet, nec discedit ab eo: sic homini multo quiddam præstantius. Et si præstantia debent ea dici, quæ habent aliquam comparationem, humanis autem animis decerptæ ex monte divinâ, cum alio nullo, nisi cum ipso DEO, si hoc fas est dictu, comparari potest. Hic igitur, si est ex cultus, & si ejus acies ita curata est, ut ne cœcetur erroribus, sit perfecta mens, id est, absoluta ratio, quæ est idem, quod virtus. Vid. l. 5. Qu. Tusc. Idem significare videtur Thomas 1. 2. qu. 91. a. 2. ad 2. ubi scribit: *Omnis operatio rationis & voluntatis derivatur in nobis ab eo, quod est secundum naturam.* Quam Philosophiam etiam cum sacris literis amice conspirare certum est. Ita enim Paulus adhortatur Corinthios: Sive manducatis sive bibitis, sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, 1. Cor. X. v. 31. Et iterum: Cum convenitis, unusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, Linguam habet, apocalypsin habet, interpretationem habet; omnia ad ædificationem fiant, 1. Cor. XIV. : 26. Adde Rom. XV. 2. Unusquisque nostrum primo placeat in bonum ad ædificationem. 1. Thessal. V. 11. Adhortemini vos mutuo, & ædificetis singuli singulos. Matth. V. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificentque Patrem vestrum, qui est in cælis. Coloss. III. 16. 17. Sermo Christi inhabitet in vobis, opulente cum omni sapientiâ: doceteque & commonete vos invicem cantionibus, & laudibus, & cantilenis spirituum, cum gratiâ canentes in corde vestro Domino. Et quicquid egeritis sermone aut factò, omnia in nomine Domini JESU facite, gratias agentes DEO & Patri per illum. Phil. I. 11. Amplecti fructibus justitiæ, qui contia-*

gunt

gunt per Jesum Christum, ad gloriam & laudem Dei. 1. Petr. IV. 11. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei, si quis ministrat, ministret tanquam ex virtute, quam suppeditat Deus; ut in omnibus glorificetur Deus per Jesum Christum. Apocal. XIV. 7. Timete Deum, & date illi honorem: quia venit hora judicii ejus; & adorare eum, qui fecit cœlum & terram, & mare, & fontes aquarum. Secus agentes reprehenduntur Philipp. III. 17. 18. 19. Pariter estote imitatores mei, fratres, & considerate eos, qui sic ambulant, quemadmodum habetis nos pro exemplari. Nam complures ambulant (de quibus sæpè dixi vobis, nunc autem flens dico, inimici crucis Christi: Quorum finis perditio est: quorum Deus venter; & gloria in dedecore ipsorum) qui terrestria curant. 1. Cor. XII. 7. Unicuique verò datur manifestatio spiritus ad id, quod expedit. Igitur præclare scribit Augustinus l. 19. de Civit. Dei, cap. 27. *Virtutes scribentis, quas sibi mens habere videtur, nisi ad Deum retulerit, etiam ipse vitia sunt potius, quam virtutes.*

§. 29. Cæterum non est, cur diffiteamur, homines multa agere, quæ non ad ultimum finem dirigunt, ut is, qui agit, ut se reficiat, sibi que requiem præstet, aut qui speculatur aliquod objectum, ut intellectum perficiat. Licet autem hi non immediatè & directè actiones suas in finem ultimum dirigant, mediatè tamen eò referunt, quoniam illud bonum, quod quærietur immediatè, comprehenditur sub bono perfectò, & completò, quod est ultimus finis, uti benè scribit Thomas 1. qu. 1. art. 6.

§. 30. Manifestum etiam est, quod is, qui actiones suas saltem mediatè dirigit in finem honestatis, non semper de eò cogitet. Multa enim fiunt liberè, de quibus in præsentì non semper deliberamus. Non tamen dici potest, quod indeliberatò fiunt; sed quia, antequam cœperunt esse, jam satis consultatum est, deliberatione repetirà non esse opus existimamus. Præclare iterum hanc in rem Thomas: *Non oportet, inquit, ut semper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocunque aliquid appetit, vel operatur: sed virtus primæ intentionis, que est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujusunque rei, etiamsi de ultimo fine non semper cogitetur: sicut non oportet, quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine.* Debemus tamen eò allaborare, ut ad fines istos honestatis per varia licet studiorum genera & vivendi modos, singulas actiones nostras sollicitè dirigamus.

§. 31. Istæ enim sunt, quæ habent rationem finis ultimi, ad quem omnia collimare debent, quæcunque homo vult, suscipit & molitur. Nam quicquid homo agit aut appetit, illud sub ratione alicujus boni appetit. Si bonum illud non est consummatâ perfectione præditum, ut, si illud



adepti sumus, appetitum penitus exatiare possit, necesse est, ut tendat ad illam consummatam perfectionem, quæ finis ultimus est, quoniam omnium rerum inchoatio ad illarum consummationem ordinatur. Prius autem consummatam bonitatem consequi non licet, quam finis ultimus obtentus fuerit. Proinde de illò dubitari non potest, quod quicquid homo vult & molitur, illud propter finem ultimum velit & moliatur. Id quod insuper ex eò apparere potest, quia finis ultimus ad appetitum eò modò se habere solet, uti primum movens in quibuscunque motionibus sese gerere amat. Quemadmodum enim causæ moventes secundæ non movent, nisi quatenus movet primum movens, ita *secunda appetibilia non movent appetitum, nisi in ordine ad primum appetibile, quod est ultimus finis.* Ut d. l. Thomas loquitur.

§. 32. Id propter haud mediocri laude affiendi sunt, qui piis & elegantissimis scriptis ostenderunt, quomodo ex rebus quibuscunque obviis eam opportunitatem capere queamus, ut Deum celebremus, cognoscamus & diligamus. Huc pertinet meritissimi viri, Ahasverl Fritschii *Gottlobs* / item *Gottholds zufällige Andachten* / *Christliebs Entwurff* / *Christlicher Gedanken über vergangene Tage-Begegnisse* / nec non *Joseph Halli*, *Jos. Henshau*, *Harsdörfferi*, *Francisci* & aliorum hujus generis pia scripta. Quò locò minimè dissimulari debent *Archimedis Salani*, *Erhardi Weigelii* *Arithmetische Beschreibung der Moral-Weisheit* / & ejusdem *MS. anführende Erörterungen zur Pietät bey Beschreibung der Geometrischen und Gnomonischen Strich und Figuren.* Quamvis fortassis videatur, ad virtutis & pietatis studium inculcandum sufficere illas disciplinas, quarum scopus & officium est, moralibus doctrinis homines imbuere, dici tamen non potest, quanta vis & efficacia in subitaneis istis admonitionibus lateat, & quantum valeant illa omnia, quæ naturæ & artis amplissimum theatrum nobis sistit, si rectè perpendantur, ad incitandos & convincendos mortalium animos. Quæ cum casu ita evenisse cogitari nequeat, consequens est, ut asseramus nos teneri, res quascunque ita meditari, ut ad finem ultimum ritè dirigantur.



## CAPUT QUINTUM

De

ILLIS, QUÆ ACTIONEM MORALEM  
CONSEQUUNTUR GENERATIM.

§. 1.



Actionem moralem haud quidquam ab omni efficaciâ destitutam & quasi denudatam esse, sed eam oppido multa & diversa perpetuo consequi, adeo manifestum & compertum est, ut non is duntaxat, qui actionis moralis auctor est, animo suo id percipiat, verum etiam omnes illi, ad quorum notitiam moralis actio pervenit, & ad quos pertinet, illam commissam vel intermissam esse, certissimum perhibent testimonium. Etenim qui moraliter egit, post actionem non perinde se habet, atque ante actionem, sed vel recte factorum conscientiam lætus in mente jucundissimam tranquillitatem sentit, vel perperam gestorum miseram memoriâ vexatur infeliciter, & a civitate vel præmia expectat, vel mala metuit. Huc respiciebant apud Julium Cæsarem. l. i. de B. C. *Declinationes Auximi, qui adventu Cæsaris cognito frequentes ad Attium Varum conveniebant, docentes, sui judicii rem non esse, neque reliquos municipes pati posse, C. Cæsarem Imperatorem bene de republicâ meritum, tantis rebus gestis, oppidâ manibus, præbiteri: proinde habeat rationem posteritati & periculi sui.* Nam præter internumanimi judicium, agens etiam tenetur tribunal & censuram subire totius civitatis, quippe cui facultas data est de actione judicandi & decernendi, tantâ cum autoritate, ut ejus sententia non in præsens saltem valida sit, sed in futurum etiam vim suam extendat, ut apud posteritatem vel decus concilietur vel ignominia afferatur. Quamobrem Cicero sic alloquitur Antonium: *O miserum te, si intelligis, miserorem, si non intelligis, hoc literis mandari, hoc memorie prodi, hujus rei ne posteritatem quidem omnium seculorum unquam immemorem fore.* Phil. sec.

§. 2. Equidem disiteri non possumus, quòd nonnullæ actiones morales à forò humano quasi negligantur & proinde civitatis censuræ videantur exemptæ. Unde Joh. Schilterus scribit: *Quamquam videri possit, Jurisprudentiam generatim spectatam circa Justitiam Universalem occupari posse, & re ipsâ sæpe occupari, præsertim in Ecclesiis & Rebus publicis Christianorum; ubi plura saltem canonicè puniri solent, quæ Jure civili minime: tamen adhuc non videtur Prudentiæ Legislatoriæ & Judicariæ idem esse ambitum, quum multa, ut dixi, jubeantur in Republ. per Legislatorem, de quibus non datur*

K 2

Judic.

*Judicium; tunc ne fiant lites infinite; tunc, quod non vivamus cum perfectis, tunc ob vitium majus malum.* Vid. Manud. c. 2) §. 28. Dixit etiam paulo ante: *Jurisprudencia nostra Civilis & Romana Judicaria tantum est, & Justitiam particularem, non universalem, intendit, quod vel inde patet, quod etsi legibus omnes Honestatis partes precipiantur generaliter, earum tamen neglectus non omnis in judicium, ad penam infligendas deducitur.* Præter cogitationes animi huc pertinent actiones ingratorum, invidiorum, aliis deträhere studentium, hypocritarum, ambitiosorum, iracundorum, contentiosorum, & similes. Neque libido in adulteris, sed *περὶ αὐτῶν* juris quaeriti alieni, civili jure puniuntur. Enim verò licet hujusmodi actiones poenis humanis sint exemptæ, & ad forum civitatis non pertineant; pudore tamen continentur, & sententias ac Judicia bonorum non subterfugiunt, multo minus divinò se tribunalì subducere poterunt, cui quicquid à civitatibus puniendum relinquitur, justissime vindicatur. Magnopere proinde mortalium interest, res suas sapienter administrare, atque ita se gerere, ut periculi non minus à Deo, quam hominibus metuendi & certò imminentis rationem habeant. Licet enim homines quandoque aliquid legibus circumscribere aut reprehendere intermittant, atque si lex lata est, ob rei difficultatem, ambiguitatem & obscuritatem decernendi partes sustinere recusent; in divinò tamen tribunalì, quò ad omnia pervestiganda sapientissimum, & ad singula momenta expendenda æquissimum est, quæ debent, nunquam non consequuntur. DEUS quippe recti & justì custodiam ita mandavit hominibus, ut eam se nequaquam abdicaverit, sed sibi quoque integram eam servaverit, tunc vel maxime offendentem & exercendam, ubi homines remittere & deficere deprehenduntur.

§. 3. Illa, quæ actionem moralem consequuntur, effectus ejus vulgò appellari solent. Quamvis enim ab actione morali per veram productionem & effectiorem intervenientem non oriuntur; est tamen actio moralis ratio & causa, propterquam isthæc sunt & fiunt, quæ consequuntur. Quemadmodum igitur id, quò materiam extensam consequitur, ut divisibilitas, & doctrinæ capacitas, quæ mentem humanam consequitur, ejus effectus rectè dicuntur; ita nihil obstat videri, quò minus ea, quæ actionem moralem consequuntur, effectus actionis moralis asserantur & appellentur.

§. 4. Quò verò conceptu significari quàm rectissime, & animò representari queant isti effectus, nonnullis valde obsecrum creditur. Non malè tamen per respectum & habitudinem ad ea, quæ circa morales actiones legibus sunt determinata, exponi videntur. Simul ac enim moralis actio producta est, ejus Autor varios velut induit respectus. Refertur quippe ad se ipsum, cui actio verè potest imputari, ad ejus naturam rationalem,

nalem, cui vel convenienter vel disconvenienter se gessit, ad legem promulgatam, quam vel observavit vel violavit, ad legis autorem, quem vel veneratus est, sancteq; coluit, vel neglexit & contempui habuit; ad homines reliquos, quibus exemplò, modòve aliò vel profuit vel nocuit; denique ad rem actioni æqualem & proportionatam, lege definitam.

§. 5. Quando moraliter agens refertur ad seipsum, dicitur ille respectus à nonnullis imputativitas vel imputabilitas, ex quâ solet æstimari, an actio cum consequentibus agenti possit imputari, nec ne? h. e. num actio invita fuerit, an spontanea? Quando actio moralis refertur ad naturam agentis rationalem, ipsamque legem, oritur moralitas bona vel mala. Si ad Legislatorem refertur, vel gratiam vel odium excitat, unde etiam in animò vel tranquillitas vel anxietas percipitur. Ad homines relata vel encomiis vel vituperiis locum præbet. Ad rem verò æqualem & lege definitam si refertur, meritum appellatur. Solent quidem alias etiam reliqua moralis actionis consequentia meriti nomine indigitari, peculiari tamen & strictiori significatione illa habitudo, quam tenet actio moralis ad rem bonam vel malam, à reliquis consequentibus diversam & lege definitam, meritum dicitur.

§. 6. Illa res an sit explicitè & formaliter definita, an implicitè & virtualiter? in præsentia nihil refert. Utrò verò modò determinari debeat, sapientis Legislatoris est discernere. Nonnunquam consultum existimatur, facienda & omittenda nudè proponere, nullâ facta mentione vel boni vel mali, quòd rectè vel secus agentes manere debeat. Sic enim cognosci potest, quinam sponte & virtutis solius amore boni sint, & simul hominibus probis illa laus præclara & eximia relinquatur illibata, quòd solius honestatis studiò & legum reverentiâ adducti benè agant. Ubi verò constat, quòd homines bonorum spe pœnæque formidine in officio rectius contineri & coerceri queant, prudentis legislatoris est, definire, quæ commoda bonis, quæve mala malis expectanda sint.

§. 7. Ut verò illæ res bonæ vel malæ moraliter agentibus non inique applicentur, meritum accuratè debet expendi, & ad singula ejus requisita sollicitè respiciendum est, quorum præcipua & necessaria recensebimus.

§. 8. Præsupponuntur autem illa omnia, quæ cum cæteris relatis meritum habet communia, videlicet subjectum, fundamentum, ratio fundandi, terminus: Subjectum ut quod est agens morale, h. e. homo perfectâ ætate, maturò judiciò, & ex plenâ voluntate agens. Subjectum ut quo, est ipsa moralis actio. Terminus est res ipsa, ad quam refertur actio morales. Fundamentum & ratio fundandi est æqualitas inter rem seu terminum & actionem moralem.

§. 9. Ex his fluunt duo necessaria meriti requisita, quorum alterum est, ut sit personale, alterum, ut sit æquale.

§. 10. De primò ita pronunciat Grotius de J. B. & P. l. 2. c. 21. §. 12. *Meritum est personale, quippe ex voluntate ortum habens, quò nihil est magis nobis proprium, unde à veteribus vocatur.* Ut enim id, quod actionem moralem consequitur, nobis imputari queat, necesse est, ut ipsa actio nobis imputari possit. Nisi autem à nobis scientibus ex plenâ voluntate producta fuisset, nobis imputari non posset, imò ne moralis quidem actio foret, si non ex liberâ & plenâ voluntate originem traheret, quod autem à nobis liberè ortum, personale est.

§. 11. Ex eò, quod meritum personale est, consequitur ultrò, quòd neque virtutes, neque vitia parentum liberis, Principum subditis & vice versa imputari possint. Terminatur enim in personâ, quam afficit, neque ultra extendi debet. Iniquæ igitur diræ & abominandæ leges sunt, quæ ob Parentum patrata scelera in liberos cognatosque innocentes cædibus favere jubent, quod de Tyrannis, de Persis & Macedonibus, aliisque passim affirmatur. Vid. Berneggerus in notis ad Just. l. x. c. 3. Frustra liquidem obtenditur, quòd paterno supplicio perire debeant, in quibus paterni criminis exempla metuuntur. Si enim nihil & iniquius, dicente Senecâ, l. 2. de irâ, c. 34. quam aliquem hæredem paterni odii fieri, iniquissimum certè fuerit, innocentes paterno supplicio perire. Metus autem ne in parentum exempla succrescant liberi, est incertus, & ad eandem nullò modò sufficiens.

§. 12. Quibus lex moralis, quâ Deus parentum impietatem in posteros se vindicaturum minatur, haud quidquam adversa est. Non enim existimari debet, quòd ultio divina innocentes posteros tangat, sed ad illos pertinet, qui parentum vitia vel consensu suo vel exemplo comprobant, vel ab aliis sceleribus non sunt alieni. Hinc vulgò asseritur, quando propter aliena peccata quis punitur, ipsum quoque eorum peccatorum reum esse; *idque triplici modo contingere, vel per imitationem; vel per modum cujusdam meriti, quemadmodum scelerati subditi merentur habere sceleratum regem; vel denique per tacitum quendam consensum & dissimulationem.* Cautè tamen distingui debent casus repentini, afflictiones & calamitates, quas innocentes multiplices cum suo emolumento sustinent, à malis, quæ improbis ob patrata scelera infliguntur. Fieri enim potest, ut unum idemque malum, quod alteri est pœna, alteri sit bonum & saluberrimum remedium adversus illecebras libidinum, & velut frenum, quòd cohibetur, ne in scelera ruat, & semalè præcipitet. Id si usù venit, sapientiam & bonitatem Judicis veneremur potius, quàm ut quicquam carpere audeamus. Præterea observandum est, quòd si nobis bona quædam

dam auferantur, quæ nobis nullò jure vindicare possumus, alter verò rectè ac pro arbitrio suo vi dominii, quod habet, vel eripere vel denegare potest, nulla nobis causâ relinquatur, quamobrem malè nobiscum agi, & aliena facta iniquè nobis imputari conqueramus. Si enim alter suo utitur jure, atque illud saltim aufert, repetit, vel denegat, quod nobis proprium nullâ ratione, nullòve juris vinculo possumus asserere; nemini facit injuriam. Si quæ bona posterì ob parentum virtutes nanciscuntur, non ex meritò illa obtinent, sed ex liberali remuneratione, & quod bonorum quilibet etiam citra meritum capax est, mali autem non nisi ex meritò, quod personæ est proprium.

§. 13. Alterum requisitum magis impeditum est. Recta tamen ratio, expensis omnibus circumstantiis, illam æqualitatem inter rem & actionem moralem indagare & definire potest. Majori verò circumspeditione opus est in malis, quam bonis; licet enim citra injuriam etiam plus boni referre bene agentibus; at plus mali, quam decet, irrogare, iniquum est.

§. 14. In bonis observatur æqualitas, si res tam perfecta & præstans est in genere rerum, quam perfecta & præstans est actio moralis in genere actionum. Siquidem æqualitas non secundum speciem, ubi res specie sunt eadem; sed secundum proportionem, ubi idem valor est, intelligitur. Veniunt enim comparandæ res cum actionibus, quæ alia ratione ad æqualitatem reduci non possunt, quam si rei dignitas adæquat actionis dignitatem, valor rei adæquat valorem actionis.

§. 15. Ut autem ex illâ æqualitate agenti nascatur jus ad rem, necesse est, actionem fuisse indebitam, quam alter jure à nobis non potuit exigere. Qui verò ad actionem obligatione tenebatur, ille muneri & officio debito satisfecit, cui nulla relinquatur habitudo ad rem promerendam. Instar præmii tamen habendum est, quod mala, quæ manere solent negligentes & immemores officii, evitentur, juxta Horat. l. i. epist. 16,

Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat

Servus: habes pretium, loris non ueris, ajo.

Non hominem occidi: Non pasces in cruce corvos.

Præterea ut actio indebita ad merendum sit idonea, debet alteri esse grata, & ob usum suum vel alias accepta. Ut enim pro eo, quod invito sine ullò ejus commodò obtruditur, aliquid retribui debeat, nulla suadet ratio. Illis verò, qui solò bene merendi conatu citra obligationem suis præclare factis nobis commodum & decus afferunt, parem voluntatem & rem æqualem non referre, injustum est. Dum enim ex alterius studio & operâ nobis aliquid accedit, par est, ut tantundem ei reponamus.

§. 16. At verò usu venire solet, ut tam larga munera & adeò multa beneficia pro meritis interdum referantur, quæ non tantum valorem meriti & æqualitatem excedunt, sed etiam ipsam personam egrediuntur, ut inde confici videatur, ad meritum non requiri, ut sit personale & rei æquale. Sed non conficitur, quod videtur. Ea quippe rerum bonarum & favorabilium indoles & conditio est, ut cuilibet in quantalibet copia possint attribui. Quod si igitur alicui placet, alteri bonum concedere, non ut purum beneficium & gratis, sed intuitu certæ actionis, quæ ad alterum non pertinet, vel saltim ejus intuitu jure ab altero nihil potest exigere, tum illud bonum, quantumcunque sit, & ad quoscunque redundet, non pro effectu actionis habendum est, sed largitoris benignitati & liberali animò adscribi debet. Inde cœperunt etiam effectus actionis distinguí in eos, qui ex debitò, & qui ex gratiâ actioni imputantur.

§. 17. Ex debitò dicitur actioni effectus imputari, quando actio ad rem sive effectum talem dicitur habitudinem, ut propter eam agens jure possit rem postulare. Sic quando in lege simul res definita est, quam obtemperantes nancisci debent, juxta illam agentes jure rem possunt petere. Si verò obsequentibus nihil promissum est, benè agentibus sufficit legislatoris approbatio & beneplacitum, atque pro largò præmiò habendum est, mala, quæ transgressores premere solent, evitasse.

§. 18. Ex gratiâ dicitur bonum ad instar effectus actioni tribui, quod illi conceditur, qui actionem non patravit, & eò nomine nil sibi jure vindicare potest, vel quando etiam ipsi agenti plura tribuuntur, quam propter actionem exigere poterat. Sic quando legislator actiones, quas jure exigit, & pro imperio injungit, remuneratur, ut voluntatem erga morigeros declaret, atque insimul in aliis obsequendi promptitudinem excitet, vel quando pretium, quod lege rectè agentibus assignatum est, auget, vel ad alios etiam, quorum actiones non sunt propriæ, ejus fructum pervenire concedit, ex gratiâ imputari actioni dicuntur, & non tam effectus actionis, quam liberalia præmia debent appellari. Nam præmium aliud est liberale, aliud illiberale. Hoc dicitur, quod non ex animò benè merentis, aut aliunde æstimatur, sed ex ipsò meritò, ut merces pro impensò labore in culturam vineæ alterius. Illud appellatur, quod ex animò merentis benè magis, quam ex ipsò meritò æstimatur, ut præmium amplissimum pro præclaris in patriam meritis retributum. Rursus aliud præmium datur ex Justitiâ, ita quidem, ut meritò *κατ' ἀρίστημον* æquetur: aliud ex bonitate ac liberalitate, quod non tam æquatur merito, quam dantis bonitati consentaneum est, & benè merentis desiderio sufficit. Generali notione præmium quisq; accipit, cui sive ex pacto, sive ex liberalitate sive aliò nomine, pro suis benè factis bonum aliquod tribuitur.

§. 19. Heic scrupulus evellendus est, antequam urgere incipiat. Tenemur obligatione naturali ad actiones moraliter bonas edendas, cum iis honestas contineatur, cujus studium omnibus & singulis incumbit. Ad quod autem tenemur, id non est indebitum, & consequenter nullum datur meritum, aut saltem in præstationibus civilibus, non autem in moralibus actionibus locum habet.

§. 20. Nonnulli, ut huic dubitationi occurrant, distinguere videntur debitum ab honesto, atque existimant, quod obligatio naturalis locum habeat in iis etiam, quæ ut fiant, honestum quidem est, quanquam non verè debitum, ut vicem beneficio rependere. Alii verò, quò planius hoc dirimant, triplicem constituunt obligationem, merè naturalem, merè civilem & mixtam. Ista solò nititur rationis dictamine, ac jure civili nullam actionem admittit. Illa ex merò Juris civilis jussu originem trahit, quæ quis ita tenetur, ut summò Jure in eum sit actio. Hæc & naturali ratione sustinetur, & simul civilis Juris autoritate firmatur. Vulgò dici solet, quod mixta obligatio & actionem pariat & exactionem. Unde cum plenam præstandi necessitatem mixta obligatio injungat, nonnunquam absolutè obligatio, interdum etiam obligatio civilis dicitur. Ad quæ obligatione civili & mixtâ tenemur, illa debita sunt, & nullam habitudinem in se continent ad rem promerendam. Ille enim, cui præstare quid hõc modò tenemur, jamjam jus obtinet, exigendi talem actionem, quam-cum elicitur, à nobis nihil proficitur, quod ipse non jure sibi vindicet. Ubi verò naturalis saltem obligatio datur, ibi meritum inter homines obtinet. Quod enim merè naturali obligatione hominibus debetur, id per actionem non potest exigi, neque per vim extorqueri, nisi forte in summò necessitatis casu. Quando autem quis alteri præstat, quod obligatione perfectâ non debet, alteri aliquid de se accrescit, pro quò æquale ab alterò potest requirere, teneturque alter ad æquale retribuendum. Communis enim natura, quæ omnes homines facit æquales, non permittit, ut unus alteri ad quid præstandum naturaliter obligetur, alter verò ab omni obligatione ad paria referenda immunis sit. Ita enim destrueretur omnis societas, si unus deberet alterius commodis inservire, ut tamen ab hoc in illum nihil utilitatis redundet. Quotiescunque igitur ex naturali saltem obligatione alteri quid debetur, illicò nascitur obligatio alteri æquale retribuendi, sive perfectâ sit obligatio sive imperfecta.

§. 21. Dicis: Hæc ratione scrupulum non evelli, sed firmiter infigi, quoniam etiam id, ad quod naturali obligatione tenemur, debitum est, non indebitum. Verum enim verò, omnem difficultatem jam summam esse satis percipies, ubi animò perpendes, illa hõc locò debita dici,

quæ



quæ jure possunt exigi, & per actionem & vim extorqueri, quæ verò tali modo nobis asserere non possumus, indebita sunt. Atqui ea, quæ merè naturali obligatione præstare tenemur, & officiis humanitatis vulgò comprehenduntur, nullâ actione Juris, nullâ vi, sed placidis duntaxat modis, rogando, monendo, persuadendo, obtestando, exigi possunt. Unde moralis seu naturalis & civilis obligationis discrimen sequentibus axiomatibus includit Valent. Alberti Compend. J. N. part. 2. proleg. §. 7. n. 8. Primum: *Quicquid sine læsione conscientie meæ omittere vel committere non possum, ad id obligor moraliter.* Alterum: *Quicquid sine læsione juris in alterò omittere vel committere non possum, ad id obligor civiliter.* Ita enim denominantur illæ obligationes ab effectu: Civilis, quia civiliter potest urgeri ab actore, qui læsus est; Moralis seu naturalis, quia moraliter tantum à conscientia, quæ vulneratur. Distingui tamen solet obligatio naturalis in pleniorè & minus plenam. Illa est, quâ quis ad omninò debitum jure adstringitur, sic, ut hinc etiam in forò exteriori actio competat, per quam ab invito illud exigi queat. Tale est, quod ex nudò pacto debetur. Nam hodiè ex pacto, serio aut deliberato invito, actio in judiciis potest institui. Hæc est, quâ quis sub ratione officii debiti adstringitur, ita, ut illa obligatio pudorem & conscientiam afficiat, non autem ad actionem in forò externò proficiat. Talis est obligatio ad *ἀντίδοξα*, seu remunerationem bene meriti. Vid. Rach. Instit. Jurispr. l. 2. tit. 32. §. 4. Id quod dubio procul eò consilio factum, ut quoniam etiam citra isthæc humanitatis officia civitatibus pax & tranquillitas constare potest, illa velut in materiam & occasionem seponantur, singulari benevolentia animos mortalium obligandi & devinciendi, quoniam efficacius conciliant & movent officia, quæ citra formidinem denegari, quàm, quæ vi poterant exigi. Idem velle videntur, qui indebitum hoc loco non per universalem sed particularem justitiam intelligendum esse docent. Quod etiam fortè significant, qui inter honestum, quodque ex virtute fit, & debitum hæc distinguunt. Ubi ad rem quoque facit, probè considerasse, quod licet illa caritatis & humanitatis officia recta ratio suadeat & jubeat, in applicatione tamen ad certas personas, quæ æqualiter indigent, nostrò sunt relicta arbitrio, & consequenter minimum ratione hujus vel illius personæ sunt indebita, quod ad fundandum meritum sufficere potest.

§. 22. Cæterum repetendum est, quod diximus, meritum inter homines obtinere, ubi obligatio saltem naturalis datur. Inter illos enim solos illa obligatio naturalis mutua est, quæ merito fundamentum præbet. Hinc quamvis naturali & congenita obligatione adversus Deum quoque teneamur, eique reverentiam summam & obsequium absolutum debea-

debeamus, nullus tamen locus merito relinquitur, licet possemus implere obligationis debita, & officiò satisfacere. Illa enim obligatio hominum erga Deum non est mutua, h. e. in Deo nullam fundat necessitatem, quâ ille nobis teneatur ad æquale referendum, quod nos Jure adversus Deum quæsitò exigere & postulare possemus. Est quippe penes Deum summum & illimitatum omnium rerum arbitrium & absolutum imperium, non consensu obtemperantium acquisitum, sed quod tanquam Autor & Conservator rerum omnium in creaturas suas obtinet, & exercet tantâ vi & efficaciâ, ut illis præter non renitendi gloriam jure nihil relinquatur, sed si quid à Deo postulandum & expectandum esse censent, ejus benignitati & gratuitæ promissioni illud debent in solidum, citra omnem ex parte creaturarum aut aliquò eorum factò in Deum redundante obligatione. Benè Thomas 1. 2. qu. 114. art. 2. ad tertium; *Homo omnem virtutem benefaciendi habet à Deo, non autem ab homine; Et idè à Deo non potest homo aliquid mereri, nisi per donum ejus, quod Apostolus signanter exprimit, dicens: Quis prior dedit ei, Et tribuetur illi; sed ab homine potest quis mereri, antequam ab eo acceperit per id, quod accepit à DEO.*

§. 23. Majorem difficultatem habet, æqualitatem inter ream malam & actionem moraliter malam ostendere. Non enim æqualitas hîc consideranda est, ut in mensuris & ponderibus, & nihilominus modus tamen est tenendus, ne res mala excedat meritum. Vulgò statuunt, æstimationem debere irrogationem antecedere, idque verè & sapienter asserunt.

§. 24. Ut æstimatio rectè fiat, considerandum & id, ob quod, & cujus ergo, & cui, malum retribuendum est. Ob quod, actio mala est; cujus ergo, utilitas est, quæ inde ad civitatem redundet; cui debeat irrogari, actionis malæ autor est.

§. 25. Quòd qualitas illius, qui autor est actionis malæ, considerari debeat, ex eò manifestum est, quia res nudæ non eòdem modò omnes afficiunt, neque æquè ab omnibus sustineri possunt. Sic multa, quæ pauperes exhaurire ac penitus exinanire potest, divites, ne onerare quidem valet. Vilibus & nullius frontis hominibus levissimum malum est ignominia, quam viri honorati, & qui pudore tenentur, gravissimè perferunt. Ætatis quoque & sexûs habenda ratio, cum in illis tanta sit disparitas, ut hic ferendo malo impar sit, quod alter levissimè sentit.

§. 26. Utilitatem, quæ ex retribuendâ re malâ in civitatem redundat, accuratè attendendam esse, vel inde constat, quia ob illam maximè mala referri solent malè agentibus. Interest enim civitatis, quam emendatissimos habere subditos, qui spontè in finem Reipublicæ per leges se

dirigi permittunt, ut omnes & singuli tranquille vivere queant, & firmi Imperii sanctitas illibata conservetur. Ubi verò cives dictò non sunt obediētes, sed intestinam perniciem moliuntur, ut publica quies perturbetur, tum incumbit summò imperiò, res malas proponere, quarum molestia delinquendi libidinem coërceat. Nisi enim dolor ex re malà irrogata perceptus, oblectamentum, quod ex peccandi licentià capitur, exsuperet, incassum infligetur malum, vel saltem inefficax erit, à delinquendi libidine, ad legum reverentiam, improbos reducendi. Quis ergò rerum malarum modus esse debeat, utilitas Civitatis determinat. Debent nimirum mala eò usque extendi vel remitti, quantum ad reprimendam hominum malitiam & conservandam tranquillitatem sufficit. Qui hinc deficiunt, præcipuè in periculis Reipublicæ, dissoluti, qui excedunt, crudeles sunt. Benè Cicero: *Quod ego, inquit, sic administrabo, ut si ullò modo fieri poterit, ne improbus quidem quisquam in hac urbe pœnam sui sceleris sufferat. Sed si vis manifestæ audaciæ, si impendens patriæ periculum me necessariò de hac animi lenitate deduxerint, illud profectò perficiam, quod in tanto & tam infidioso bello vix optatum videtur, ut ne quis bonus intereat, paucorumq; pœnâ vos omnes jam salvi esse possitis.* Vid. Cat. 2.

§. 27. In actione malà spectanda est causa, quæ impulit, & quæ revocare ab actu debuit, & agentis ad utrumque aptitudo. Qui ex affectu & repentino animi impetu delinquant, levius peccant, quam qui deliberandi spatium habent. Affert etiam egestas & necessitas prætextum probabilem. Illi verò, qui in summâ rerum abundantia vel ob turpe lucrum vel inanis gloriæ causâ injusti sunt, nihil habent, quod ad veniam impetrandam obtendere queant. Quos verò sola malitia propter se impellit, illi ultra humanum modum delinquant. Fieri etiam potest, ut quis uno actu geminam committat malitiam, quando nimirum non tantum objectum malum est, sed etiam in finem malum extrinsecum refertur. Ut quando quis furatur, ut morchetur. Quemadmodum contra etiam geminam bonitatem perficit, qui non solum in bono versatur objecto, sed etiam in bonum finem operatur. Id tamen est observandum, quòd aliquis duplici modo possit operari in bonum finem, primò in eum finem, qui est operi intrinsecus, ut si quis castitati studeat, tantum ex amore ipsius castitatis, quò pacto talis actus tantum habet rationem ac laudem temperantiæ; secundò potest operari in bonum finem extrinsecum, in quem operatio per se non est ordinata, ut dum quis castitatem sectatur ex amore Dei. Quà ratione actus bonus est in duplici specie bonitatis, castitatis & amoris divini. Idem de actu malò intelligendum est. Pejor etiam est actio, quam plus damni consequitur, cuive ad eò plus injustitiæ adhæret. Gravius est delictum, quod

pietas

pietas in parentes, humanitas in necessarios, & gratus animus in beneficos non impedire potuit. Auget etiam peccatum lex prohibens, addunt enim contemptum, qui repetitâ sanctione vetita committunt. In quibus denique impar aptitudo est, causas impellentes moderandi, & causas retrahentes cognoscendi, in illis etiam impar est malitia, & delicta sunt inæqualia. Minoris certè est, quod pueri, foeminae, obtusi ingenii homines delinquunt, quàm quod isti patrant, qui maturiore ætate, validiori sexu & sagaciori mente præditi sunt.

§. 28. His omnibus ritè perpensis, si tale tantumque malum perperam agentibus infligitur, quod ad comprimendam delinquentium malitiam, vel saltim ad publicam tranquillitatem & securitatem imperiique sanctitatem conservandam sufficit, tunc istud malum actioni malæ censendum est æquale ac proportionatum, atque sic post æstimationem factam irrogatio vel applicatio citra ullum alium vel personæ vel alterius rei intuitum suscipi potest. Hæc enim demum, videlicet in applicatione, non æstimatione, æqualitas illa simplex locum habet, qualis est in numeris & inter merces atque nummos, in contractibus & rerum permutationibus observari consuevit. Ut verò ad Bodini Harmonicam æqualitatem hic recurramus, aut ad rem planam & dilucidam, difficiliorem reddendam, plura ex proportionis Geometricæ & Arithmeticæ tricus afferamus, nihil causæ est.

§. 29. Minimè omnium admittimus illam æqualitatem, quam talionem, item *ταυτομέτεια* vocant, & tribuunt vulgò Pythagoricis, nec non Rhadamantho, quem statuisse ferunt: *Quod fecit, ferat; hæc fuerit directio Juris*. Nam neque natura rerum multifariam inæqualium, neque justitiæ modus admittit, ut profus eadem specie ac quantitate, sive mala pro malis, sive bona pro bonis semper retribuuntur, quin ut plurimum hujusmodi talio cum manifestâ iniquitate est conjuncta. Etenim si positus in scœnore nummis abundans mulctetur centum imperialibus, non æquè facillè feret impositam solutionem pecuniæ, qui omnibus suis facultatibus istam summam vix adæquet. Similiter quando ejusdem criminis rei adessent, & sententia diceretur, quod utrique manus amputanda sit, alter autem non nisi sinistram haberet, multò sanè gravius esset, huic sinistram reliquam abscindere, quàm alteri dextram. Quia fere perinde esset, atque si utraque manus abscinderetur. Si enim semper idem malum referendum esset alteri, quod intulit, æqualitas, quæ necessaria est, non observaretur, sed propter personarum discrimina, sæpè tolleretur. Si vir honoratus servum percussisset, & ideo repercutiendus esset, majus; si servus virum honoratum percutiens, repercutiendus foret, minus malum acciperet, quàm intulisset. Deinde multa mala

frequentissime inferuntur, quæ pari ratione rependi non possunt. Tandem iniquum est, eandem calamitatem subire nocentem & innocentem, atque tantundem saltem detrimenti, nec amplius accipere illum, qui deliberatò alteri damnum intulit. Bona quod attinet, illa profectò haud rarò eadem mensurâ nequeunt referri. Quamvis ad compensanda beneficia honestatis naturalis officio teneamur, nonnunquam tamen beneficiorum tanta est magnitudo, & Evergetæ tanta dignitas, ut nulla spes redhostimenti relinquatur. Ut taceamus, quàm sit arduum, beneficiorum qualitatem & quantitatem definire. Unde Seneca l. 3. de Benef. c. 6. *quia difficillè est tam incertæ rei æstimatio. Quis erit (inquit c. 7.) qui non agat? quis cum quo non agatur? omnes sua extollunt, omnes etiam minima, quæ in alios contulere, dilatant.* DEO, Parentibus, & Præceptoribus æquivalens pretium reddi non posse, manifestum est. Vix etiam Horatii, Mutiis, Deciis, Fabiis, Scipionibus, & similibus virtutum prodigiis & miraculis, ob ingentia in Rempubl. merita, par gratia referri poterat. Nec obscurum est, quàm sit absurdum, Medico, & causæ Patrono ac Præceptorì, non priùs grato animo respondere, quàm eadem ipsis exhibendi officia offeratur occasio. Saniori ergò sensu illud Pythagoricum, Justitiam esse τὸ ἀριστον δὲς, accipiendum erit. Nimirum Joachimo Camerario interprete, Geometrico illo vocabulo nihil aliud indicari existimandum est, quàm vicissitudinem consentaneæ rationis, non verò quamcunque talionem & qualemcunque perpeffionem ejus, quod designatum esse dicatur.

§. 30. Tùm igitur vera æqualitas seu exæquatio accuratè & justè observatur, si res & facta, secundùm diversas attributiones & circumstantias invicem exquisitè commensurantur. Quamvis in lege Judaicâ par pari simpliciter dicatur referendum, & quidem Gen. IX. 6. *Quicumque effuderit sanguinem humanum, ejus sanguis effundetur. Exod. XXI. 23. 24. Reddat animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Quò pertinent dicta Lev. XXIV. 20. Deut. XIX. 19. seq. Sap. XI. 17. Habac. II. 8. Non tamen ad externum sonum, sed ad vim & sententiam verborum, respiciendum est. Si enim semper idem, quoad speciem & quantitatem, neglectis omnibus circumstantiis, reddendum foret, Cainus fratricida pariter occidendus fuisset. At verò constat, capitali supplicio illum non fuisse affectum, vel quod illustri benignitatis & clementiæ documentò recens conditum genus humanum Deus sibi devincire voluit, vel quod rari tùm fuerunt homines, & exemplum pœnæ ad plures dimanare non potuit, vel quod nullum erat periculum, ne similia patraret Cainus. Deinde ipsò illò capite XX. Exodi, pro excusso servi aut ancillæ oculo, aut dente, non vicissim Dominus oculo aut dente privari, sed libertatem conce-

concedere jubetur. Et qui alterum inter rixandum percussit, ut lecto fixus decumbere cogatur, non tenetur eandem subire percussionem, sed ad restitutionem impenarum, curationis causâ factarum, & compensationem pecuniarum *agylas* seu cessationis à consuetis operis damnatur. ex quo efficitur, legem illam Mosaicam, qualitatem personarum, quantitatem facti, aliarumque circumstantiarum æstimationem nequaquam excludere, sed illud saltem significare, quod sceleribus certissima sit destinata ultio, pro circumstantiarum varietate, culpæ rationibus exactè respondens. Interea vel per modum proverbialis locutionis, vel per Synecdochen, metu præsentissimæ pœnæ, pro delicti quantitate, summò cum rigore infligendæ, homines ab injuriâ faciendâ deterrere, ad publicam securitatem pertinet. Veterum Ecclesiæ Doctorem sententias in hunc sensum vid. ap. J.C. Dürrium Disp. de Jure talionis.

§. 31. Neque XII. Tabulæ ad eò exquisitè talionem recipiendam urgent. Nam Tab. VII. de Delictis legitur: **SI MEMBRUM RUPSIŒ NI CUM EO PAICIT TALIO ESTO.** Paraphrasis ita se habet: *Si quis alteri membrum aliquod ruperit, nec cum eo pacisci velit, membrum et pariter rumpere injuriâ affecto jus est.* Quamvis enim talionis mentio fiat, ejus tamen nullus usus permittitur, nisi cum alter pacisci & satisfacere modò aliò recusaverit. Sanè simpliciter talionem non requiri ex lege proximâ ejusdem tabulæ satis apparet. **QUI OS EX GENETALI FUDIT LIBERO CCC. SERVO CL. ÆRIS POENÆ SUNTO.** Cujus hæc est Paraphrasis: *Qui dentem ex gingivâ excusserit libero Domini, trecentis assibus multator, qui Servo CL.* Quod si autem XII. Tabularum Conditoribus talio absolute approbata fuisset, neque dentem in æs commutassent, neque aliam liberi hominis, aliam servi rationem habuissent. Nulla igitur acerbitas in illâ Lege Tab. VII. ostendi potest, cum concedat facultatem paciscendi, & non necesse sit pati talionem, nisi quis eam elegerit. Accedit, quòd hæc quoque ipsa talio ad æstimationem Judicis redigi necessariò solita: nam si reus, qui deprecisci noluerat, judici talionem imperanti non parebat, æstimatâ lite, judex hominem pecuniæ damnabat, atque ita si reo & pactio gravis & acerba talio visa fuerat, severitas legis ad pecuniæ multam redibat. Vid. in Jacobi Gothofredi Opusc. variis Histor. & commend. XII. Tabularum c. 7. Unde frustra vel propter hujus legis incommoditatem vel propter retaliandæ pœnæ difficultatem XII. Tab. oppugnantur ap. Agell. N. A. l. 20. c. 1.

§. 32. Utrum verò malum, quod actioni malæ est æquale, eique retribuendum, debitum dici possit? facile ex formularum genuinò intellectu discerni poterit, dummodò priùs distinguatur, an ex parte patientis, an verò ex parte inferentis, malum debitum dicatur. Neutrò autem

tem modò illud malum debitum propriè dici posse manifestum est. Quod ut evidentissimè appareat, concipiendi sunt duo, unus, qui debet, alter, cui debetur. Si respicimus ad illum, cui debetur, tum debitum est, quòd jure exigì potest ab illo, adversus quem nobis jus est quæsitum. Si verò respicimus ad eum, qui debet, tunc debitum est, ad quod ultrò & libenter præstandum ex obligatione moveri intelligimur. At verò delinquens nihil sibi acquisivit, per quod jure possit ab altero quid exigere. Neque malum, quod ferre cogitur, ultrò & libenter subit, quippe quod tale esse debet, quod averfatur, eiq̄ue invitò imponendum est, tanquam ab ejus voluntate abhorrens. Proinde malum illud pro mala actione retribuendum, debitum propriè dici non potest. Quando autem vulgò dicitur malum deberi, nihil aliud innuitur, quàm quòd apti & digni sint actionis malæ autores ad malum recipiendum, vel quòd justum & æquum sit, malum illis referri.

§. 33. Est quippe meritum nihil aliud, quàm relatio realis actionis moraliter bonæ ad rem lege definitam, cujus ipsum agens morale capax est, vi servatæ inter actionem & rem ei assignatam æqualitatis.

§. 34. Dividitur in meritum boni & meritum mali.

Meritum boni est realis relatio actionis moraliter bonæ ad rem lege definitam, cujus ipsum agens morale capax est, vi servatæ inter ipsam actionem & rem actioni assignatam æqualitatis. Dicitur aliàs absolute meritum.

Meritum mali est realis relatio actionis moraliter malæ ad rem lege definitam, cujus ipsum agens morale capax est, vi servatæ inter actionem & rem ei assignatam æqualitatis. Vocatur aliàs Demeritum.



CAPUT

## CAPUT SEXTUM

Quo

DOCTRINÆ DE MERITO USUS IN  
S. THEOLOGIA OSTENDITUR.

§. 1.



Um meritum non duntaxat proprium, sed etiam æquale & indebitum esse debeat; nimis manifestum est, quòd hominibus quicquam à Deo sub ratione meriti obtinendi, profus nulla facultas concedatur. Bona igitur in universum, quæ quotidie Deus nobis largitur, & ulterius sub conditione se daturum esse longè plurima pollicetur, nullò nostro meritò impetramus, sed ejus benignitati & clementiæ tribuenda sunt.

§. 2. Unde non est difficile, intelligere, quò sensu capiendum sit, quòd Theologi non solum pactum Dei cum hominibus *μερόπλευρον*, sed *διπλευρον* admittant. Videlicet quicquid Deus vi talis pacti hominibus largitur, illud non ex conditionis valore, & præstandorum dignitate, sed largientis benignissimò affectu & gratiosissimâ voluntate dependet. Quicquid enim Deus sub pacti formâ hominibus injungit, vi absoluti sui imperii potuisset ab illis exigere. Quamobrem rectè hujusmodi divinum pactum ex Epist. ad Ebr. VIII. 6. describitur per divinam legislationem promissionibus sancitam: quod alias delineari solet per divinam promissionem alicujus boni hominibus factam, eorundemque obligationem ad certam bonò istò potiendi & fruendi rationem, cum denuntiatione iræ & pœnæ, bonum istud oblatum & divinam ordinationem negligentibus. Nam licet pactum *διπλευρον* seu mutuum sit, non tamen æquali & reciproco jure continetur. Siquidem quòd pacti nomine venit, non ab humano, sed Divinò pendet arbitriò, certè per mandatum à Deo exigi potest, & alibi exigitur. Hinc pacti quoque promissiones solâ Dei benignitate, nullò suo præstandorum intrinsecò valore, nituntur, ut mera gratia sit, quod mercedis nomine dignari, Deo placuit. Potuisset enim Deus omnia pacti debita, absque ullius præmii pollicitatione imponere. Accedit, quòd, ad pacti debita implenda, vires largiatur Deus, adeoque sua in nobis dona coronet. Vid. Abbas Bergensis, Sebast. Goëbelius in Disp. inaug. de pactis & fœd. Dei cum hominibus.

§. 3. Perinde itaque est, ac si Deus, v. g. cum primo homine hæc formulâ pactus fuisset: Adame! si præceptum meum de non comedendo fru-

M

Et



Et tu arboris scientiæ boni & mali unâ cum cæteris legibus cordi tuo inscriptis servaveris, quod tibi non erit difficile, quoniam præclaris donis & eximiiis dotibus à me instructus es, ego faciam, ut illâ felicitate, quâ nunc gaudes, non interruptâ diutissimè fruaris, & tandem, cum mihi visum fuerit, ex hac vitâ, nullâ interveniente morte vel ægitudine, in aliam omnibus numeris beatam, spiritualem & æternam vitam transferaris. Sin neglexeris mea præcepta, & comederis de fructu arboris scientiæ boni & mali, quâ die comederis, moriendo morieris. Adeò descendit Deus, & hominibus se accommodat, ut, quod ex autoritate illis injungere potest, sub pacti ratione & fœderis imponat.

§. 4. Quicquid verò Deo hõc modò stipulari placet, hominem acceptare, illõq; acquiescere oportet, quasi sic conventum esset, licet reverà ad fœderis hujus firmitatem hominum consensus non requiratur, quoniam Deus pacificatur cum creaturâ, quæ ipsi obsequium denegare nequit: imò validum est tale fœdus, sicut hominum ex parte scientia desit. Quâ de re benè Ægidius Hunnius disp. 63. contra Anabapt. errores §. 90. & seqq. *Quod in fœdere hoc requiri semper autumant conscientiæ sensum, scientiamque valentem, qualis in fœderibus hominum ab utraq; parte requiritur: reselluntur illi perspicuò exemplo fœderis, olim in circumcissione cum infantibus etiam rationis usu adhuc destitutis initi, in quos ejusmodi scientia, quam fanatici ad constitutionem fœderis efflagitant, nequicquam cadit. Alia enim est ratio fœderum inter homines, alia fœderis inter Deum & homines. Esto in illis talis exigatur rerum, que geruntur, notitia; in his certè, que Deus pangit cum hominibus, ipse plenum habens sue creature jus ac potestatem, pro divino arbitrio sancit fœdus gratiæ sue cum hominibus adhuc rerum ignavis, & rationis adhuc orbatis usurâ, licet non omni fide in Christum destitutis.* Prorsus ad Ægidii Hunnii mentem ac sententiam etiam differit Georgius Calixtus: *Pactum inter Deum & hominem non potest esse pactum, quale inter pares, ut liberam sit homini conditionem positam acceptare vel repudiare. Aut enim acceptare & præstare oportet, aut perire. Obligatio igitur ad præstandum, non pendet à consensu hominis acceptantis, sed à voluntate & imperiò Dei imponentis. Deus tamen juxta summam suam benignitatem & φιλοφροσινία συγκατατίθηται, & ne videatur nobiscum rigidè agere, vel potius comiter & blandè, quòd lex & mandatum appellari posset, pactum appellat.* Vid. Diss. de pactis §. 43. Hujusmodi pactum Dei cum hominibus universale duplex datur, alterum ante lapsum, alterum post lapsum. Illud legale, hoc evangelicum appellatur. Quemadmodum enim ante lapsum perfecta legis observatio requirebatur, tanquam medium æternæ beatitudinis consequendæ: ita post lapsum est medium consequendæ salutis fides Evangelio habenda. Nam perinde est, ac si Deus dixisset, polliceor vobis veniam peccatorum & beatam vitam; stipulor autem à vobis fidem evangelicis meis de mittendo in mundum Servatoris & promissionibus habendam.

§. 5. Quando ab hominibus fœderis debita implentur, officio suo satisfaciunt, & nihil merentur. Nam Deus summo suo & absoluto jure, quod sibi obnoxias suas habet creaturas, ad fœderis debita faciendâ eas obligare potest, & hominibus obsequendi necessitas incumbit. Præterea cum illis pacti debitis & conditionibus hominum felicitas contineatur, nova oritur obligatio, ut gratò animò deprædicent homines, quòd Deo placuerit, hujusmodi debitis seipsi obstringere. Quoniam autem Deus hominum amantissimus est, optimus & benignissimus, obedientes & verba pacti custodientes amplissimis & maximis præmiis mactare & beare decrevit. Quod nos nulli nostro merito, sed benignissimæ Dei voluntati unicè debemus. Vid. G. Calixt. de pactis.

§. 6. Quâ fronte igitur cum secta sua P. Laymannus Th. moral. l. 4. tr. 3. c. 11. asserere potuit? actiones humanas, & temporalia bona, & æternam gloriam apud Deum promereri. Quòd nullum, inquit, opus hominis justum meritorium sit gloriæ æternæ, nisi vel eliciatur à charitate, vel ab eadem imperetur, atq; in Deum ut finem ultimam supernaturalem referatur; sive id fiat per presentem charitatis actum, quod est actualiter referri, sive per præteritum charitatis actum, quod est virtute referri: v. g. si proposuisti, summam pecuniæ pauperibus propter Deum erogare, & postea oblata occasione, vi illius propositi eroges, tamen si tunc nihil amplius de Deo cogitans; opus hoc eleemosynæ virtute in Deum referatur, atq; à charitate imperatur. Probatur hæc sententia ratione. Nam ita sapientissimus Deus ordinavit, ut finem vitæ æternæ, quæ in fruitione summi boni consistit, homo viator non mereatur, nisi per motum libere voluntati proportionatum; videlicet quò fertur in ultimum finem summumq; bonum per modum unionis & amicitie, atq; iste modus proprius est actus charitatis: ergò meritum vitæ æternæ, inquit S. Doctor Thomas, primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundariò, secundùm quò earum actus à charitate imperantur. Et paucis intermissis: Quòd opera virtutum etiam moralium, atque ex motivo moralis tantum honestatis præstita ob quandam congruitatem secundùm beneplacitum Dei mereri possint aliquam temporalem prosperitatem: quò modò legimus, Deum in V. T. sæpe remunerasse opera virtutum etiam à peccatoribus præstita. Atque post paulò: Dicere itaq; debemus, quòd propositum initio hebdomadis aut diei conceptum, ob Dei amorem omnia opera in gloriam ejus agendi, secundùm se actus charitatis ac religionis sit, tantò præstantior, magisq; meritorius, quantò præstantius objectum habet. At verò, ut opera sequentia ex tali actu meritoria fiant supernaturalis justitiæ, aut gloriæ, necesse est, ut sint effectus illius. Exempli causa: Aliquis ob amorem Dei & ad gloriam ejus constituit peregrinationem instituere; quascunq; deinde in via actiones exercet, aut labores perfert, meritoria ipsi sunt apud Deum, si fiant ex vi & necessitate propositi illius nunquam revocati: Hactenus Laymannus.

§. 7. Sed ambiguitate vocabuli Merendi incautis fortè imponere vide-

tur, & quod valde admirandum, ipse requirit inter actionem & rem promerendam, aliquam proportionem & æqualitatem. Verum quæ proportio intercedit, æternæ gloriæ & mortalium operibus? nonne consummatam perfectionem comprehendit æterna beatitudo? opera verò bona mortalium multis modis manca & imperfecta sunt. Quod Thomas 1.2. qu. 114. art. 1. in corpore non diffitetur: *Manifestum est, inquit, quod inter Deum & hominem est maxima inequalitas, in infinitum enim distant, & totum, quod est hominis bonum, est à Deo.* Ubi ergo est illa proportio, & quæ manet reliqua æqualitas, quam cum Thoma etiam Laymannus urget? Thomas videtur illam inde demonstrare, quod homo propriâ voluntate agat, & sic aliquid mereatur. Ipse enim d. l. hanc proponit dubitationem: *Videtur, quod homo non possit aliquid mereri à Deo. Nullus enim videtur mercedem mereri ex hoc, quod reddit alteri, quod debet: Sed per omnia bona, quæ facimus, non possumus sufficienter recompensare Deo, quod debemus, quin semper amplius debeamus: ut etiam Philos. dicit in 8. Eth. Unde & Luc. 17. dicitur, cum omnia, quæ præcepta sunt, feceritis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Ergo homo non potest aliquid mereri à Deo. Ad hanc objectionem respondet, dicendum, quod homo, in quantum propriâ voluntate facit illud, quod debet, meretur, alioquin actus iustitiæ, quò quis reddit debitum, non esset meritorius. Redit ergo sententia Thomæ eo, quod homo mereatur aliquid apud Deum, in quantum propriâ voluntate facit illud, quod debet. Quam sententiam paulò ante quoque expressit in corpore verbis seqq. *Creatura rationalis se ipsam movet ad agendum per liberum arbitrium. Unde sua actio habet rationem meriti, quod non est in aliis creaturis.* Verum enim verò actus iustitiæ, quò quis reddit debitum, propriè non est meritorius. Nam ad debitum reddendum jure obligamur. Ad quod jure obligamur, illud debitum est, non meritorium. Ex eo autem, quod natura rationalis propriâ voluntate agit, id saltem sequitur, quod ei actio, quæ producitur, possit imputari, vel quod pro vero actionis autore haberi queat. Ut verò quis per actionem mereatur quippiam, ad hoc nequaquam sufficit, eum actionis autorem esse, sed inprimis requiritur, quod citra obligationem & necessitatem, cum alterius commodò & beneplacito, aliquid præstiterit, quod alter sine retributionis obligatione accipere non potuerit. Atqui quod natura rationalis ex propriâ voluntate facit, tantum abest, ut apud Deum meritorium sit, ut propter adhærentem imperfectionem ei ne placere quidem possit. Deinde nulla opera grata & accepta Deo esse poterunt, nisi quatenus supernaturali ope sublevantur, & auxiliante divinâ gratiâ fiunt. Eatenus autem nostra esse desinunt, cum à nobis, ex facultatibus & viribus nostris non proveniant. Meritum verò personale fit, necesse est, vel quod eòdem recedit, actio meritoria debet esse agentis propria, & ab ipsius viribus proficisci.

fificisci. Præterea bonæ nostræ actiones erga Deum sunt debitæ, & propter ejus amorem in ipsius gloriam, quicquid suscipimus, perficere debemus, cum ita nos gerere erga Deum naturali obligatione teneamur. Quoniam verò illæ saltem actiones meritoriaæ sunt, quæ indebitæ, manifestum est, quòd nullum bonum opus apud Deum possit esse meritorium. Si quæ autem, opera Deus remuneratione dignatur, benignitati dantis debemus, agentis verò dignitati tribuere non possumus.

§. 8. Inde apparet, neq; tum hominem aliquid mereri, licet in Numinis gloriam agat. Thomas, quando objectionem illam, *quod quoniam homo sibi proficiat bene agendò, non Deo, & consequenter à Deo nil mereatur*, deluendam sibi & refellendam sumit, dicendum scribit, *quod ex bonis nostris Deus non querit utilitatem, sed gloriam, i. e. manifestationem suæ bonitatis, quod etiam ex suis operibus querit. Ex hoc autem quod eum colimus, nihil ei accrescit, sed nobis: & ideo meremur aliquid à Deo, non quasi ex nostris operibus aliquid ei accrescat, sed in quantum propter ejus gloriam operamur.* Sed propter Dei gloriam agere, æquè nobis naturali obligatione injungitur, atq; ipsius virtutis studium, quod rectum & satis decorum esse nequit, nisi in Dei gloriam dirigatur, quippe quòd referre omnia debemus. Uti verò nihil meremur, quando id saltem præstamus, quod nobis incumberebat, ita nec ex eo, quod propter Dei gloriam operamur, quicquam mereri possumus.

§. 9. Equidem deficiente latini sermonis puritate scriptores nonnulli verbum mereri G. Calixto tr. de pactis §. 41. eò sensu usurpassè dicuntur, ut nihil aliud sit, quàm consequi. Quicumque igitur positâ divinâ promissione aliquid bonum nos consequi dicunt, à verò nihil alienum dicunt. Sed creaturam à suo creatore ullò modò aliquid mereri, si vox merendi capiatur secundum Justitiam propriè dictam, falsissimum est.

§. 10. Quod attinet Thomam & Laymannum, forsan non desunt argumenta, quæ ostendunt, ipsos juxta cum multis aliis mereri verbum, pariter latiori quòdam significato accipere. Thomas disertè asserit, posse hominem apud Deum aliquid mereri, non quidem secundum absolutam justitiæ rationem, sed secundum divinæ ordinationis quandam præsuppositionem: prout scil. id, tanquam mercedem consequitur homo per suam operationem, ad quod ei Deus operandi virtutem deputavit. Quam suam sententiam ita confirmat Thomas: *Manifestum est, quod inter Deum & hominem est maxima inequalitas (in infinitum enim distant) & totum, quod est hominis bonum, est à Deo: unde non potest hominis ad Deum esse justitia secundum absolutam qualitatem, sed secundum proportionem quandam: in quantum scilicet uterq; operatur secundum modum suum. Modus autem & mensura humane virtutis hominis est à Deo, & ideo meritum hominis apud Deum esse non potest, nisi secundum præsuppositionem divinæ ordinationis.* Vid. I. II. qu. 114. art. 1. Quibus verbis indicare

videtur, quod homo jure, vel secundum justitiam, nihil mereatur, sed secundum ordinationem divinam, h. e. quod ex divinâ promissione illâque gratuitâ & benignissimâ bonum aliquod, quasi mercedem, vel tanquam præmium indebitum, sed merè gratuitum, consequatur. Quamvis Svarez, qui operibus reatorum ex se adscribit condignitatem ad præmia, pro hac suâ sententiâ laudet Thomam, eandemq; tueatur contra Vazquezium, qui Scotum secutus, constanter propugnat, bona reatorum opera, licet ex gratiæ auxilio fiant, ex se tamen nullam habere condignitatem; in eò tamen conveniunt ambo, quod operibus vim & ratione formalem meriti denegant, & quæ eis vulgò tribuitur, eam non in aliò, quàm Dei gratuitâ acceptatione & promissione constituunt. Vid. B. J. Musæi Tract. de Ecclesia part. prim. disp. 6. §. 73. Idem quoq; Laymannus videtur innuere, quando promerendi & consequendi verba unam eandemq; rem significantia conjungit. *Finis*, inquit, *ultimus hominis considerati non præcisè secundum viros nature, sed secundum dona gratiæ, est æterna beatitudo, & conjunctio cum Deo: ad hanc autem promerendam & consequendam, viatoris opera congruentem proportionem non habent, sine charitate, per quam solam uniuntur Deo. Idq; ex sapientissimâ Dei ordinatione passim in S. literis declarata, &c.* Ex his verbis illud sanè apparet, quod meritum divinâ ordinatione nullò jure nitatur. Unde propemodum nihil obstat, quò minus existimemus, meritum cum gratuito præmio illos confundere. Cum autem in nostris scholis meritum sit indebitum, & gratuito dono opponatur, mirum non est, quod illis tam malè, præsertim si verba spectes, nobiscum conveniat.

§. II. Cæterum facile adduci possumus, ut nobis persuadeamus, omnes homines, qui saltem rectam rationem in subsidium advocare velint, evidenter satis intelligere, quod tanta sit hominum imbecillitas, ut officiis, quæ Deo debent longè plurima, ex assè satisfacere nequeant, & propterea ad aliquid merendum, jure strictò vel propriè, prorsus inepti sint. Quamvis ergò merita operum appellent & urgeant nonnulli, verbis tamen saltem id faciunt, communem inter suos loquendi usum, & sectæ suæ Magistros secuti, re verò & adhibitis restrictionibus ac declarationibus, omnem vim meriti nostris operibus denegant. Quando enim meritoria dicunt opera nostra, deducunt omnem vim ex Dei acceptatione & promissione, quoniam nempe Deus pro sua in nos gratia & benevolentia, illa sibi grata habet & accepta, & gratuitis præmiis ea se remuneraturum esse, ex mera benignitate promisit. Numquid igitur dubitabimus de illis, qui meriti vocem adeò pertinaciter usurpant, ejus vim tamen remouent, & re nobiscum consentiunt, idem pronuntiare, quod apud Cic. l. 4. de Finibus legitur de Stoicis: *Re eadem defendunt, quæ saniores quicumque, verba tenent mordicus. Quæ sursus dum sibi evelli ex ore nolunt, horridiores evadunt, asperiores, duriores, & oratione & moribus.*

CAPUT

## CAPUT SEPTIMUM

De

ILLIS, QUÆ ACTIONEM MORALITER  
BONAM CONSEQUUNTUR SEPARATIM.

§. 1.



Quandoquidem bonarum actionum autores & in se ipsis, & in aliis quippiam nanciscuntur, quod actioni bonæ acceptum ferendum; non ambigimus, quin illud omne pro actionis moraliter bonæ effectu haberi debeat. An verò tales effectus ita pertineant ad actionem moraliter bonam, ut præmii rationem habeant, quòd actioni moraliter bonæ ejusque auctori invicem retribuatur, insignia virtutis encomia dubium reddunt. *Virtus enim sibi ipsi sufficit, & eam qui possident, contenti sunt rebus suis, satis esse putant, quod est; nihil appetunt; nullà re egent; nihil sibi deesse sentiunt: nihil requirunt;* ut Cicero affirmat in Paradoxis. Cui suffragatur Seneca libr. de vitâ beatâ c. 16. *In virtute, inquit, posita est verâ felicitas. Quâ præditi, qui sunt, nihil coguntur: nullò indigent, liberi sunt, tuti, indemnes: nihil frustra tentabunt: nihil prohibebuntur, Omnia illis ex sententiâ cedent. Nihil adversum accidet, nihil contra opinionem, ac voluntatem. Quid ergò? virtus ad vivendum beatè sufficit. Perfecta illa & divina. Quid ni sufficiat? imò superfluit. Quid enim deesse potest extra desiderium omnium positio? Quid extrinsecus opus est ei, qui omnia sua in se collegit?* Quæ cum ita sint, non videtur virtus admittere accessionem alicujus boni, quod per modum præmii debeat ei retribui, vel actionem moraliter bonam per modum alicujus supervenientis boni consequi possit.

§. 2. Verùm enim verò primò illis encomiis opponimus verba Phil. Mornæi: *Imò, inquit, lauda virtutem, quantum potes, & libros in ejus laudes, ut voles, conscribe. Virtus hæc tantum inferiora respicit, virtute quid non modò infelicius sed vel miserabilius esse potest.* Vid. de verit. Rel. Ch. c. 18. Deinde utique possunt virtus & præmium conjungi, ut actio moraliter bona non ab omni bonò aliò abhorreat. Si enim virtus suadet, ut est apud Senec. lib. de vitâ beatâ, c. 16. *Ne quid aut bonum aut malum existimes, quod nec virtute nec malitiâ continget;* datur utique bonum, quod virtuti accedere, & actioni moraliter bonæ supervenire potest, quoniam aliàs frustra Seneca contenderit, illud solum bonum esse, quod virtuti contingit, si virtus sola omne bonum foret, & non daretur aliud bonum, quod

quod virtus tanquam effectum suum respicit. Quando autem dicitur virtutem sufficere, imò superfluere, commodum admittit sensum. Sane de actu virtutis in se illud nequit intelligi, quippe qui valde tenuis est, à quò tanta boni abundantia minimè provenire potest. Si verò virtus æstimatur ex ente infinito, ad quod refertur, cum quo per virtutem conjungimur, ejusque bonitate hòc modò fruimur, facile est illam superfluum sufficientiam intelligere. Ut enim homo contentus esse queat, secum acquiescat, & nihil amplius appetat, necesse est, ut ejus desideria expleantur, & appetitus satiatur. Constat enim, ejus facultatem appetentem in bonum ferri, neque priùs sisti, donec illius boni particeps facta sit, quò neque melius neque perfectius; ab intellectu excogitari & inveniri potest. *Summum hominis bonum est hominis finis. Est igitur finis absque fine seu terminò, non qui consumit, sed qui consummat; non ultra quem homo non sit, sed ultra quem non desiderare, non esse melius possit. Si quid ulterius esset, neque finis, neque summum esset. Quærimus verò & finem & summum. Et si aut corrumpi aut perire posset, metueremus perpetuo, ne perderetur, ac deperiret: & quò voluptas in fruendo major, eò in servando, vehementior anxietas.* Mornæus d. l. Atqui res creatæ in universum omnes limitatas perfectiones & bonitatem circumscriptam habent, quæ voluntatis desideria minimè explere possunt, cum ab intellectu Eus longè perfectius & melius, Deus Optimus Maximus cognoscatur, cujus bonitas infinita voluntati ab intellectu repræsentata movet, & trahit eam ad ejus desiderium, neque priùs exsatiari potest, quàm divinæ & infinitæ bonitatis particeps facta fuerit. *Quamobrem & humanâ ratione ducit & universe Philosophiæ auctoritate & suffragiò, statuimus, ut corpus hominis ad animam, & vitam hanc mortalem ad immortalem referri. Finem etiam & scopum hominis, in hoc seculo, cognitionem & cultum Dei esse; ut & bonum fini & scopò illi adjunctum, fruitionem & possessionem ejus in Cælo.* Phil. Morn. de ver. Rel. Chr. c. 19. Quatenus autem homo per virtutem circa objecta alia extra Deum versatur, & in illis se conformiter gerit legibus, suò quidem satisfacit officio, sed beatitudinem nondum obtinet, quippe hæc in illa demum animæ rationalis operatione consistit, quæ ita versatur circa Deum, Ens summum & infinitum, quò nihil melius & perfectius esse aut cogitari potest, ut ejus bonitatis reddamur participes, & hòc modò appetitus noster satiatur. Nihil verò impedit, quò minus liceat concipere seorsim actionem moraliter bonam seu legibus consentaneam, & deinde illa bona, quæ talem actionem tanquam effectus vel in ipso agente oriuntur, vel aliàs consequuntur, & ad actionis autores referuntur. Id quod sacris literis apprimè consentaneum est, quippe quæ pietatem commendant, quòd ad omnia sit utilis, & habeat promissionem hujus & futuræ vitæ,

vitz, h. e. utriusque bonorum. 1. Tim. IV. 8. Uberius hoc demonstrat Eliphaz apud Jobum c. V. v. 25-26. Quamvis autem nunquam desint bella & certamina, cum quibus confitentur pil, nec unquam Cœlum adeo serenum, ut non aliquam ejus partem impuri terræ halitus involvant & obsuscant; semper tamen illis suppetunt diversi generis bona, quæ animos erigere, excitare ac confirmare possunt.

§. 3. Inter illa verò bona, quæ in hac vitâ moraliter bonam actionem consequuntur, primò numeramus agentis internam hilaritatem & lætitiâ, quæ ex actu intellectus super seipsum reflexo oritur. Dicitur ille actus intellectus conscientia consequens, quoniam actionem non antecedit, sed consequitur. Quando absoluta & perfecta est actio, perpendit & examinat illam intellectus, & ubi eam legibus conformem esse deprehendit, lætatur in illa securus & tranquillus. Dum enim naturâ suâ rationali nihil indignum commisit; non habet, quod metuat: ex eâ verò, quod legibus conformiter egerit, intelligit, se illarum auctori placere, & actum à Deo Opt. M. approbari, quod mirifice afficit animum, confirmat, erigit, & incredibili voluptate perfundit. Idpropter haud abs re Samueli Rachelio Diff. de Jure N. & G. §. 94. nihil aliud est conscientia, quàm Providentiæ Divinæ radiis, quò bonorum mentes illuminantur, excitantur, recreantur; quemadmodum solari lumine alia res creata fovetur & aluntur, letæq; redduntur.

§. 4. Quemadmodum porro illa tranquillitas & lætitiâ mentis actionis moraliter bonæ indissolubilis comes & virtutis certissimum auctoramentum est; ita solent etiam multa bona alia consequi & agenti circumferendi, quæ si peculiari sanctione atque expressâ conventionem definita sunt, mercedis nomen obtinent, æquitati verò & arbitrio alterius, ubi quodam modum, tempus & mensuram relicta fuerint, præmia dicuntur. Quæ iterum diversimodè solent dispesci Samueli Pufendorfio l. 1. de J. N. & G. c. 9.

§. 5. Præmium est vel res corporalis, ut pecunia, prædium; vel res corporalis, ut concessio privilegii, immunitatum; vel moralis, ut honor, dignitas; vel notionalis, ut statua, inscriptiones, coronæ & similia.

§. 6. Aliis verò aliæ placent voces & aliæ divisiones. Adhibent illi meriti vocabulum, & meritum boni, quod agenti in ordine ad civitatem convenit, partiuntur in verbale ac reale. Verbale dicitur testimonium rei bene gestæ, quò pertinet laus, gloria, honor, fama. Reale est vel dignitas quædam, aut munus, vel res quædam alia mobilis vel immobilis. Reale, quod frequentius absolute vocatur præmium, iterum dividitur in præmium togæ & præmium sagæ. Togæ præmium est vel honorarium vel civile. Præmium sagæ vicissim suos habet ordines & modos.



§. 7. Singulorum diversæ diversis receptæ sunt delineationes. Apud P. Laymannum Th. Mor. L. 3. tr. 3. part. 2. c. 1. *Fama, secundum communem assertionem, est frequens ac vulgaris de re aliqua sermo: Strictius, autem accipitur, quatenus spectat ad alicujus laudem vel vituperationem, ac dividitur in bonam & malam famam. Denique strictissime usurpatur solum in bonam partem, & definitur opinio sive existimatio de alterius excellentiâ. Et si fama, si nominis etymon spectes, sit communis & vulgatus sermo; tamen etiam pro privata alicujus bonâ de altero existimatione accipitur, quod d. I. testatur Laymannus.*

Honor est testificatio alienæ excellentiæ animo conceptæ, quæ erga homines non nisi per signa exteriora verborum aut factorum fieri potest: erga Deum verò etiam solò interiore cordis motu.

Laus Honori affinis est: Differunt tamen, quia laus in solis verborum signis consistit; Honor verò etiam in aliis, ut capitis inclinatione, genu flexione; staturæ positione.

Gloria denique est effectus honoris ac laudis. Nam exinde, quod de alterius bonitate & excellentiâ verbis ac factis testificamur, clarescit ejus excellentia in notitiâ plurimorum. Adde Thomam Aquinatem L. 2. q. 103. a. 1. Cicero in Orat. pro M. Marc. ita gloriam describit: Gloria est illustris ac pervagata multorum & magnorum vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum.

§. 8. Succedunt privilegia meritis acquisita. Quæ nihil aliud sunt, quàm jura privatis concessa, quibus communi juri derogatur. *Verius enim est, inquit Grotius l. 2. c. 18. §. 4. n. 4. Privilegia ita intelligenda, ut aliquid tribuant ultra jus commune.* Ita verò, quod tribuunt privilegia, libertate & honore continentur. Illi enim, quibus privilegia concessa sunt, obtinent immunitatem à publicis tributis, vectigalibus, collectis, oneribus denique sive omnibus sive aliquibus, in republicâ civibus imponi solitis, & hoc ipsò in eminentiori præ cæteris gradu honoris & existimationis positi censentur.

§. 9. Præmia literaria illis conferuntur, qui in literarum studiis dignos progressus fecerunt in usum civitatis. Quorum tres veluti gradus sunt, & infimus Baccalaureatus, medius Licentia, supremus Doctrina dicitur. Infimus gradus est illorum, qui facultatis suæ elementa, quæ institutionibus comprehendi solent, cognita habent. Dicitur solent Baccalaurei, fortè ideo, quia in illius scientiarum tirocinii testimonium corolla ex lauri baccis nexa illis imposita fuit. Medius istorum est, qui in suæ facultatis studiis eoque usque pervenerunt, ut idonei judicentur, quibus ejusdem facultatis artes docendi, & summos honores impetrandi facultas detur. Horum capiti olim Laurea fuit imposita, quam Licentiam dixerunt, unde

Licen-

Licentiautorum nomen. Supremus eorum est, qui luculentis documentis eximiam suam scientiam demonstrarunt, & id propter publicè reuanciantur digni, qui omnia commoda & beneficia ejus facultatis merito obtineant, & jure exerceant. Hi Doctores dicuntur. Ita ferè differit J. C. Beckmannus in Polit. Parall. diss. X.

§. 10. Alii verò paulò aliter sentiunt, nec eadem ubique illorum graduum ratio est. Quod ad Baccalaureorum nomen pertinet, Beckmanni sententiam etiam olim proposuit Alciatus. Sed Conringius illud merè Gallicæ originis & usûs esse contendit diss. 4. de Acad. Antiq. Cui adstipulantur, diversâ licet ratione, Loiseus lib. de ordinib. Claudius Falsetus, Andreas Favinus. Sed Cujacius à Buccellariis veterum appellatos esse existimat. Rhenanus à bacillis deducit, quibus donantur, dum gradum illum consequuntur. Cui subscribit Wathius, & Baccalaureos militares inde quoque dictos esse opinatur. Id tamen Carolus du Fresne refellit, ipse verò nescit, an non potius Baccellarii originem suam debeant præcis illis Baccellariis, qui Baccellarias, prædia sic nuncupata, tenebant & excolebant, adeò, ut cum liberæ & ingenuæ essent conditionis, Baronibus tamen longè inferiores essent. Invenitur autem nominis lectio admodum varia, Baccalarii, Baccalaurei, Bachellarii, Bachalarii, Bacularii. Idem Carolus du Fresne Baccalaureos dicit, qui in eò gradu sunt, ut ad Doctoratum aspirare possint. Theologiæ facultas Parisiensis in quatuor vel ordines distributa est, Magistrorum, Licentiautorum, Baccalaureorum Formatorum, & Baccalaureorum cursorum. In Academiis Anglicis Baccalareatus vel Doctoratus gradus non obtinent. Vid. laudati Caroli du Fresne Glossarium ad script. med. & inf. latinit. in voce Baccalarii. De Philosophiæ Doctoribus separatim observari debent, quod frequentiori usû Magistri dicantur. Cæterum reperias etiam omnium scientiarum Doctoratus Magisteria nominari, & inprimis Theologiæ Doctores eximios *κατ' ἐξοχήν* Magistros appellari. Hæc causa est, quòd in nonnullis Principum literis Magistri præponantur Doctoribus. Sic Caroli V. Imperatoris literæ ad Academiam Viennensem missæ, quibus libros Lutheri flammis tradi mandavit, hanc habebant inscriptionem: *Den würdigen/ Unsern lieben/ andächtigen und getreuen / N. Rectorn / Magistern und Doctorn Unserer Universität zu Wien.* Et à Serenissimis Nutritoribus Academiæ Lipsiensis ad eandem scribi consuevit: *Den würdigen und Hochgelehrten / Unsern lieben getreuen Rectori, Magistern und Doctorn der Universität zu Leipzig.* Plura videantur apud Lansium, Limneum, Jo. Himmelium de Scholastica Theologia, alios.

§. 11. Hæc de re tamen rectissimè judicatur, ex illis literis, quibus generalia studia concessa & confirmata fuerunt. Sic in diplomate summi

Pontificis Urbani Quinti, dato Avenione XIII. Kal. Julii An. MOCCLXV.  
 quo Villæ Wiennensi conceditur generale studium omnium facultatum  
 licitarum, præterquam Theologiæ, Magisterii & Doctoratûs vocabula  
 promiscuè sensu eodem habentur, quemadmodum verba sequentia inde  
 adscripta satis indicant: *Statuimus & etiam ordinamus, ut in dicta villa de  
 cetero sit studium generale, illud quæ perpetuis temporibus inibi vigeat, tam in  
 Juris Canonici & Civilis, quam in aliâ quâlibet licitâ, præterquam Theologicâ  
 facultate, & quod legentes & studentes ibidem omnibus privilegiis, libertati-  
 bus & immunitatibus, concessis Doctoribus legentibus & studentibus, commoran-  
 tibus in synodo generali, gaudeant & utantur; quod quæ, qui progressu tem-  
 poris bravium muerint in illâ Facultate, in quâ studuerint, obtinere, sibi quæ  
 docendi licentiam, ut alios erudire valeant, ac Doctoratûs seu Magisterii ho-  
 norem petierint, elargiri per Doctores seu Doctorem ac Magistrum, seu Magi-  
 strum illius Facultatis, in quâ examinatio fuerit faciendâ; Præpositô Ecclesiæ  
 omnium Sanctorum dictæ Villæ, qui pro tempore fuerit, vel Præpositurâ ipsius  
 Ecclesiæ vacante, illi, qui ad hoc per dilectos filios, Capitulum ejusdem Ecclesiæ  
 deputatus fuerit, presententur. Idem quoque Præpositus aut Deputatus, ut  
 præfertur, Doctoribus & Magistris in eadem Facultate actu inibi regentibus  
 convocatis, illos in his, quæ circa promovendos ad Doctoratûs seu Magisterii  
 honorem requiruntur, per se vel per alium, juxta modum & consuetudinem, qui  
 super talibus in generalibus studiis observantur, examinare sudeat diligenter,  
 eis quæ, si ad hoc sufficientes & idonei reperti fuerint, hujusmodi licentiam tri-  
 buat, & Doctoratûs seu Magisterii conferat honorem. In Diplomate Summi  
 Pontificis Urbani VI. dato Neapoli X. Kal. Martii A. MOCCLXXXIV.  
 superioris Diplomatis verba repetuntur, dum autem eidem Villæ Wiennensi  
 conceditur generale studium in Theologicâ Facultate, Magistrô-  
 rum tantum, nulla Doctorum fit mentio. Ipsa verba sequuntur: *Sta-  
 tuimus & etiam ordinamus, quod de cetero in Villâ prædictâ in eadem Theolo-  
 giâ sit studium generale, & quod studentes & legentes ibidem in Theologia præ-  
 dictâ omnibus & singulis gratiis, immunitatibus, prærogativis, Libertatibus,  
 privilegiis, concessis Magistris, Licentiatis, Baccalaris ac legentibus & stu-  
 dentibus in dictâ Theologia commorantibus, in Bononiensi, vel Parisiensi, aut  
 prædictis aliis studiis generalibus (Cantabrigiæ vel Oxoniensi) in quibus,  
 quod hujusmodi Theologia legi possit, à sede Apostolicâ est indultum; gau-  
 deant & utantur, quod quæ illi, qui processu temporis Baccalaratûs, seu Li-  
 centiæ aut Magisterii, vel alium gradum seu honorem in dictâ Theologia m-  
 ruerint, voluerint & petierint sibi elargiri per Magistrum seu Magistrum Fa-  
 cultatis ejusdem præfatô Præpositô vel Deputatô hujusmodi presenten-  
 tar. Ipse quæ Præpositus vel Deputatus Magistris in eadem Facultate actu  
 inibi legentibus seu aliis commorantibus, convocatis, illos in his, quæ circa pro-  
 moven-**

movendos ad Magiſterii ſeu Licentiæ vel Baccalariatus, ſeu alium honorem & gradum in dicta Theologia requiruntur, per ſe vel per alium juxta modum & conſuetudinem, quæ ſuper talibus in prædictis Bononiæ ſeu Pariſienſi, vel aliis generalibus ſtudiis obſervantur, examinare ſtudeat, diligenter, eiſque, ſi ad hoc ſufficientes & idonei reperti fuerint, hujusmodi Baccalariatus, ſeu Licentiæ, vel Magiſterii aut alium honorem vel gradum largiatur. Iſta Diploma integra videri poſſunt ad Petrum Lambecium Comment. de Biblioth. Cæſ. L. 2. c. 5.

§. 12. Præmia illa literaria ex autoritate civitatis conferuntur. Scholæ verò, quibus talia conferendi præmia facultas data eſt, Academiz dicuntur, quæ hoc potiffimum jure à Gymnaſiis discerni ſolent. Etenim poteſtatem Juris dicendi vel publicè docendi, quilibet Princeps & ſtatus Imperii, in ſuo territorio, largiri poteſt, ſed jus conferendi præmia literaria dependet à ſolo Imperatore, qui per Diploma hanc poteſtatem conferendi honores impertitur. Unde hoc potiffimum jure ab Academiis Gymnaſia diſtingui ſolent. Hòc diſcrimine nititur Petrus Lambecius, quando L. 2. c. 5. comment. de Bibl. Cæſ. jubens accedit ſententiæ Stephani Paſquieri in Diſquiſitionibus rerum Francicarum L. 3. c. 23. & Petro Bonfonſio, in antiquitatibus Pariſienſibus c. 13. qui contra Robertum Gaginum, Hectorem Boëthium, Nicolaum Gilheſium, Franciſcum Belleforeſtum, alioſque nonnullos recentiores Scriptores jam pridem variis magni ponderis argumentis demonſtrârunt, fundationem celeberrimæ Pariſienſis Academiae imperperam attribui Imperatori Carolo Magno, reverà autem attribuendam eſſe partim quidem Regibus Galliz Ludovico VII. qui cœpit regnare An. MCXXXVII. & Filio ipſius Philippo II. qui Patri in Regno ſucceſſit, An. MCLXXX. partim verò etiam celeberrimo Theologo Petro Lombardo, qui ob libros quatuor ſententiarum à ſe editos, Magiſter ſententiarum vulgò appellatur, & ſub duobus illis Regibus, Episcopatu Pariſienſi cum ſummâ laude præfuit, quoniam nullum reperire potuit Diploma Pariſienſi Scholæ datum, quod anno milleſimo centeſimo nonageſimo nono eſſet antiquiùs. Diſtinguit enim inter quodcunque Collegium literarium, & inter tale, in quo per ſpeciàlem Principalis Privilegii prærogativam, omnia ſtudiorum genera proponuntur, & ſecundum eruditionis profeſtum, Tituli quoque ac Dignitates Graduum Scholaſticorum, tanquam diligentiz & virtutis præmia, publicà conferuntur autoritate. Hòc poſteriori ſenſu acceptam Scholam, quæ vulgò dicitur Academia, Pariſiis Caroli M. ætate fuiſſe, Lambecius inficiatur. Cæterum non negat, quòd ante memoratum fundatæ Academiae tempus, illuſtris Artium Liberalium Schola, Lutetiz Pariſiorum floruerit, & propterea etiam nunc Facultas ar-

tium tantam ibi obtineat prærogativam, ut nec ex Theologica, nec Juridicâ, nec Medicâ Facultate, sed ex ea sola semper creetur Rector, qui in cæteras omnes Facultates totamque Academiam habet imperium.

§. 13. Præmiorum civilium & militarum longè major numerus est & tanta varietas, ut illorum naturas, ordines, modos exponere, ac quorumcunque tradere mensuram & valorem, esset omnium & singularum civitatum mores & statuta accuratè recensere. Cum enim præmiis res laudabiles promoveantur & crescant, ac mortalium ingenia iis excitentur, prudentes rerumpublicarum Rectores nunquam non varia excogitare ac proponere præmia conmissi fuerunt, ne unquam deessent illi stimuli & incitamenta, quibus homines ad præclare agendum, & ad publicum commodum augendum permoverentur. De omnibus enim prudentibus civitatum Rectoribus intelligi potest, quod Ulpianus apud Sildenum proficitur. *Justitiam, inquit, colimus, & boni & equi notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes; bonos non solum metu pœnarum; verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram, nisi fallor, Philosophiam, non simulatam affectantes. Cujus instituti necessitas etiam divino exemplo comprobari potest. Nam populum Israëliticum, duræ cervicis & ingenii refractarii, ad obedientiam per præmia in sensus incurrentia invitare; ab idololatria & criminibus aliis, per pœnas horribiles, itidem sensibiles, detertere Deus instituit.*



CAPIT

## CAPUT OCTAVUM

De

ILLIS, QUÆ ACTIONEM MORALITER  
MALAM CONSEQUUNTUR, SEORSIM.

§. 1.

**H**X actione moraliter malâ, simul ac producta est, resultat respectus agentis ad legem per actionem violatam, unde etiam actionis autor culpabilis & legis prævaricator, ipse verò ille respectus culpa dicitur. Nam culpæ nomine nequaquam diversum quid ab ipsa actione malâ realiter distinctum intelligitur, sed culpa est ipsa actio mala, quatenus respectum dicit & relationem ad legem seu regulam rectitudinis, à quâ discrepat, seu cui disconvenienter se gessit actionis autor. Hinc describi solet culpa, quod sit vera relatio in genere morum, vi cuius agenti peccatum (vel actio mala) imputari potest. Abstractè ac formaliter dicitur imputabilitas moralis peccati vel actionis malæ.

§. 2. Jctorum stilo paulò aliter accepta culpa, per ignorantiam & imperitiam describitur, atque dividi consuevit in levissimam, levem & latam. Quemadmodum enim humana diligentia triplex consisti potest, una communis omnium hominum, non acri ingenio & industriâ excitata, sed velut è communi sensu descendens; altera est hominis magis exculti, qui ultra illam communem, majorem adhibet solertiam; tertia est exactissima, quæ in homines saltem accuratissimos cadit; ita si prima diligentia omittitur, lata; si secunda levis, si tertia, levissima culpa dicitur.

§. 3. Quod Jctis culpa, Philosophò ἀμαρτία dicitur. Quod ut rectius intelligatur, sciendum, per actionem malam non duntaxat legem violari, sed & sæpè aliis damnum inferri: Utrum verò, quotiescunque per actionem nostram alteri damnum datur, nos pariter culpabiles simus, & ex actione teneri queamus, altius paulò expendendum est, præcipue, quia ut alteri detrimentum afferatur, variis modis fieri solet. Jcti ad Dolum, Culpam & Casum fortuitum illos referunt. Aristoteles triplex vel quadruplex facit læsionum genus. Ἀτύχημα, infortunium, quod est læsio, quæ præsumi & prævideri non poterat. Græcis dicitur ὄνεια βλάπη, Jctis veteribus vis major: Ἀμαρτία, est læsio, quæ prævideri poterat. Ut si quis vellicandi tantum animo alterum vulneret: nam talis eventus prævideri & caveri potuit. Ἀδίκημα secundum quid & improprie, est læsio, quæ

quæ fit ex subito affectu; *Αδίκημα* simpliciter & propriè, dicitur lætio ex prævia deliberatione; & hæc alias *injuria* vocatur, Græcè *ἀδίκημα*. Vero admodum consentaneum est, quod, Autore Jacobo Thomasi ô, hæc lætionum genera commodè hinc hoc modo dividi queant. Lætio vel invita est vel spontanea. Invita vel prævideri aut præsumi non potest, & vocatur *ἀτύχημα*, infortunium; vel præsumi non potest, & vocatur *ἀμαρτημα*, erratum. Si enim aliquis in loco deserto jaculetur, quò nullus transire consuevit, caluque aliquem intercurrentem vulneret, infortunium est: nam in loco tali præsumi non potest, fore, ut aliquis lædatur. At si idem contingat jaculanti in loco aut via, ubi multi versari consueverunt, non infortunium erit, sed erratum. Potest enim ac debet præsumi, fieri facile posse, ut emissum tali loco jaculum feriat aliquem. Interim utraque lætio invita est, quia præsupponitur, neutrum habuisse lædendi ullius hominis voluntatem. Spontanea lætio similiter est duplex: aut enim non fit ex prævia deliberatione, sed ex subito affectu, ut ex ira, aut fit ex deliberatione prævia. Utraque *ἀδίκημα* vocatur, sed illa secundum quid & impropriè, hæc simpliciter & propriè: illa non plena, hæc plena. Illius exemplum, si quis aliquem vulneret ex ira subita, absque spatio deliberandi; hujus, si vulneret ex prævia deliberatione. Utraque spontanea est quidem, quia fit cum animo lædendi; sed illa tamen levior, hæc gravior, ob hoc ipsum, quia illam deliberatio non præcesserat, hanc præcesserat. Vid. Phil. Pract. annot. ad Tab. 26.

§. 4. De his lætionum & lapsuum generibus pronunciat Themistius, quod principem oporteat *prioris quidem misereri, corrigere alterum, possidemum duntaxat ulcisci*. Nam inter injuriam, quæ est lætio à volente & sciente alteri invito contra jus illata, & merum infortunium medio loco posita est culpa vel *ἀμαρτημα*, quod ex utroque quasi conflatum est, ita ut actio neque merè scientis & volentis, neque merè ignorantis aut inviti dici possit. Quamobrem etiam diversissimus illorum est effectus, ut non perinde quis teneatur præstare dolum, culpam & casum fortuitum. Nam mera infortunia neque poenam merentur, neque ad restitutionem damni obligant, sed misericordiâ potius digna sunt. Injustæ actiones ad utrumque: culpa media ut restitutioni est obnoxia, ita poenam sæpe non meretur, præsertim capitalem. Grotius de J. B. & P. l. 3. c. xl. §. 4. Puf. de J. N. & G. l. 1. c. 7. §. 16.

§. 5. Illum vero, qui causa est, quare per suam actionem alteri damnum est illatum, ad ejus restitutionem non iniquè obligari, ex eo patere potest, quia non postrema humanitatis pars est, ita circumspicere agere ac omni studio cavere, ne aliis damnosissimi & intolerabiles. Ne igitur quod ex nostra impericia & negligentia damnum est exortum, alter

alter innocens ex nostro saltim lapsu & errore ferre cogatur, necesse est, ut damnum reparemus. Ubi vero dolus & nocendi propositum inter-  
 venerit, damnum datum, quantum ejus fieri potest, refarciendum esse  
 nimis manifestum est. Etenim quid proficeret lex de non lædendo altero,  
 si qui læsus est, damnum æquo animo sustinere deberet, qui verbò læ-  
 sit, malæ actionis & injuriæ suæ fructu secure ac citra penitentiæ gau-  
 dere posset. Quid fructus amplius coerceretur satis nocendi libido, si  
 damni restitutio non est necessaria? Quæ pax & concordia futura erit in-  
 ter læsum & lædentem, immò societas quomodo consistere poterit, nisi  
 reparatio damni æqualitatem læsione sublatam sanaverit & restituerit?  
 Tenemur enim unicuique solum tribuere, & nemo plus damni aut lucri  
 habere debet, quam ei jure competit, sed eo respectu omnes debent esse  
 æquales, ut neuter vel ob lucrum insultare, vel ob damnum conqueri  
 possit. Quod si nunc alter dehegat alteri, quod ipsi debet, aut plus sibi  
 sumit in alterum, quam jure potest, tollitur illa æqualitas, & alter ha-  
 bet plus damni, alter plus lucri, quam debet. Ut igitur æqualitas redu-  
 catur, & humanitatis legi satisfiat, societasque civilis conservetur secu-  
 ra & tranquilla, restitutionis necessitas omnibus incumbit, qui damnum  
 intulerunt.

§. 6. Deinde quando intellectus super seipsum reflectitur, & actio-  
 nis suæ aberrationem à lege atque normâ actionum moralium depre-  
 hendit, statim intelligit, actionem suam DEO esse invisam, & se Nu-  
 minis Optimi Maximi offensam incurrisse, ejusque odium erga se conci-  
 tasse. Quapropter cum scelerati temporis successu, quemadmodum habeant,  
 exaditus intelligunt, fremunt, dolent, indignantur, ac propriam execrantur vi-  
 tam: Plutarch. de Ser. Num. vindict. Hinc non omnino rejicien-  
 dum est, quod idem Plutarchus judicat: Ego, inquit, si dicere fas est, fla-  
 gitiosos, perditos ac facinorosos homines, neque aliquò sive Deorum sive ho-  
 minum indigere altore arbitror, sed perniciosam ipsorum vitam, omni prav-  
 tate, impietate ac scelere corruptam, resertam ac contaminatam, satis sa-  
 perè, ad seipsam plendendam ac totquendam sufficere: de ser. Num. Vind.  
 Fieri enim non potest, ut justæ & recti notitia, nobis natura insita, per ho-  
 minum perversitatem deleatur & extinguatur penitus; sed subinde ex  
 tenebris, quibus immersa est, iterum emicat, vel stricturas quasdam  
 emittit, quibus hominis securitatem & socordiam dispellit. Verè Phi-  
 lippus Mornæus: Quis hominem, inquit, dare queat, qui legem naturæ  
 in seipso non sentiat, quæ frivolum luxuriantem inspicit? qui in ipso libidinis pectore  
 non meretur, non sibi illam ipsam fastidit? cui delectantibus infixam in visce-  
 ribus penitentia aculeum non relinquat? vid. de verit. Relig. Christian. c. 18.

Quantus verbò timor, quæ trebet, qualis anxietas in animo tunc exo-



riri soleat, inde potest satis intelligi, quia Deus iustissimus & potentissimus vindex futurus est, cujus scientiam fallendi, tribunal effugiendi, supplicium declinandi nulla facultas est. Nimirum, Tullii testimonio, sua quævisque fraus & suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat, amentia afficit; suæ malæ cogitationes conscientiaëque animum terrent. Hæ sunt impiis assidua domesticæque furia, ut sine cura non quiescere ac sine metu ne spirare quidem possint. *Quemadmodum enim Simonides ludens ajebat, argenti se arcam semper invenire plenam, gratiarum verò vacuum; ita improbi, si recte suam scelestam perpenderit vitam, confestim ob voluptates gratia vacuum spesq; destitutam reperiunt, timore verò, tristitia, injucundaque recordatione ac in futurum suspitione, perfidia verò ad presens, semper cumulata inveniant.* Plutarch. d. l. Quod illustri exemplo suo confirmat Dionysius duodequadraginta annos Syracusanorum Tyrannus, cujus vita se nihil tetrius, miserius, detestabilius excogitare posse, Tullius commemorat. Ejus animus sicuti cæde ac injuriis alebatur, ita metu diurno & nocturno angebatur, ut quamvis abundaret æqualium familiaritatibus & consuetudine propinquorum, eorum tamen nemini credebat, amicitiarum infidelitatem & perfidiam, vel ex suspitione, vel ex malè cogitatorum conscientia, extimescens. Inde propter injustam dominatûs cupiditatem in carcerem quodammodo ipse se incluserat. Quia etiam, ne tonsori collum committeret, tondere filias docuit, & cum essent adultæ, ab iis ipsis ferrum removit, instituitque, ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi & capillum adurerent. Cumque noctu iret cubitum, omnia speculabatur & perscrutabatur ante, atque cum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset, ejusque fossæ transitum porticulo ligneo conjunxisset, eum ipsum, cum fores cubiculi clauserat, detorquebat. Idemque eum in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat, quod ei semper & ubique aliquis terror impenderet, quem ipsemet cum fulgente gladio è lacunari seta equina appenso & cervicibus imminente comparabat. Vid. Cic. l. 5. Qu. Tuscul.

§. 7. Miserrima igitur peccantium est conditio, & donec ad meliorem mentem revertuntur, calamitatum, cum quibus colluctantur, neque modus neque terminus. Præterquam enim, quod damnum reparare teneantur, & intra pectus suum gravissimè affligantur, etiam famam facis maculis conspurcant, & vitam turpiter contaminant, bonorumque odils & detestationibus perpetim exponuntur, neque habent, quod à malis scelerumque sociis auxilium & solatium expectent. Plinius in Panegyrt. c. 66. *Primum ergo optimum Imperatorem piorum civium officium esse dicit, insequi dissimiles, neque enim satis amarint bonos principes*

principes, qui malos satis non oderunt. Adhuc, quod Imperatoris Trajani non aliud exemplis ac diffusum invenimus, quam quod infectari malos principes tutum est. Quæpe multis Trajanum antepone Plinius, quod permittat, & in præteritum de malis Imperatoribus quotidie vindicari, & futuros sub exemplo præmonere, nullum locum, nullum esse tempus, quò suæstorum principum manus à posterorum execrationibus conquiescant. Tandem palàm profitear Plinius eodem loco: *Hæc sacra vestra, hoc sermo, hoc ipse gratiarum actiones agant meminerint, sic maxime laudari incolumem Imperatorem, si priores secus meriti reprehendantur. Nam cum de malo Principe posseri tacent, manifestum est eadem facere presentem.* Huc pertinet, quod proponit Senec. Natur. Quæst. VI. c. 23. *Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum feritas redimet. Nam quoties quis dixerit: Occidit Belsarum multa milia: opponitur, & Callisthenem. Quoties dictum erit: occidit Darium, penes quem nunc magnam regnum erat: opponitur; & Callisthenem. Quoties dictum erit: omnia Oceano tenui vici, ipsam quoque tentavit navis classibus, & imperium ex angulo Thraciæ usque ad Orientis terminos pertulit: dicitur; sed Callisthenem occidit.* Nimirum à sceleribus & flagitiis detestatio, contemptus, execratio, infamia & contumelia separari nequeunt, si quid bonum antea gestum fuerit, extinguunt vitia & minuunt. Quamobrem illud Musonii Philosophi vel Catonis in oratione, quam dixit Numantia, omnibus hominibus sedulo inculcari debet: *Cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborem rectè feceritis: labor ille a vobis citò recedet, bene factum a vobis, dum vivitis, non abscedet. Sed si quæ per voluptatem nequiter feceritis: Voluptas citò abibit, nequiter factum illud quod vos semper manebit.* Vid. Agellius Noct. Att. L. XVI. C. 1.

§. 8. Præterea quoniam civitatis interest, ne mali impunes suis libidinibus indulgeant, quotiescunque facinore quòdam legum sanctitatem contaminant, poenæ subeundæ obnoxii fiunt, quod reatus nomine indigitari consuevit. Ne verò vocabuli ambiguitas quem decipiat, notandum est, quod reatus non unò modò ab omnibus accipiatur. Nonnullis dicitur reatus illa relatio, quæ actio refertur ad suum Autorem, ut inde quis sub peccato, per actum præteritum aut actus omissionem patrato, teneatur quasi constrictus, quando verbi gr. qui commisit adulterium, reus dicitur adulterii, id est, sub adulterii peccato quasi constrictus est, ut verè sit dicaturque adulter, etiamsi jam non adulteretur. Hòc modò expositus reatus vix quidquam differt à culpa. Neque enim qui peccavit, aliunde dicitur peccati reus, quam à peccato præterito, quod ut ob suam disconvenientiam cum regula rectitudinis moralis, culpæ rationem habet: ita culpæ reum constituit & denominat peccantem

ob respectum, quem ad ipsum, (tamquam effectus ad suam causam) importat. Deinde reatus idem est, ac capacitas vel dignitas poenae, cui subeunda quis obnoxius est. Quomodo qui peccavit, reus poenae, h. e. poenam dignus, poenae capax, vel poenae subeunda obnoxius dicitur. Hinc describitur reatus, quod sit relatio agentis liberi ad poenam, resultans inde, quod egerit contra legem, & id propter in culpa sit. Consequitur enim reatus culpam, & hac nostro saltem concipiendi modo est posterior, & separari ab invicem non possunt. Factum enim non est possibile, ut aliquis egerit contra legem, & id propter in culpa vel culpabilis sit, & crimen non importet relationem ad poenam, quae iis est definita, qui sunt in culpa. Etenim culpa & reatus quoad rem idem sunt, & nostro saltem conceptu differunt, ob aliam atque aliam respectum. Culpam originatur & denominatur ex respectu ad legem, quae violata est; reatus autem originatur ex respectu ad poenam, & in violatores legis obnoxii redduntur. Fieri enim non potest, ut aliquis legem violet, nec tamen obligetur ad subeundum illud, quod legis praeviarioribus definitum est. Pariter repugnat, ut aliquis poenae reus sit, sed a culpa immunis. Nam reatus est debitum luendi poenam propter culpam. Quamvis igitur reatus adest, culpa non potest abesse. Etenim culpa & reatus se invicem consequuntur, & neque culpam esse sine reatu, neque reatum esse sine culpa, statui vel concipi potest. Bene Seldenus de J. N. & G. l. r. c. 4. *Ex obligatione ejusmodi, seu eo, quod est, necessitate sic adstringit, baud concipi potest, quin poena aliqua, idque ex praescripto sive expressim sive tacite violationi imminet. Idem paucis verbis interjocis: & jure aucta cohiberi & obstringi quae piam (quae in re obligationum substantia consistit) citra poenam aliquam alicunde violationi imminenti, quae scilicet obligationi inserviat, ne commiscei, si recte intuemur, quis potest. Et iterum: Neque sane juris obligatio sine poena alicujus violationi imminenti ratione mortalis magis potest fingi, quam in rebus paternis sine filio.* Haec tenet Seldenus. Egregie hanc in rem quoque disserit Dominicus de Soto l. 1. de Just. & Jure, qu. 6. art. 5. *Poenam, inquit, vel ipso attestante nomine, tam cognatam habet connexionem ad culpam, ut poena neque rem habeat, neque justum nomen, nisi sit pro culpa posita. Loquimur enim hic de poena juridica, pro eo, quod est ultio & vindicta. Nam accipitur poena quoque physice pro cruciatu, quem quis patitur vel à febre, vel ab alio quovis morbo adferente dolorem. Neque opus porro est alia probatione, praeter nominis significationem. Vindicare enim & ulcisci & supplicium poscere, atque adeo poenam infligere, neutiquam nisi pro culpa fas est. Quo circa nisi culpa adsit, improprie & praeter verborum significationem usurpatur: fit enim per poenam justa repensio culpa: nempe ut qui suae obsequens voluntati deliquit (quam*

secundum

secundam Augustinum, ubi non est voluntarium, ibi non est peccatum) contra eandem suam voluntatem paratur. Distinguit autem inter leges, quæ aliquid vetant vel præcipiunt, & aliquid permittunt vel concedunt. Item inter pœnam & pretium seu pactum. Absente culpâ, inquit, id quod fert imaginem pœnæ, potius erit pretium vel pactum, vel quid aliud. Quando pœna applicatur culpæ, obligatio fit sub reatu culpæ. Quando verò lex formam habet potius concessionis aut dispensationis, tunc talis lex non obligat ad culpam, sed tamen neque id, quod sub imagine pœnæ subjungitur, habet veram rationem pœnæ, sed pretii aut conventionis; e. gr. Hæc Lex: qui frumentum è Regno evexerit, illud perdat, aut talem luat pœnam, reverà obligat ad culpam. At tamen si intentio Regis non esset, distractionem frumenti prohibere, sed illi ratione pecuniam colligere, lex tunc non obligaret ad culpam, sed tamen conditio subjuncta non esset pœnæ: sed concessionis pretium, ut qui vellet evadere, tantum contribuere. Postea proponit objectionem, eandemque ex allatis rationibus refellit: Quodsi contra, inquit, nobis objiciantur institutiones nostræ altarumq; Religionum, in quibus sic habetur: Nolumus obligare ad culpam, sed ad pœnam: ubi pœna sine culpa nominatur. Respondetur, tales non esse proprie & legitime pœnas, sed sint quasi conventiones & pacta, quia Monachi vult se volunt voto adstringere, ut si hæc fecerint, illa patiantur. Dicuntur autem non inepte pœnæ, quia propter res veritas exiguntur & rependuntur. Coniungi potest B. P. Musæus in tract. de lege civili dist. 2. §. 28. seqq. Inde autem facillè licet intelligere, quantis se difficultatibus cogantur involvere, qui absque culpa pœnam admittunt, & ideò quasdam leges ad solam pœnam, non ad culpam obligare, non dubitarunt asserere, nisi forsan vocabulis in re gravi ludere malint, quam serium illorum usum retinere.



## CAPUT NONUM

De

DE POENIS IN FORO HUMANO  
ET DIVINO.

§. I.



Pœna nihil aliud est, quàm malum, quod intuitu antegressi delicti, per modum coactionis & pro imperio, alicui infligitur, in vitæ civilis emendationem & securitatem. Requiritur ergo ad pœnam malum, quod molestum est, & acerbitate suâ delinquendi libidinem compescere potest. Idquæ malum pœnæ materiale dici potest. Formale pœnæ consistit in eò, quod intuitu delicti pro imperio imponitur. Fieri ergo potest, ut aliquis multa mala sustineat, quæ pœnæ rationem non habent, si ex delictò antegressò à Magistratu non fuerunt imposita. Sic lege Ebræorum leprosi hominum consortiò, & membrò mutili sacerdotiò excluderantur, citra pœnæ ignominiam. Huc referri debent dolores ex morbo, & calamitates ex infortunio, mala quoque, quæ per alterius injuriam inferuntur, ut ictus fustium, convitia, cæcis, &c. pœnæ non sunt; neque quid derogant patienti, cum malum in se non contaminet, vel existimationem minuatur, sed mali causa. Neque is propriè puniri dicitur, qui pro altero fide jussit, & multam solvere cogitur, non enim ex delictò patitur, sed intuitu fidejussionis, & per eam ultrò in se susceptæ obligationis. Belli demum incommoda maxima licet ac gravissima & molestissima, pœnæ tamen propriè non sunt.

§. 2. Pœnæ verò modum, qualitatem & quantitatem ex ejus fine definire, sapiens civitatis gubernator non ignorat. Simul ac enim homines in civitatem coiverunt, facultatem ejusmodi rectori concessisse putantur, omnia illa media applicandi, sine quibus civitas consistere ac finis ejus obtineri nequit. Quod si ergo homines spontè boni esse nolunt, neque per leges in finem civitatis se flecti & dirigi permittunt, nihil aliud relinquunt civitatis rectori, quàm ut immorigeri & reluctantes cives, per aspera & dura quævis mala, ad officium faciendum compellantur. Quæ si prius innotuerunt, & nihilominus cives peccandi libidini malunt indulgere, quàm metu pœnarum exquisitissimarum in officio contineri, non habent, cur querantur, si istorum malorum acerbitatem experiri cogantur. Nisi enim talia remedia maturè adhiberentur, vis imperii evanesceret, civitas pedetentim inclinaret, ac tandem penitus dissolveretur.

§. 3. Uti

§. 3. Ut verò multiplex est malitia, & variis se modis prodicit; ita nec una eademque ratione compesci consuevit, sed variis quoque pœnarum generibus ansam præbuit. Quæ licet longè plurima sint, gemina tamen divisione, quantum ad præsens satis est, singula complectemur.

§. 4. Nimirum alia pœna damni, alia sensus est. Pœna damni dicitur, quando alicui bonum suum subtrahitur, ut degradatio & quævis multa, publicatio honorum vel omnium vel aliquorum: privatio feudi, relegatio, deportatio in insulam, & illæ omnes, quæ infamiam afferunt, vel famam saltem gravant & maculâ contaminant. Pœna sensus dicitur, quæ ob commissum delictum ipsum corpus afficit ex autoritate iustitiæ.

§. 5. Sensus pœna est vel capitalis vel non capitalis. Hæc dicitur malum, quod equidem ipsum corpus afficit, sed vitam non eripit: ut fustigatio, abscissio digitorum, amputatio manus, abscissio linguæ, inusio stigmatum. Huc refertur etiam carcer, & quando quis ad opus faciendum, vel ad triremes damnatur. Capitalis pœna est, quæ ipsam vitam eripit: ut lapidatio & jaculorum confossio, decollatio, suspendium, supplicium rotæ, suffocatio in aquis, combustio seu vivicrematio, dissectio rei in quatuor partes.

§. 6. Quæ contra pœnas capitales nonnulli machinantur, vel illo possunt argumento satis destrui, quod supponatur, ejusmodi pœnas tum demum infligi debere, ubi mollioribus remediis, vel ob flagitii atrocitatem, vel ob ingravescentem malitiam, nullus locus conceditur, nec vitia modo alio extingui, neque civitatis tranquillitas & quies atque securitas publica meliori ratione conservari possunt. Propterea leges militares nec duplo, nec quadruplo aut quintuplo, nedum talione contentæ, raptum rei non adeo pretiosæ, utpote gallinæ, aut minus consideratam officii intermissionem, stationis ordinisque desertionem pœnâ capitis coercet, quoniam leviore supplicii genere, neque militum profervia compesci, neque securitati multitudinis imbecillæ consuli potest. Pro homicidii verò capitali pœna singularis militat ratio. Cujus enim tanta est improbitas & audacia, ut ex deliberatò animi consiliò, homines interficere non sit veritus, ab illo prius non erit cæteris omnino cautum, quam is è medio sublatus & extinctus fuerit. An verò furti pœnam capitalem ratio pariter confirmet, nonnullis dubium videtur. Non desunt sapientissimi Viri, qui existimant, in furto non faciliè Judicem clementiæ: contra in homicidio non faciliè rigoris prænitere debere. De Sabacone, Egypti Rege, manifestum est, quod capitis damnatos ad opus faciendum applicuerit, & & per eos multum utilitatis civitati attulerit. Enimverò si huic medendo malo, alia subsidia necessaria desunt, & furtum, capitis pœnâ, ex autori-  
tate

tate interdicitur, quod in Germania Fridericum II. & Carolum V. fecisse constat, nullus suæ malitiæ obtendendæ prætextus, nullave querelæ ratio furibus relinquatur, si capitis pœna; & quidem suspendiō, violatæ legis & bidinem Magistratus imperiō, luere coguntur. Sic etiam olim apud Scythas nullum scelus furto gravius habitum est: quippe sine tecti munimento pecora & armenta habentibus quid saluum esset, si furari liceret? scribit Justinus l. 2. c. 2. n. 6. Eundem rigorem ab aliis etiam populis usurpatum fuisse testatur Arniseus & L. docti, Pöl. c. 17. Apud Græcos acerbiorē ad ipsā etiam capitis pœnā in eos animadvertēbatur, qui ē balneo, aut ex palestra, aut ex foro, aut aliō aliquō ejusmodi locō, furtim aliquid surripuissent, propterea quod difficilis sit rei in publico loco custodia, facilis autem furandi occasio. Quamobrem legum autor ratus, sua ipsos custodire non posse, legem adhibuit minitantem acerrimē, vitam futuram nemini, qui furtum publicis locis commiserit. Vid. Arist. probl. sect. XXIX. quest. 14.

§. 7. Non tamen semper in tribunali humano pœna exigenda est, sed nonnunquam venia locum habet, dum vel ex toto ignoscitur delinquenti vel ex parte duntaxat, graviori in mitiorem pœnam commutata. Præclare Cicero: *Atque hæc, inquit, omnia sic agentur; Quirites, ut res maxima è minimo motu, pericula summa nullō tumultu, bellum intestinum ac domesticam, post hominum memoriā crudelissimum & maximum, me uno togatō Duce & Imperatore sedetur. Quod ego sic administrabo, Quirites, ut si ullō modo fieri potest, nē improbus quidem quisquam in hæc urbe pœnam sui sceleris sufferat. Sed si vis manifestæ audaciæ, si impendens patriæ periculum, me necesseario de hæc animi lenitate deduxerint, illud profectō perficiam, quod in tanto & tam infidioso bello vix optandum videtur, ut nē quis bonus intereatis paucorumque pœna vos omnes jam salvi esse possitis. Que quidem ego nega mea prudentia, neque humanis consiliis fretus, polliceor vobis, Quirites; sed multis & non dubiis Deorum immortalium significationibus, quibus ego Ducibus in hæc spem sententiāq; sum ingressus.* Vid. Catil. secund. In pœnarum ergo inflictione & remissione ad Republicæ utilitatem ubique respiciendum est. Cum in proscriptione Syllana malè captorum bonorum repetitio labefactare compositam civitatem Romanam videretur, ea intermissa fuit, ne vulnera curatione ipsa rescinderentur, & pulso Lepido, quod non alias temerè in civilibus bellis fieri solet, victores pace contenti fuerunt, ut legimus apud Florum l. 3. c. 23. Debet nimirum gratiæ probabilis esse causa, quæ non ad subvertendam, sed stabilendam civitatem faciat. Sic propter tempora Republicæ, etiam homicidæ pœnam capitis remitti posse, ut legi de occidendis homicidis non contraveniatur, vulgò creditur. Leges enim in genere definiunt, quæ pœnâ quod

vis

vis delictum afficiendum sit, neque ad personam peccantis ejusque conditiones singulares, neque ad repentinos civitatis casus & quascunque Reipublicæ necessitates respiciunt, quorum tamen omnium in venia concedenda debet haberi ratio. Certè præstat nonnunquam dissimulare vitia, quàm divulgare: quò in casu latius est ignoscere, quàm coërcitione vindicare, & manifesta reddere, quorum sola notitia etiam noxia est. Hâc ratione adductus Solon legem de parricidio prætermisit, ne prohibendo noceret. Nonnunquam necessaria venia est, ne pœna, quæ servare debet civitatem, totam destruat. Præterea certum est, interdum non minus rectè factorum præmiis, quàm malorum pœnis, civitatibus bene consuli. Quod si quis ergò actioni malæ multa egregia facinora possit opponere, nihil impedit, quò minus veniam inveniat. Possumus etiam pœna superfedere, quando, quod delinquitur, exemplo non est noxium, isque qui aberravit, emendationis documentum dedit, læsoq; satisfecit, & in posterum cavit, ut nihil pœnæ relinquatur, quod amplius proficiat. Huc pertinent juvenilis ætatis errores, quibus facillè quoque viri cordati veniam indulgent, si despumato fervore ad frugem redeunt, & adolescentiæ vitia virtutibus emendant. Nam, quod Pœta dicit,

quædam cum prima refecantur crimina barba.

§. 8. Venia tamen temperamentum accipit à charitate. Videtur quidem charitas, quæ ex naturali hominum æqualitate & communi cognatione resultat, pœnarum atrocium inprimis & asperarum usui refragari; sed si rem accuratius perpendimus, charitas potius pœnarum exercitium requirit & injungit. Quod si enim pœnæ necessariæ intermittuntur, & vitiis impunè grassandi licentia datur, fieri aliter non potest, quin quàm plurimj lædantur. Satius autem est & charitati magis conveniens, unum noxium puniendo plurimis innoxiiis consulere, quàm parcendo uno nocenti, reliquis innocentibus nocere. Proinde ex charitatis lege ita venia est temperanda, ut dum uni ignoscimus, alteri nullum damnum afferamus.

§. 9. Quæ de pœna & venia sunt dicta, in foro humano locum obtinent, & divini tribunalis rationibus haud quicquam derogare possunt. Licet improbis sæpè ac perversis hominibus civilis & forensis coërcitio metuenda non sit; aliunde tamen imminet certò, & à Naturæ Autore ac rerum humanarum Rectore supremo pœna qualiscunque expectanda est. Etenim obligatio naturalis verè vim habet alicujus vinculi & nexûs, quo ad Numinis jussa faciènda tenemur & adstringimur. Fieri ergò aliter non potest, quàm ut illi, qui Numinis mandata, mentibus naturâ insita, negligunt, & temerè violant, se culpabiles reddant, & pœnæ obnoxii fiant. Si denique in foro humano pœnam nonnulli effugiunt, quia in occulto

P

peccâ-



peccârunt, aut facinus callidè excusârunt, & sic judicem per vatriciem dedecerunt; *multo enim sæpè latet tempore malitia, ac tanquam velamine obducta, universa flagitia clanculum celare deprehenditur, ita ut vix tormentis ac verberibus improbitatis facinora quoque extorqueri & manifesta reddi valeant.* Plutarch. de Ser. Num. Vind. Omnino tamen vindictam evitare nullo modo poterunt improbi, utcunque se occultent, & probitatis speciem præ se ferant. Non enim homines duntaxat scelera offendunt, sed Deum quoque lædunt & irritant, quem quia nihil latere, nullave fallere astutia, nulla decipere impostura, nulla simulatio potest, divina ultio malis omnibus necessariò metuenda est.

§. 10. Equidem lenta sæpè atque tarda est divina vindicta, certò tamen tempore opportunissimò futura est, & sapientissimò consiliò semper temperata. Improbi verò ut eam vel in dubium vocent, vel cavillentur, contendunt, Deum in pravorum animadversione minimè segnem esse debere; quoniam mali in perpetrands sceleribus etiam haudquicquam tardi sunt, sed vehementi impetu ad peccata ferantur, & præsens vindicta, audacibus obviam ire ausa, simul venturam compescat injuriam, pariterque læsis maximum præbeat solatium. Deinde statuunt, tales cunctationes atque moras; ideò non convenire Deo, quia tarditas providentiæ fidem adimit. Porro si post singula delicta ultio haud confestim malos corripit, sed longo post tempore aliquando plectuntur, infortuniumque incidit, ealamitatem id, non vindictam appellantes, nullo afficiuntur incommodo. Siquidem tormenta illa & terrores alterius cujusdam rei potius, quam emendationis causa inferri videntur, & si dolent, potius ob damna & adversitates dolent, quam ob commissa scelera.

§. 11. Sed hujusmodi strophas egregiè dispergit, vindictæque divinæ sanctitatem asserit Plutarchus libro de his, qui tardè à Numine corripuntur. Primò demonstrat, optimum artificem, gubernatorem & dominum rerum omnium, Deum, utpote verè justitiæ factorem & creatorem optimè posse definire, quando, quomodo, ac quousque scelestorum vitus quisque plecti debeat; homines verò artis expertes, artificis intelligentiam & divina opera opinione solum temerè fortuitoque dijudicare. Deinde docet, non existimandum esse, quòd ideò Deus tardè punit, quia erroris vel pœnitentiæ crimen veretur, sed ut tardius puniendo paucos, hortetur multos, juvet & admoneat, ac insimul homines à vindictæ impetu hòc exemplò revocet, doceatque nos non irà accensos, sed deliberatè achorà consultrice malos ulcisci debere, ne protinus sera & inutilis sequatur pœnitentia. Postea ostendit, quòd Deus discernat, utrum delinquens ad pœnitentiam flecti possit, an verò nulla emendationis spes sit reliqua. Si nihil sinceri deprehendit, & vulnus esse immedicabile intelligit, conse-

stim

stim Deum rescindere malos & delere. Nimirum magna aliquando ingenia haud mediocriter exorbitant, ob subtilemque indolis naturæ vehementiam & efficaciam quiescere non valent, sed in salo fluctuant, antequam ad stabiles sedatosque perveniant mores. Quod ergo tanquam noxium rescindendum, & prorsus eradicandum homines sæpè arbitrantur; illud Deus conservat, tanquam utile ac generosum, & donec fructum debitum & opportunum ferat & reddat, benignè præstolatur & expectat. Ut adeo ex hac fera Numinis vindicta, ejus potius bonitatem, justitiam & oculatissimam providentiam cognoscere queamus.

§. 12. Nihilominus tamen illud etiam in divinarum pœnarum irrogatione licet admnadvertere, quod rigidum talionis jus plerumque observetur. Homines quidem illud ademptum est, ut illi suæ infirmitatis, similibus aut iisdem lapsibus obnoxii, non sint immemores. Deus id autem suæ Majestati & imperscrutabili sapientiæ reservasse videtur, haud dubiè ideò, ut agnoscerent mortales, à nullo alio præter Deum, ad exactam talionis amissim hominum peccata & pœnas commensurari posse. Præterea, dum apparet, pœnas accuratè sceleribus respondere, divina vindicta eò luculentius intelligitur, & peccandi libido efficacius prohibetur. Huc accedit, quod per pœnam, peccato & delicto quàm simillimam, justitiæ rigor evidentius cognoscatur, quippe cujus declarandi causa Deus, tanquam absolutissimus omnium Dominus, potissimum pœnas applicat, cum homines in puniendis delictis, ferè ad emendationem delinquentium, securitatem & tranquillitatem innoxiorum civium respiciant.

§. 13. Hic talionis rigor, cum non parum valeat ad timorem Dei excitandum, exemplis nonnullis eum confirmabimus. Sic Pharao cum omni masculorum exercitu in mari rubro, velut innocentis sanguinis symbolo miserè periit, qui ante Hebræorum pueros recens natos flumine, submergi jusserat. Exod. XIV. 28. Abimelech occidit fratres suos septuaginta viros super lapidem unum. Sed una mulier fragmen molæ desuper jaciens, illisit caput Abimelech, & confregit cerebrum ejus. Jud. IX. 5. 53. Adoni Bezec cum prælio victus ab Israëlitis, & è fuga retractus, manum & pedum digitis puniretur, confessus culpam ingenuus; septuaginta, inquit, Reges amputatis manuum pedumque summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: Sicut feci, ita reddidit mihi Dominus. Jud. I. 7. Cum Achabus & Jessabel bonum Nabothum vinea simul & vita per summum scelus privassent, dicebat Dominus: Occidisti & possidisti. In loco hoc, quò lincerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. 1. Reg. XXI. 19. Singulari & mirabili fato suspensus est Haman in patibulo, quod Mardocheo

paraverat. Esth. VII. 9. Joas Rex Zachariam Jojadæ filium Sacerdotem lapidibus obrui mandavit. Sed vertente anno insurrexerunt servi sui contra eum, in ultionem sanguinis filii Jojadæ Sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo. 2. Paralip. XXIV. 26. Postquam David Uriæ conjugem vitavit, paulò post ipso marito interfecto, per Nathanem dixit Deus ad Davidem: Suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis: & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus in oculis solis hujus. 2. Sam. XXII. 11. Ipsum talionis instrumentum, Absalon, quod patrem Regno fugasset, pariter in fuga crinibus è quercu pendulus, à Joabo & Satellitibus armigeris transfixus fuit. 2. Sam. XVIII. 14. 15. Quod supplicium Susannæ impuri machinati erant insidiatores, ipsos Autores absumsit, vindicata divinitus Susannæ innocentia. Darii Satrapæ perierunt in fovea leonina, quam Danieli foderant. Fratres Josephi detrusi in carcerem & vincti, evidenter etiam declarant, DEUM plerumque eodem genere, in quò quis deliquit, punire. Mortis enim sensum, quia in fratre innocente contempserant: ipsi jam vincti ab externo Principe, eundem mortis metum experiuntur. Precum humilitatem, quia despexerant; nunc suas quoque preces minimè exaudiri deprehendunt. Patri quoniam mentiti fuerant; jam ipsis etiam vera dicentibus fides denegatur. Denique Simeon pessimus & crudelissimus frater, quia superbia & scelere vicerat alios: nunc præ cæteris vincitur, & in squalore carceris & mortis expectatione hæere cogitur. Plura & quidem valdè memorabilia de judiciis & suppliciis divinis vid. apud Georg. Richter. Axiom. Oeconom. 28. Philipp. Camerar. oper. subciv. e. 99. Mich. Piccart. observat. Hist. Pol. Dec. IX. c. 4.

§. 14: Tum autem hic extremus talionis gradus ab Optimo Maximo Numine adhiberi solet, quando in his terris provocationi ad superius tribunal nullus locus conceditur, vel judicia humana per delictorum clam patratorem astutiam non possunt, aut per malitiam & conniventiam nolunt suum facere officium, aut innocentes & injuria affecti adeò iniquis & atrocibus sententiis premuntur, ut causam suam soli Deo vindici committere cogantur.



## CAPUT DECIMUM

De

MALARUM ACTIONUM MORALI  
ABOLITIONE.

§. 1.



Oralis abolitio est actus, per quem homo desinit esse sub reatu, vel in statu peccati. Arctior acceptio Abolitionis & ad forum humanum magis accommodata occurrit aliàs. Describitur enim abolitio, quod sit liberatio rei à persecutione criminali. Quam liberationem ita interpretantur vulgò, ut per eam non ipsum crimen ejusve obligatio, sed tantum accusatio sublata esse censeatur. Liberabatur autem reus processu criminali vel simpliciter vel ad tempus. Posteriori casu accusatio non tollebat, sed suspendebatur. Vid. Sam. Rach. Instit. Jurispr. l. 3. tit. XI. §. 13. In præsentì autem Abolitio moralis non tantum accusationem, sed etiam ipsum crimen tollit moraliter, ut nulla remaneat obligatio, & delinquens desinat esse sub reatu vel in statu peccatoris, delicti vel peccati.

§. 2. Status peccati est habitudo, quæ resultat in homine præcisè ex eò, quod legem naturalem, vel positivam etiam violavit, & alteri damnum intulit, actum verò vitiosum nondum retractavit, neque legislatori satisfecit, neque damnum reparavit, adeoque veniam nondum obtinuit.

§. 3. Observandum tamen est, quòd de abolitione morali actuum non habituum malorum agamus. Est enim utrorumque longè diversissima ratio. In malis & vitiosis habitibus, præter culpam & reatum, etiam deprehenditur positiva qualitas & vera entitas, quæ in subjecto existit, & realiter per actus oppositos aboleri potest. Uti enim habitus per crebros actus comparantur, ita per oppositos actus iterum expelluntur. Sic intemperantia sobrietatis studio, prodigalitas parsimonia excutitur. Actus etenim aliquoties repetiti, post se relinquunt dispositionem, ad actus similes eliciendos, qui si sæpiùs iterantur, abit tandem illa dispositio in habitum firmiter radicum & stabilitum. Quoniam autem oppositi habitus in uno subjecto stabulari non possunt, realiter se mutuò expellunt.

§. 4. Aliter verò longè sese res habet cum actionibus malis, quippe quæ, ubi productæ sunt, nullam entitatem relinquunt, quæ in subjecto

existat, ut realiter inde expelli & aboleri queat. Loquimur enim non de actionibus, quæ jam actu producuntur, sed quæ productæ sunt. Actiones autem, quæ productæ sunt, præteriére & non amplius existunt; quoniam de ratione rei præteritæ est, ut desierit. De illo autem, quod desit, dici non potest, quod habeat esse reale. Id ut planius constet, repetendum est animo, omnem actionem moraliter malam, vel in omissione ejus, quod præceptum est, vel in commissione illius, quod vetitum erat, consistere. Si in commissione consistit actio mala, idè nulla entitas de actione mala in subjecto potest esse reliqua, quia præteriit. Fieri enim non potest, ut id, quod præteritum dicitur, adhuc esse suum reale habeat. Si in omissione consistit actio mala, non solum idè, quod etiam ratione temporis illa ommissio præterita censetur, nullum esse reale habere potest, sed accedit etiam alia ratio, ex ipsa omissionis natura deprompta. Omissio enim actuum legibus præceptorum, non est positivum quid, sed negatio, & idpropter nequaquam idonea, ut post se reale esse in agente relinquere possit. Si quis voluntatis actus interceperit, quò agens, quæ legibus mandata fuerunt, negligere voluit, etiam ille præteriit, & entitatem, quam in agente habuit, dum produceretur, jamjam perdidit. Satis igitur constat, in actionibus malis nullam deprehendi entitatem, quæ realiter & physicè possit aboleri.

§. 5. Ut verò appareat, quò destructâ licet ac eversâ omni entitate physicâ actionis malæ, nihilominus remaneat aliquid, quod moraliter aboleri possit, sciendum est, actiones malas, non solum ratione illius, à quo producuntur, considerari, sed referri quoque ad alios debere, quorum interest, illas sic vel aliter productas vel non productas esse. Inter illos autem primum locum is tenet, cujus leges actione malâ temerata & perfractæ, autoritas & sanctitas neglecta & violata est. Hunc sequuntur, qui detrimentum inde acceperunt, vel quibus modò quòcunq; actio mala noxia & damnosa fuit. Quamdiu enim hi omnes ferre coguntur, quod ex actione mala in illos redundavit, ipsa actio mala moraliter adhuc existit, neque prius moraliter abolita censetur, donec in eam iterum conditionem pervenerint, unde per actionem malam dejecti fuerunt.

§. 6. Quemadmodum autem, quæ ex actione malâ in ordine ad alios homines resultant, culpa, reatu & obligatione ad compensationem continentur; ita tùm demum abolita erit actio moraliter mala, quando reatus & obligatio ad compensationem, hominem non amplius stringunt, neque culpa ei ulterius imputatur. Interea verò donec illi, qui per actionem malam læsi sunt, restituantur in integrum, homo in statu peccati persistere concipitur. Quomodo verò homo è tali statu liberetur,

tur, rectius intelligemus, si prius accuratius paulo exposuerimus, quâ ratione, in tali statu, quem statum peccati vocant, collocari & permanere solet.

§. 7. Incipit autem homo esse in statu peccati, quando agit contra normam actionum moralium. Hoc ipso enim, quod legem naturalem transgressus, culpam sibi attraxit, unde peccator denominatur, hoc est, is, cui actio mala imputatur. Legis igitur voluntaria violatio facit, ut aliquis collocetur in statu peccati. Nondum vero in eò statu, per hoc, quod actio præterit, esse desinit. Nam licet actio præterierit, importat tamen adhuc respectum ad hominem, tanquam effectus ad causam suam, à quâ dependet. Ubi nihil refert, utrum ille effectus mediatus, an immediatus sit. Immediatus effectus dicitur, qui à sciente & volente proxime, nullò interveniente aliò agente, producitur. Qui verò propriâ actione legem non violat, sed ad actionem malam, ab altero patratam, aliquid confert, ut inde vel directè vel indirectè illam intendisse censerî possit, refertur ad actionem malam, tanquam effectum mediatum. Ut enim actio aliqua tanquam ad suum autorem referri possit, vel ut diciqueat, actionem ab altero tanquam sua causa dependere, sufficit intentio, quæ si satis luculente demonstrata est, efficit sæpè, ut alterius delictum potiori jure imputetur alteri, qui id non commisit, se directè tamen vel indirectè intendisse satis testatus est.

§. 8. Hic tamen respectus actionis ad suam causam, vel illa dependentia actionis à suo autore, nondum sufficit ad id, ut aliquis maneat in statu peccati. Nam illa relatio actionis ad suam causam, nihil aliud evincit, quàm quod is, qui actionis causa est, legem transgressus fuerit seu peccaverit. Qui autem de præsentî adhuc in statu peccati est, etiam in præsentî peccati reus, peccatis pollutus, legis prævaricator dicitur. Præterea quod illa dependentia non sufficiat, ut aliquis in statu peccati maneat, vel inde patet, quoniam ille respectus etiam datur, quando facta est abolitio.

§. 9. Ut igitur satis percipiatur, quomodo maneat homo in statu peccati, notandum est, quod peccata seu delicta possint considerari dupliciter. (1.) Physicè, ut sunt actiones, quæ ab homine per verum influxum dependent. (2.) Moraliter, in quantum sunt actiones contra normam actionum moralium productæ, adeoq; alicujus tertii juri & voluntati adversantur. Priori modò si considerantur, ob respectum, quem ad hominem tanquam causam important, efficiunt, ut dum sunt, hominem peccare, quando verò præterierunt, hominem peccasse dicamus. Posteriori modò spectatæ, quatenus tertium aliquem concernunt, vel ad alium pertinent, in homine important aliquam obligationem,

eum-

eumque sub certo statu, qui ex ista actione resultat, quasi contractum tenent. Quemadmodum enim contractus civilis postquam initus est, non solum in hominibus contrahentibus producit aliquam obligationem, sed & eosdem in statu contractus tenet contractos, licet actus contrahendi dudum præterierit; ita peccatum postquam patratum est, producit in homine obligationem, eundemque sub statu peccati tenet contractum, licet actus peccandi præterierit.

§. 10. Sed quemadmodum porro ad contractum semel initum, si moraliter durare debet, requiritur, ut ratum eum habeant contrahentes, neque retractent; ita ut homo in statu peccati seu peccatoris detineatur, requiritur, ut actus malos antegressos habeat ratos, aut per alios voluntatis consequentes actus non retractet eos. Unde Scholastici docent, id, unde quis denominatur ita peccator, ut in statu peccati pollutus manere dicatur, non esse peccatum solum præteritum, sed peccatum præteritum non retractatum. Vid. B. Joh. Musæus Tract. de convers. Disp. 3. c. 2.

§. 11. Præter ratihibitionem seu non retractationem insuper requiritur, ut maneat in homine reatus, quem legis violatione contraxit, & obligatio ad satisfaciendum pro damno per injuriam datò. Illa quidem, quæ à nostra voluntate unice dependent, etiam per solam nostram ratihibitionem seu non retractationem firma esse & moraliter manere possunt. Actionum verò moraliter malarum alia est ratio. Non enim à nostro saltem arbitrio dependent, sed etiam ad alios pertinent, quorum legibus adversantur, vel jam aliquid detraxerunt. Igitur quòd adhuc moraliter permanere dicuntur, non à nostrâ duntaxat ratihibitione dependet, sed inde etiam, quia reatus adhuc permanet, neque obligatio ad satisfaciendum sublata est.

§. 12. His ita declaratis & præmissis, facile erit exponere, quomodo actiones malæ aboleantur, adeoque homo, desinat esse in statu peccati.

§. 13. Nimirum physicè & realiter non possunt destrui & aboleri actiones malæ, cum quamprimum sunt productæ, mox esse desinant. Illud autem quod non est, physicè aboleri nequit. Neque tolli potest respectus actionis malæ ad agentem. Illud enim fieri, tam est impossibile, quam fieri nequit, ut qui peccavit, non peccaverit.

§. 14. Abolentur autem actiones malæ, quando tollitur id, unde habent, ut, etiamsi secundum esse reale perierint, maneant moraliter. Manent autem moraliter, quando peccata non retractantur, atque ab obligatione ad satisfaciendum non liberamur. Abolentur igitur actiones malæ, quando non habentur rata, & pro offensa & pro damno, per injuriam datò, præstita est satisfactio.

§. 15. Retractatio varios complectitur actus, quorum unus, ex parte intellectus, est agnitio actionis malæ, Legislatori adversæ & detestandæ: alter ex parte voluntatis, displicentia non simplex, quæ est sine intentione peccata fugiendi, sed efficax, quæ malæ actiones perpetratæ nobis non solum displicent, sed & abhorremus à similibus patrandis, quam alias specialiter detestationem vocant. Illam verò necessariam esse retractationis natura confirmat, quippe quæ in se complectitur efficacem voluntatis actum, quò illa omnia, quæ antehac nobis placuerunt, nunc non solum displicere incipiunt, sed etiam, quoad fieri potest, irrita reddere intendimus. Hæc detestatio facit, ut patratæ actiones malæ definant esse voluntariæ, sed induant rationem actionum inuitarum, quas individuo nexu sequitur mentis inquietudo, anxietas, dolor, tristitia. Adeoque agnitio ad retractationem sese habet, ut conditio prærequisita, displicentia efficax, ut ejus ratio formalis, dolor, ut consequens. Quæ de re consilatur B. J. Mus. d. 1.

§. 16. Satisfactio est delicti compensatio.

§. 17. Delictum autem vel immediatè & directè ferit personam privatam, nempe civitatis socium, vel alium quendam hominem, qui Legislator non est; indirectè verò & consequenter etiam Legislatorem; vel ferit immediatè & directè Legislatorem. Si illud vocatur propriè injuria; si hoc, delictum vel peccatum dicitur. Est autem delictum, quæ tale, legis alicujus transgressio, atque adeò pugnat, ut loquuntur, cum justitia legali, vel universali, quæ cuius homini injungit, ut se non gerat aliter, ac leges præscriptæ jubent. Injuria autem alicui civitatis socio illata, quæ talis, pugnat cum justitiâ particulari, quæ jure naturali id exigat, ut suum quisq; jus & æquum in bonis ad se pertinentibus habere permittatur. Quod si non impetrat, injuriâ afficitur, atque adeò damnum passus, minus habet, quàm sibi debetur; alter verò, qui injuriam intulit, plus atque adeò lucrum reportat. Vid. B. Pet. Musæum de lege Civil. part. III. §. 6.

§. 18. Qui injuriam intulit civitatis socio, obligatur & socio & Legislatori satisfacere, quoniam utriusque offensam incurrit. Socio satisfacit, quando damnum, quod ei dedit, resarcit, vel reddendo, quod ei per injuriam eripuit, sive æquivalens exsolvendo, sive aliâ ratione, prout æquum est, atque legibus consentaneum. Legislatori satisfacit, quando subit pœnam, quam ille pro legis à se latæ transgressione exigat, sive legis transgressio alicui socio civitatis attulerit incommodum sive minus. Nam in delicto, quò civitatis socius & Legislator ipse offenditur, concurrunt duo: Unum est ejus vitiositas, legis scilicet violatio, alterum ejus effectus, videlicet damnum alteri illatum. Illi respondet pœna, huic verò damni reparatio.

§. 19. Dum



§. 19. Dum verò damni reparationem inuimus, eò usque illud extendendum est, ut subintelligatur, omne illud damnum reparandum esse, quod alter fecit, propter illum actum, quò injuria immediatè illi est illata. Sic homicida iniustus tenetur solvere impensas, si quæ factæ sunt in Medicos, & iis, quos occisus alere ex officio solebat, puta parentibus, uxoribus, liberis dare tantum, quantum illa spes alimentorum, ratione ætatis hàbita occisi, valebat. Qui mutilavit, similiter tenebitur ad impensas & ad æstimationem ejus, quod jam, qui mutilatus est, minus poterit lucrari. Sic adulter & adultera tenentur non tantum indemnem præstare maritum ab alendâ prole, sed & legitimis liberis rependere, si quod damnum patiantur ex concursu ita susceptæ sobolis ad hæreditatem. Qui virginem imminuit vi aut fraude, tenetur ei rependere, quanti minoris ipsi valet spes nuptiarum: imò & ducere tenetur, si eâ promissione corporis usuram impetraverit. Fur & raptor tenentur rem subtractam reddere cum suo incremento naturali, & cum sequente damno ac cessante lucro: & si res perierit, æstimationem non summam, non infimam, sed mediam. Damnum, quod aduersus honorem & famam, verberibus, contumeliis, maledictis, calumniis, irrisu; modisque aliis datur, culpæ confessione, exhibitione honoris, testimonio innocentie, & per ea, quæ his similia sunt, rependi potest: quanquam est pecuniâ tale damnum rependi poterit, si læsus velit, quia pecunia est communis rerum utilium mensura. Quibus exemplis à Grotio petitis hoc argumentum illustrare visum est. de J. B. & P. L. II. c. 17. Illa obligatio ad damni reparationem orta ex delicto, adeò stringens iudicatur, ut etiam ad hæredes aduersus hæredes se extendat. Cum enim hæres in jus defuncti succedat, consequitur, quod defuncto fuerit damnum iniquè datum, non solum huic, sed etiam ejus hæredibus illatum, damnum resarciendum esse. Unde iustitia particularis ad damni reparationem hæredibus offert actionem, quam illi non solum aduersus delinquentem ipsum, sed etiam contra ipsius hæredem instituere ac prosequi possunt. Equidem concedendum est, quod delinquentis hæres, non sit delicti hæres, propterea etiam alienæ culpæ reatum non subit; sed illud tamen etiam exploratum est, quod nullum lucrum, alienò scelere partum; adeoque cum alterius detrimento, percipere liceat. Æquitati, ergò, maximè consentaneum existimari debet; ut delinquentis hæres eatenus ad damni reparationem teneatur, quatenus ex bonis delinquentis factus est completionis.

§. 20. Legislatori, qui per delictum læsus est, pœnâ satisfieri, jam diximus. Ex quo cognosci etiam debet, reparationem damni pœnam non esse, neque eum, qui resarcire damnum tenetur, propriè puniri.

Quando.

Quando enim is, qui fecit injuriam, dampnum rependit, saltem id restituit, quod per injuriam alteri est ablatum. Quoniam autem eodem actu, quo civitatis socio delinquens dampnum intulit; etiam ipsum Legislatorem læsit, dum ejus legem: *Ne alter alteri faciat injuriam*, transgressus est, eatenus demum proprie puniri censetur delinquens, quatenus Legislatori læso satisfacit.

§. 21. Quemadmodum enim is, qui deliquit, rectè pro suo delicto tenetur satisfacere; est enim delictum personale, & pœnz capacitatem extra personam, à qua est perpetratum, non extendit; ita queritur, an hõc modò quilibet pro suo delicto teneatur satisfacere, ut plane non possit admitti alius, isque innocens, qui pro alterius nocentis delicto, etsi ei delictum nullo jure queat imputari, satisfaciatur?

§. 22. Hoc ut expediamus, primò diligentèr perpendendum esse ducimus, delicti quantitatem; an scilicet pecuniã, vel exiliò queat satisfieri, an verò vitæ periculò. Deinde an alter pro altero possit satisfacere, si eum invitum Magistratus ad pœnam trahat, an verò si alter spontè sese obligarit eò, promissione vel sponsione & ultroneò motu sese pro altero obtulerit, quòd vel tanto flagret amore erga alterum, vel sibi tolerabilius illud malum esse existimet.

§. 23. His præmissis, ad allatam quæstionem respondemus, neminem pro alterius delicto posse satisfacere; si aliter, quàm vitæ periculò satisfieri nequit. Uti enim Magistratui concessum non est, ut vel invitum innocentem, pro nocente trahat ad pœnam, vel offerentem ultrò suam vitam pro alterius vitâ adimat; ita nemo mortalium suam vitam pro alterius vitâ offerre, spondere vel promittere potest. Equidem si sponsores occasione alieni delicti malum patiuntur, illis nulla fit injuria, notum enim est vetus verbum: *Sponde, noxa præstò est*. Quia tamen ad malum illud sustinendum non ex delicto, sed ex promissione vel sponsione tenentur, manifestum est, quòd malum mensuram accipiat non ex delicto alieno, sed ex potestate, quam ipsi in promittendo habent. Cùm verò nemo jus tale in vitam suam habeat, ut eam vel sibi ipse adimere, vel adimendam obligare possit, ultrò consequitur, quòd ex fidejussione nemo occidi, nemoque pro alterius vitâ spondere queat.

§. 24. Damonem & Pythiam Pythagoreos ferunt hõc animò inter se fuisse, ut, cùm eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinasset, & is, qui mortì addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causâ postulavisset, vas factus fuerit alter ejus sistendi, ut si ille non revertisset ad diem, moriendum esset ipsi. Cic. de Offic. l. 3. Vadès etiam & obsides à Romanis & Græcis capite plexos fuisse, historiæ testan-

tur. Enimverò quid naturaliter rectum justumve sit, non ex factis hominum, moribus & affectibus, sed sanæ rationis dictamine cognoscendum est. Dopot autem recta ratio vitam custodiendam potius & servandam esse, quàm pro alterius capite offerendam. Contraria ergò Gentium exempla diversam sententiam nobis persuadere non debent.

§. 25. Neque est, cur quis urgeat, vitam & famam pari passu ambulare. Atqui circa famam prodigus est, contra nullam justitiæ legem agit: Nihil ergò obstat, quo minus & in vitam suam quis tantam sibi potestatem sumere queat, ut eam pro altero offerat. Sed nequaquam licet ita colligere. Quod enim vulgò dicitur, vitam & famam pari passu ambulare, nullò satis firmò nîtitur argumentò. Certè vitam nullâ nostrâ operâ nobis comparavimus, sed solò Dei beneficiò & naturæ favore obtinuimus, ut ejus custodes, non domini simus. Famam vero virtutis studiò & vitæ innocentia nobis acquiritur, ut ejus autores & domini meritò censeamur. Habemus igitur circa famam nostram jus & potestatem, ut eam negligere & dimiquere citra ullius injuriam queamus. At verò in vitam nostram tale jus haudquicquam nobis competit, quippe quam tanquam Dei beneficium sanctè servare ac tueri naturali lege tenemur.

§. 26. Quod de vita dicimus, etiam de membris corporis intelligendum est, in quæ pariter ut vitam, non nisi corporis conservandi causa, homini jus datum est. Quod si verò pecuniâ vel exiliò pro delicto potest satisfieri; nihil obstat, quò minus alius pro alio queat satisfacere. Nemo tamen cogi potest, ut hæc ratione pro altero satisfaciat. Hinc constat, quamobrem obligatio ad pœnam tendens nullam largiatur facultatem agendi hæredibus adversus hæredes, nisi his cum defuncto super delicto sit contestata. Hoc enim si factum fuerit, tanquam ex contractu, actio pœnalis etiam adversus hæredes competit. Lite enim contestata, actio in hæreditate reperitur, & in bonis esse censetur, ut hæres velut successor universalis etiam hinc teneatur, non tamen delicti & pœnæ nomine, sed ex contractu. Vid. Sam. Rachel. Instit. Jurispr. l. 3. tit. XI. §. 10.

§. 27. Licet autem supra dixerimus, Legislatori pœnâ satisfieri; non tamen is, qui pro altero satisfacit, propriè punitur. Equidem ille, qui pro altero satisfacit, idem malum sustinet, quod alteri erat imponendum, habetque illa mali permissio eundem effectum, quem pœna; quia tamen in eo, qui pro alio malum sustinet, deest culpa, quæ formale pœnæ constituit, apparet faciliè, quòd illud malum propriè pœna dici non possit.

§. 28. Pro-

§. 28. Proinde is, pro quo satisfacit innocens, abit prorsus impunitus, quoniam ex gratia & mera benignitate alienum meritum ei imputatur, unde gratis, tanquam homo commiseratione dignus impunitatem consecutus est. Nec est, ut obtendas, illum, pro quo alius satisfecit, & legi violatæ & Legislatori propterea offenso, non donari impunitate & gratiæ dimitti, sed ex merito absolvi, quoniam ab alio est satisfactum. Utur enim fateamur, fieri non posse, ut unum idemque subiectum pro delicto suo satisfaciat, & ex mera benignitate atque gratiâ absolvatur. At verò quando alius deliquit, alius verò isque innocens & culpæ expers satisfacit, in solidum benignitati & gratiæ meræ adscribendum est, quod alterius meritum imputetur alteri, qui puniendus erat, & eâ de causâ impunis dimittatur. Est enim Legislatoꝝ legis transgressionem offensus, & merito satisfactionem exigit. Quia verò delictum personale est, ipsam illam personam, quæ commisit, posset adigere, ut satisfaciat, tum quod, alius ut peccatum ob alienum luat pœnam, injustum meritò habetur, tum ne istius inulta maneat malitia, qui sponte non solum, sed ex præresi, adeoque tantò atrociori cum scelere legem violavit, ejusque autorem offendit. B. P. Mus. de Lege Civil. part. 3. §. 12.

§. 29. Qui civilia jura interpretantur, sequentibus potissimum modis, scelera in tribunali humano extingui statuunt. Primò ubi pœna, legibus definita, Magistratus imperio soluta fuerit. Secundò qui à Judice absolutus est, habetur pro innocente, ut actio ipsi non imputetur. Tertio si reus moritur. Nisi quod in atrocissimis delictis ad superfitum terrorem in cadaver, bona & memoriam defuncti vindicta exerceri soleat. Quarto longum temporis spatium delicta extinguit. Quintò si sceleris venia ab eo, qui summâ pollet potestate, impetrata fuerit. Apud Philippum Carolum in gustu Philologiæ S. Dial. 3. p. ult. ita loquitur Lipsius: Duobus istis cum Christo punitis latronibus crura fracta sunt, more non Romano, ut quidam errant; sed Judæorum, ne fraus Legi fieret, quæ jusserat ad solem occasum suspendiosos deponi, eosque sive sponte mortuos, sive ex quoquavis viâ festinatò. Apud Romanos autem, quia nullum jus fuit sepulturæ suspendiosis, in cruce contabuerunt, & in escam cesserunt volatilibus. Neve quibus insidiis etiam surriperentur, miles & custodia assedit, exemplò memorabili à Petronio relatò. Notat autem Philo contra Flaccum, receptum moribus fuisse in natali Imperatoris, aut simili die festò, quosdam è crucibus deponi, & permitti ad sepulturam. Quò non incommode referri mos ille potest, quod Barrabas causâ festivitatis Judæis donatus est à Pilato. Apud eundem l. c. Brissonius: Sic in jure nostro fieri solitam abolitionem criminum novimus, ob diem insignem, aut publicam gratulationem, vel ob

rem prosperè gestam, vel ob lætitiã aliquam, aut honorem domus divi-  
næ, ut est in tit. ad Sctum Turpill. cujusmodi abolitio à Constantino, ob  
nativitatem filii Crispini facta est. Vid. Ph. Carolus p. I. Cæterum ad  
hunc usque diem circumfertur Valentiniani, Valentis & Gratiani Con-  
stitutio: *Ob diem Paschæ, quem intimò corde celebramus, omnibus, quos rea-  
tus adstringit, carcer includit, claustra dissolvimus. Atq̃men sacrilegus, in  
majestate reus, in mortuos veneficus, sive maleficus, adulter, raptor, homicida,  
communione istius muneris separentur.* Quod ab iisdem Principibus anno  
proximò verbis sequentibus repetitum dicitur: *Paschæ celebritas postulât,  
ut quoscunque nunc ægra expectatio questionis pœnæq̃, formido sollicitat, ab-  
solvamus, &c.* Similiter Gratiano, Valentiniano & Theodosio sequen-  
tia tribuuntur verba publicè promulgata: *Religio anniversariæ observa-  
tionis hortatur, ut omnes omninò periculò carceris metus, pœnarum eximi ju-  
beamus, qui leviore crimine rei sunt postulati.* Id etiam Gregorius, Nyssenus  
Episcopus orat. 3. de Resurrectione Christi affirmat: *Nullus, inquit, a  
DEO egritudine pressus & obnoxius est, quin per hujus festi magnificentiam  
sui mali remissionem sentiat atque levamen. Hòc die nexi solvantur, debitor  
dimittitur, servus bono & humano præconio Ecclesiæ manumittitur.* Enim verò  
satis constat, nequaquam omnia, quæ sublata sunt civiliter,  
& non amplius trahuntur in judicium, etiam  
moraliter esse abolita.



CAPIT

Quo  
DOCTRINÆ DE MORALI ABOLITIONE  
USUS IN S. THEOLOGIA EXHIBETUR.

§. 1.



Um ex doctrinâ de morali abolitione luculentissimè appareat, actiones malas in agente nullam relinquere Entitatem positivam, quæ realiter expelli possit, & consequenter illas non physicè sed moraliter aboleri; facile intelligitur, inanem esse operam Martini Becani, quam in Manuali Controversiarum Lib. 1. c. 16. qu. 1. impendit, ut ostenderet, peccata in justificatione tolli & deleri. Si enim peccata, postquam patrata sunt, præterierint, nullam Entitatem habent reliquam, & consequenter physicè aboleri non possunt. Quod verò attinet à Becano allata Scripturæ loca, quibus dicitur, agnum Dei tollere mundi peccata, Joh. 1. 29. Pœnite, mini & convertimini, ut deleantur peccata vestra, Act. III. 19. Christum semel oblatum esse ad multorum exhauriendâ peccata, Hebr. IX. 28. illa non physicè, sed moraliter sunt intelligenda. Tolluntur, delentur & exhauriuntur peccata, quando præviâ retractatione, Christi satisfactione per veram fidem nobis applicatâ, reatus, quem per peccata contraximus, aufertur, ut nobis non amplius imputari possint in pœnam. Ab eo enim, qui pro peccato suo per alium satisfecit, jure nulla pœna repeti potest.

§. 2. Ad peccata habitualia si respicit Bacanus, sunt illa in duplici differentia. Aliud est acquisitum, aliud naturale & congenitum. Licet utraq; peccata habitualia in se qualitates positivæ sint, & in illarum abolitionem etiam realiter tendant illi actus, quibus moraliter abolentur; non tamen in hac vita ita possunt destitui, tolli, & deleri, ut non propensio in malum remaneat. Debilitari quidem & coerceri potest illa in malum proclivitas, ne dominetur; tolli tamen & deleri secundum entitatem suam penitus in hac vita non potest; ceu omnes experiuntur, quotquot in hoc mortali corpore spiritum trahunt. Tolluntur ergo, delentur & exhauriuntur, æquè ac peccata actualia moraliter, ut nobis non amplius imputentur in pœnam.

§. 3. Excipit Becanus: *Peccata nobis non imputari in pœnam, duplici sensu posse intelligi. Primò, ut Deus judicet, hominem non esse dignum pœnâ, qui reverà in se dignus est; quod apertè pugnat cum illo Apostoli: Judicium Dei est secundum veritatem. Secundò, ut judicet quidem esse dignum pœnâ; statuat tamen illum non punire, quod partim verum, partim falsum est. Cùm enim sint multa pœnarum genera, potest quidem statuere Deus non punire peccatorem quâvis pœnâ, quam ipse meritis est: non tamen statuere potest, nullò genere pœnâ illum afficere. Enim* vero

verò, neuter sensus genuinus est: Primus quidem planè impossibilis: quia Deus pro infinità sua sapientia non potest de re aliter judicare, quàm res est, quod Becanus ipse fatetur. Alter verò sensus idè nullum locum hâc reperire potest, quoniam Christus pro peccatis nostris satisfecit, & Deus propter illam præstitam satisfactionem, præviâ retractatione per fidem nobis applicatam, peccata non amplius nobis imputat, quoniam moraliter sunt abolita, & non minus culpa & reatus, quàm ipsa peccata, præstitâ satisfactione, moraliter esse desinunt. Sublatâ enim omni imputatione, ut planè nullus actioni effectus moraliter relinquatur amplius; actio sublata vel non facta judicatur. Proinde Deus talem peccatorem, qui Christi satisfactionem per fidem sibi applicat, planè nullâ poenâ vult afficere.

§. 4. Quod verò Becanus apprehendere nescit, quomodo Justitia Christi nobis imputari queat, ut nos inde justî denominemur, ex illa oritur persuasione, quod juxta cum aliis existimet, morales qualitates & inde natas denominationes, eâdem ratione produci & deleri, quâ physicæ solent. Credit, nimirum Becanus, per imputationem alieni meriti, condonationem & non imputationem reatum actionis malæ tolli non posse, sed insuper requiri infusionem qualitatis contrariæ, nempe Justitiam inhærentem, uti maculas parietis delemus superinducto rectorio, aut factorem accensò thure dissipamus. Ita enim disertè concludit Becanus Man. Controv. l. I. c. 16. qu. 2. n. 12. *Sicut ab albedine inhærente reverà albi efficitur; ita à Justitia inhærente reverà justî efficitur.*

§. 5. Enim verò planè alia illorum est natura, quæ nobis moraliter competunt. Quò nomine quis ea velit insignire, morales substantias & qualitates, vel modos, vel Entia moralia vocare, ad nos nihil attinet, quibus in præsentî satis, quod negari & in dubium vocari nequeant. Quemadmodum enim ut verè existant, non physica & intrinseca requiruntur principia, quibus constituantur, sed rebus jamjam perfectis earumque effectibus naturalibus superveniunt, iisdemque certas denominationes afferunt, ut tamen inde nulla illis accedat nova Entitas physica; ita etiâ cum existere desinunt & abolentur, nulla physica mutatio in rebus, quibus erant superaddita, deprehenditur. Quando porrò illis certa vis & efficacia tribuitur, illam non motu quòdam physico exerunt, neque ullam in re mutationem internam producant, sed id saltem efficitur, ut intelligant homines, quâ libertatis suæ moderatîone uti debeant, quæ capacitas boni vel mali illis conveniat, & cum quo effectu quasdam actiones adversus aliam exercere queant. Non tamen eum in finem dantur, ut mundi perfectîonem augeant, sed ut media sint, quibus homines & se invicem moderentur, & à Deo universi & singuli in finem ipsi convenientem dirigantur. Hujus generis sunt Majestas, Imperium, Servitûs, obligatio, mèritum, reatus,

cus, jura, privilegia. Quæ de re passim Puf. de J. N. & G. l. I. c. 1. Lib. VII. c. 3. In Apologia §. 14. In Elementis Jurisprud. Lib. I.

§. 6. Quomobrem Orthodoxi & famiores Theologi, quando in Articulo de Justificatione hominis peccatoris coram Deo versantur, adeo circumspicte loquuntur, ut nequaquam per inbærentem aliquam qualitatem hominem justum pronuncient, sed potius eum pro justo reputari, & alienam justitiam illi imputari discrete profiteantur. Ita enim B. Martinus Chemnitius de Justificatione p. 294. *Imputatio illa consistit in gratia & misericordia Dei, quæ propter Christum, fundamentum inbærens (ad reatum) peccatorum scilicet, reperit, ne imputetur, & fundamentum, quod non hæret in credente, imputatur ei ex gratia, quasi eâ, quæ debet, perfectione inbæret. Hæc sunt ex Paulo manifestissima, gratuita imputationem in articulo justificationis esse gratiam Dei, quæ propter Christum peccatum inbærens, non imputat. 2. Cor. V. 20. Et justitiam perfectam, dignamq. vitæ æternæ, quæ non inbæret, imputat, quasi inbæret in homine. Et passim post idem Chemnitius eodem loco: Tu credentibus non est fundamentum illud, cujus ratione & respectu Justitia ad beatitudinem, imputatur, ne in Abrahamo quidem, etiam quando à Spiritu S. ornatus est extrinsecis donis novitatis. Contrariam reperitur fundamentum, si Deus vellet in Judicium intrare, quod tependum est, ne imputetur peccatum scilicet. Et autem illa imputatio relevationis & voluntatis divine, quæ ex gratuita misericordia propter Christum credentibus peccata non imputat, sed imputat illis Justitiam, i. e. habentur coram Deo in Judicio ejus, ac si perfectam haberent Justitiam inbærentem, & idèo tanquam Justis datur eis salus & vita æterna. Ante Chemnitium eodem sensu differuit Phil. Melanchthon in LL. CC. Justificatio, inquit, significat remissionem peccatorum, & reconciliationem seu acceptationem persona ad vitam æternam. Nam Hebræis justificare est forensè verbum; ut si dicam, Populus Romanus justificavit Scipionem accusatum à Tribuni, i. e. absolvit, seu justum pronunciat. Quamquam autem cum Deus remittit peccata, simul donat Spiritum S. inchoantem novas virtutes; tamen mens perternescit, quærit primum remissionem peccatorum & reconciliationem, de hac argitur, de hac dimicat in veris pavoribus, non disputat, quæ virtutes infusa sunt, quæ etsi comitantur reconciliationem; tamen nequaquam judicandam est, nostram dignitatem aut mundiciam causam esse remissionis peccatorum. Idèo tutius inculcatur particula GRATIS.*

§. 7. Cæterum quæ Sociniani contra Christi satisfactionem, pro peccatis nostris præstitam, objicere solent, itidem ex doctrina nostra de morali abolitione refelli possunt. Quod enim urgent, nemini jus datum esse, ut vitam suam possit pro altero profundero, vel offerre adimendam, male ad Christum transfertur. Quænam enim modum enim malum, quod Sponsor pro altero debet sustinere, mentium suam accipio à peccate, quam habet in præmittendo; ita nihil obstat, quo minus Christus vitam suam pro nobis adimen-



admiendam promittere ac offerre potuerit, quoq;am vitæ suæ absolutam & illimitatam potestatem habet. Testantur enim S. Literæ iuculentissime, Christum verum esse Deum, Creatorem & Conservatorem rerum omnium. Fieri autem non potest, ut Christus creaturis aliis dea vitam & conservet, atq; eandem pro arbitrio, cui & quando vult, iterum auferre possit, suæ autem vitæ ad eum non habeat potestatem, ut eam pro hominum salute admiendam promittere & adimere nequeat. Quoniam ergo Christus vitæ suæ absolue erat Dominus, potuit sane illam pro nobis offerre, donec pro immenso erga mortales amore, suâ passione ac morte, legi per hominum peccata violatæ, satisfacere sustinuit, reapse effecit, ut supplicio, quod peccatis merebamur, liberaremur, & impunitatē donaremur.

§. 8. Frustrâ verò opponunt ulterius, quod pro nocentibus non possit puniri innocens, quoniam alias personam delinquentis excederet poena, quod iniquum. Nam primò, *Christus* mala nostra in se suscepit vel assumpsit. Dico: suscepit vel assumpsit, non contraxit. Etenim bene distinguit Thomas inter suscipere vel assumere, & contrahere mala. Contrahit, qui ex necessitate subit, propterea, quod causa eorum in ipso est. Suscipit, qui ultrò recipit, & causam eorum in se non habet. Quamvis *Christus* nihil malorum contraxerit, eum immunis à peccato sit; ultrò tamen ea in se suscepit, ut pro nobis se sisteret affligendum. Deinde aliud est innocentem puniri pro nocentibus, aliud innocentem pro nocentibus satisfacere. Licet, innocentem pro nocentibus propriè & strictè loquendo puniri, ratio hi humanæ videatur iniquum, quoniam poena delictum saltem sequitur, & innocenti nequit irrogari. Innocentem tamen pro nocentibus satisfacere, iniquum non est. Potest enim innocens, qui sui juris est, semet offerre, ut alterumnoxâ oximat, vel quia tanto erga illum flagrat amor, ut se malit afflictum, quam alterum supplicio affectum, vel quia existimat, sibi tolerabilius fore illud malum, & minori damno sustinendum, quod alteri, si ferendum esset, summum exitum afferret. Neque quicquam videtur obstare, quò minus alter, cui debet satisfieri, ex benignitate ac clementiâ ralem sponsonem innocentis pro nocente, acceptare possit. Non enim malum imputatur innocenti ad poenam, neque tenetur illud ex delicto sustinere, sed ex promissione, ad quam non coactus, sed sponte sua inductus est. Cum nunc *Christus* pro ea, quam in vitam suam habuit, potestati, se morti devoverit, & hanc satisfactionem Deus Pater acceptaverit, ab innocentissimo prestitum est, quod nocentes solvere debebant.

In quò nihil iniquitatis deprehendimus, quin potius immensam Dei gratiam, & incredibilem *Christi* amorem agnoscamus & deus dicamus.

MORUM

MORUM ET JURIS  
SCIENTIÆ  
UNIVERSALIS  
LIBER TERTIUS.

*De*  
PRINCIPIIS MORALIBUS,  
CAPUT PRIMUM

*De*  
PRINCIPIORUM MORALIUM  
EXISTENTIA.

**P**raeter, inò ante universales illas propositiones, quæ cu-  
juscunque civitatis, vel Romanorum, vel Atheniensium,  
vel Lacedæmoniorum, vel Germanorum Jus Civile pa-  
triumque constituant, videntur etiam adhuc alia bene  
multa principia & præcepta, quæ hominum moribus or-  
dinem modumque adhibere, decus & honestum conser-  
vare docent, atque ideò, quod moribus hominum mediocritatem conci-  
hant, moralia dici consueverunt. Illa verò animus à naturà bene infor-  
matus, non ex hominum institutis & doctrinis demum sibi acquirit, sed  
à seipso accipit, simul ac ratione utitur, & justis reliquæ semina sibi à Deo  
implantata seriò excutit & eruit. Præclare Cicero: *Si quis voluerit ani-  
mi sui complicatam notionem evolvere, jam seipse doceat, eum virum bonum  
esse, qui proficit, quibus possit, &c.* Quem locum bene interpretatur Samuel  
Rachelius: *Non semel Cicero proficitur, hominis menti inesse non ac  
communes illas notiones & principia recte vivendi. Plurima verò oboriuntur  
impedimenta, quæ inter notiones illas, & facta singularia intercedunt, & obstant,*

quo vitus ille notiones ad usum transferantur, ipsæq; actionibus singularibus applicentur. Atque ita notio animi complicatur: ubi autem illa rebus agendis adhibetur, evolvitur. Vid. lib. 3. Off. Cujus rei rationes dilucidè tradit in Orat. pro Milone: *Est enim, inquit, hæc non scripta sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hæsimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus.* Ad quem Tullii locum scribit Matthæus Dresserus: *Ita enim duplices sunt Jurisconsulti, alii nati, alii facti; ut D. Luperus venasse dicitur. Nati sunt, qui luce naturali cernunt, quid in quaque re justum sit, aut injustum. Talis in aula Saxonica Friderici Electoris fuit Fabianus de Feilitz, & Princeps Elector ipse. Facti sunt, qui ex libris coguntur jura discere.*

§. 2. Utinam tam beatæ rerum nostrarum esset conditio, ut supervacaneum videri posset, de mortalium principiorum existentia disquirere! Enimverò quia non pauci eam sectantur vitæ rationem, ut quis non immeritò existimare queat, eos vel ignorare illa penitus, vel in illorum transiisse castra, qui quædam vitiorum caligine illa obliterarunt, ad suas libidines & utilitates, modò præposterò, universa referentes; vel si admittunt & inculcant eadem hæc principia, idem tamen lubricum statuunt fundamentum, ut de illorum firmitate non parùm metuendum esset, nisi alijs & validioribus fulcris suffulta forent. Multi etiam, qui horum principiorum scientiam non exuerunt, peccandi consuetudine illorum auctoritatem valde imminuerunt. Proinde operæ pretium erit in medium adducere argumenta, quibus doceri & confirmari potest, quod verè dentur principia moralia, ab ipsâ naturâ nobis suppeditata, quæ nos erudiant, quomodo nobiscum agere, quales erga alios gerere nos debeamus, quòve cultu & reverentiâ Deum prosequi secundùm naturam & conveniat, & obligemur.

§. 3. Primum nemo dubitabit, quin dentur societates, ad quas ineundas & colendas Deus simulum quendam & instinctum naturalem indidit homini, unde etiam homo animal natura sociate dicitur, cui omnes facultates ad societatem necessariæ abunde suppetunt. Cic. l. 1. off. *Natura vi rationis hominem conciliat homini & ad orationis & ad vitæ societatem.* Et lib. 3. de finibus: *Est communis hominum inter homines naturalis commendatio, ut oporteat hominem ab homine ob id ipsum, quod homo fit, non alienum videri. Itaque naturâ sumus apti ad cœtus, concilia, civitates.* Quodque nemo in solitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia, facile intelligitur, nos ad conjunctionem congregationemque hominum, & naturalem communitatem esse natos. Quemadmodum igitur membris utimur priùs, quam didicimus, cujus ea utilitatis causâ habeamus: sic inter nos natura ad civilem communitatem

tem conjuncti & confociati sumus. Aristoteles 1. Pol. 2. *Quare autem homo civile animal sit, omni ape & omni pregali animanti magis, apertum est. Nihil enim, ut censemus, natura facit frustra. Orationis enim tantum homo ex omni genere animantium, particeps est.* Quoniam autem nulla societas esse vel consistere potest, nisi membra ejus societatis per certa principia, precepta, vel propositiones in finem societatis dirigantur; credibile sane est, divinam providentiam, illis omnibus, quos per naturam ad societatem in eandem impellit, etiam per naturam, illa principia ingenerasse, quibus in finem societatis quam convenientissimè diriguntur, & sine quibus nulla societas esse vel consistere potest. Cic. l. 1. off. *Nulla enim vita pars, neque publicis neque privatis, neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si locum agas, quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest: in eoque colendo sita vitæ est honestas omnis & in negligendo turpitudo.*

§. 4. Hujus argumenti vim agnovit Alexander Aphrodisiensis. l. 2. de Anima c. 42. *Si sociales, inquit, ac communicabiles naturâ sumus, impossibile autem est, durare societatem sine justitia, necesse est, jus quoque Naturâ esse. Quod si quoniam apud alios aliud jus est, propterea negent, ipsum esse Naturâ, certè id Naturâ dicent esse, quod apud omnes idem est. Et si jus scriptum, quoniam scriptum est, per constitutionem & non Naturâ esse dicent, certè necesse erit, ut Naturâ non Positione fateantur id, quod non in scripto vim habet. Suntque ejusmodi pleraque, que appellare solemus ex ipso affectu leges non scriptas, que communes omnibus hominibus sunt, nisi sint excecati. Revereri enim seniores, colere Deum, honorare atque observare parentes & præstantiores viros, sunt jura quedam non scripta & communia, que naturaliter apud universos homines retinentur. De his enim neque paciscuntur secum, neque leges faciunt, sed retinent tanquam statutas & confirmatas ab ipsâ Naturâ. vide Seldenum de J. N. & G. L. l. c. 6. Samuel. Rachel. Diss. de Honesto §. 17.*

§. 5. Deinde pro principiorum moralium existentia pugnat hominis conscientia, cum antecedens tum consequens. Antecedens enim conscientia non posset homini præcipere, quid hic & nunc faciendum vel omittendum, quid deceat in dictis & factis, quid sequi, quid vitare conveniat in omni vitâ, nisi essent principia moralia naturâ nobis nota, que docerent, quem ordinem & modum in omnibus actionibus adhibere debeamus. Consequens conscientia ex bene rectèque factis tantam lætitiâ, securitatem & tranquillitatem haud quicquam parere; neque moerorem illum & anxietatem, que scelera solet consequi, in animis hominum excitare posset, nisi forent principia moralia naturâ nobis insita, que parendi necessitatem imponerent. Ex quò enim fonte Tyrannorum laniatus, & tormenta derivabimus? si moralia principia naturâ nobis insita pernegamus. Huic argumento fidem facit Paulus Rom. XI. 17.

quo minus illæ notiones ad usum transferantur, ipsis actionibus singularibus applicentur. Atque ita notio animi complicatur: ubi autem illa rebus agendis adhibetur, evolvitur. Vid. lib. 3. Off. Cujus rei rationes dilucidè tradit in Orat. pro Milone: *Est enim, inquit, hæc non scripta sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus.* Ad quem Tullii locum scribit Matthæus Dresserus: *Ita enim duplices sunt Jurisconsulti, alii nati, alii facti; ut D. Luperus pensæ dixit. Nati sunt, qui luce naturali cernunt, quid in quaque re justum sit, aut injustum. Talis in aula Saxonica Friderici Electoris fuit Fabianus de Feilitz, & Princeps Elector ipse. Facti sunt, qui ex libris coguntur jura discere.*

§. 2. Utinam tam beata rerum nostrarum esset conditio, ut supervacaneum videri posset, de mortalium principiorum existentia disquirere! Enimverò quia non paucicam sectantur vitam rationem, ut quis non immeritò existimare queat, eos vel ignorare illa penitus, vel in illorum transiisse castra, qui quædam vitiorum caligine illa obliterarunt, ad suas libidines & utilitates, modò præposterò, universa referentes; vel si admittunt & inculcant eadem hæc principia, adeo tamen lubricum statuunt fundamentum, ut de illorum firmitate non parùm metuendum esset, nisi alijs & validioribus fulcris suffulta forent. Multi etiam, qui horum principiorum scientiam non exuerunt, peccandi consuetudine illorum autoritatem valde imminuerunt. Proinde operæ pretium erit in medium adducere argumenta, quibus doceri & confirmari potest, quod verè dentur principia moralia, ab ipsâ naturâ nobis suppeditata, quæ nos erudiant, quomodo nobiscum agere, quales erga alios gerere nos debeamus, quòve cultu & reverentiâ Deum prosequi secundum naturam & conveniat, & obligemur.

§. 3. Primum nemo dubitabit, quin dentur societates, ad quas ineundas & colendas Deus stimulum quendam & instinctum naturalem indidit homini, unde etiam homo animal natura sociate dicitur, cui omnes facultates ad societatem necessariæ abunde suppent. Cic. l. 1. off. *Natura vi rationis hominem conciliat homini & ad orationis & ad vite societatem.* Et lib. 3. de finibus: *Est communis hominum inter homines naturalis commendatio, ut oporteat hominem ab homine ob id ipsum, quod homo sit, non alienum videri. Itaque naturâ sumus apti ad cœtus, concilia, civitates. Quodque nemo in solitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia, facile intelligitur, nos ad conjunctionem congregationemque hominum, & naturalem communitatem esse natos. Quemadmodum igitur membris utimur prius, quam didicimus, cujus ea utilitatis causâ habeamus: sic inter nos natura ad civilem communitatem*

tem conjuncti & confociati sumus. Aristoteles 1. Pot. 2. *Quare autem homo civile animal sit, omni ape & omni gregali animanti magis, apertum est. Nihil enim, ut censemus, natura facit frustra. Orationis enim tantum homo ex omni genere animantium particeps est.* Quoniam autem nulla societas esse vel consistere potest, nisi membra ejus societatis per certa principia præcepta, vel propositiones in finem societatis dirigantur; incredibile sane est, divinam providentiam, illis omnibus, quos per naturam ad societatem in eundam impellit, etiam per naturam illa principia in generasse, quibus in finem societatis quàm convenientissimè diriguntur, & sine quibus nulla societas esse vel consistere potest. Cic. l. 1. off. *Nulla enim vitæ pars, neque publicis neque privatis, neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si tecum agas, quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest; in eoque colendo sita vitæ est honestas omnis & in negligendo turpitud.*

§. 4. Hujus argumenti vim agnovit Alexander Aphrodisiensis. l. 2. de Anima c. 42. *Si sociales, inquit, ac communicabiles naturâ sumus, impossibile autem est, durare societatem sine justitia, necesse est, jus quoque Naturâ esse. Quod si quoniam apud alios aliud jus est, propterea negent, ipsum esse Naturâ, certè id Naturâ dicent esse, quod apud omnes idem est. Et si jus scriptum, quoniam scriptum est, per constitutionem & non Naturâ esse dicent, certè necesse erit, ut Naturâ non Positione fateantur id, quod non in scripto vim habet. Sunt & ejusmodi pleraque, que appellare solemus ex ipso affectu leges non scriptas, que communes omnibus hominibus sunt, nisi sint excæcati. Revereri enim seniores, colere Deum, honorare atque observare parentes & præstantiores viros, sunt jura quedam non scripta & communia, que naturaliter apud universos homines retinentur. De his enim neque paciscuntur secum, neque leges sanciunt, sed retinent tanquam statutas & confirmatas ab ipsâ Naturâ. vide Seldenum de J. N. & G. L. l. c. 6. Samuel. Rachel. Diss. de Honesto §. 17.*

§. 5. Deinde pro principiorum moralium existentia pugnat hominis conscientia, cùm antecedens tum consequens. Antecedens enim conscientia non posset homini præcipere, quid hic & nunc faciendum vel omittendum, quid deceat in dictis & factis, quid sequi, quid vitare conveniat in omni vitâ, nisi essent principia moralia naturâ nobis nota, que docerent, quem ordinem & modum in omnibus actionibus adhibere debeamus. Consequens conscientia ex benè rectèque factis tantam lætitiâ, securitatem & tranquillitatem haud quicquam parere; neque mœrorem illum & anxietatem, que scelera solet consequi, in animis hominum excitare posset, nisi forent principia moralia naturâ nobis insita, que parendi necessitatem imponderent. Ex quò enim fonte Tyrannorum lanatus, & tormenta derivabimus? si moralia principia naturâ nobis insita pernegamus. Hujc argumento fidem facit Paulus Rom. XI. 17.

*Gentes ostendant opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis ipsorum conscientia, & inter se invicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium.*

§. 6. Huc etiam referri potest magna illa vis, quæ exsuscitat animos & majores ad agendum facit. Illam verò solummodo in iis deprehendimus, à quorum partibus stat bonitas à naturâ suppeditata, quæ adeò conspicua est, & nunquam non celebrata fuit, ut etiam locum fecerit proverbii: *frangi & attolli vires in milite à causa: raro eum fossitem redire, qui injusta arma sumpsit: bonæ causæ spem adesse comitem.* Quod pertinet illud Dionis Cassii: *Maxima nobis justitiæ habenda est ratio: quæ, si adsit, vis hellica spem bonam præbet: sin absit, nihil quis certi habet, etiamsi prima ex sententia succedat.* Grot. l. 2. c. 1. §. 1. n. 2. Prosperi verò iniquarum molitionum successus ad id, quod afferimus, infringendum nihil valent, cum sufficiat, quod causæ bonitas, quam non ex hominum decretis didicimus, sed ab ipsius naturæ dictamine accepimus, suam quandam, magnam quidem & validam, vim præbeat ad agendum, quanquam ea vis, ut in rebus humanis accidit, sæpè aliarum causarum oppositu ab effectu impediatur. Grotius in præleg. §. 27. Quomodo erigere ac confirmare possint animum hæc principia moralia, imprimis declarat Cicero Orat. secund. in Catilinam. *Sed si, inquit, ommissis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamur, eget ille Senatu, equitibus Romanis, populo, urbe, ærariis, vectigalibus, cunctâ Italiâ, Provinciis, omnibus exteris nationibus: si, inquam, his rebus omissis, ipsas causas, quæ inter se confidunt, contendere velimus, ex eò ipso, quam valde illi jactent, intelligere possumus. Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc sceler: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudine: hinc continentia, illinc libido. Denique equitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuriâ, cum ignaviâ, cum temeritate, cum vitis omnibus. Postremò, cœptæ cum egestate, bona ratio cum perditâ, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione consistit. In hujusmodi certamine ac prælio, nome etiamsi hominum studia deficiant, Dii ipsi immortales cogant ab his præclarissimis virtutibus tot & tanta vitia superari?*

§. 7. Enimverò passim & subinde longè plurima in omnibus prope modum negotiis nobis objici solent, quibus debilitantur animi, & hinc dolore ac egestate, illinc metu & imminentibus periculis à propositâ constantia & mentis celsitate retrahuntur, frequenter etiam suis libidinibus blandissimis dominis subjiciuntur; & nonnunquam falsâ utilitatis quædam specie capiuntur. Quapropter juvat profectò & magnoperè intercedere, ut virtutem ac honestatem, quæ principis moralibus continentur, rebus

-cibus omnibus anteferte parati & instructi sumus. Quam in rem multis  
 in locis egrotic disputat Cicero, ut maxime in duobus putemus, eius sen-  
 tentiam nonnullas in promptu habere, illas hic recensere. Ita vero scri-  
 bitur de finibus: *Ut enim obscuratur & offunditur luce solis lux in lucerna:*  
*Et ut interit magnitudine maris Apeii nulla amaris.* Et ut in divitiis Croesi  
 terancti accessio, & gradum unum in eâ vitâ, quæ est bini in Indiam: sic, cum sit in  
 honorum finis, quæ Stoici dicunt, omnis ista non tam in corpore sit atum est inanis,  
 splendore virtutis & magnitudine obscuratur, & abstrahitur, atque intereat, ne-  
 cessitate. *Enimvero: Virtus stabilitatem, firmitatem, constantiam totius vite*  
*completur.* Tullius l. 4. de finib. Aristoteles vero, Xenocrates, & tunc  
 illa familia, valetudinem, vires, divitiarum, gloriam, multa assidua esse dicant:  
 laudabilia non dicant. Et hi quidem ita non solum virtute finem horarum contineri  
 putant, ut rebus omnibus virtutem anteponant. Eodem libro exponit,  
 tantam vim honestatis esse, tantumque emolumentum omnibus præferre, & excelleret,  
 ut nulla nec supplicia nec præmia dicitur queri possit ab eâ, quod rectum esse dero-  
 garet, omniaque, quæ dura, difficilia, aduersa videntur, ea virtutibus istis, qui-  
 bus a natura essent ornati, obtineri posse. Ex paulo post affirmat, nihil esse,  
 quod sanis miseris faciat, quæ impietas & scelus. Pari modo in Quæstionibus  
 Tusculanis ostendit ac confirmare conatur, satis præfidi ad beatè  
 vivendum in virtute esse. Quod sequentia verba non obscure indicant:  
 Solum bonum quod honestum, ex quo efficitur, honestate unâ vitam contineri  
 beatam. Non sunt igitur ea bona dicenda, nec habenda, quibus abundantem licet  
 esse miserum; an dubitas, quin præstans valetudine, viribus, formâ, acerrimis  
 intemperantibus que sensibus, adde etiam, si libet, pernicitatem & velocitatem, de  
 divitiis, honores, imperia, opes, gloriam: si fuerit is, qui hæc habet, iniustus,  
 intemperans, timidus, hebetis ingenio atque nullò, dubitabis ne eam miserum de-  
 bere? qualia igitur ista bona sunt, quæ qui habeat, miserum esse possit? vid.  
 l. 5. Tusc. Cum his congruunt, quæ in Paradoxis legimus. In libris etiam  
 de officiis id maxime contendit efficere, ut appareat, nihil esse utile, nisi  
 quod idem honestum sit. In illis hanc quoque præclaram sententiam reperire  
 licet: *Tanta vis est honesti, ut speciem utilitatis obscuret.* vid. l. 3. off. In primis  
 verò l. 1. off. Stoicorum, Peripateticorum & Academicorum sententias com-  
 probat, sed Aristippi & Hieronymi, nec non Carneadis opiniones refellit.  
 Eo enim spectant verba sequentia: *Qui summum bonum sic instituit, ut nihil*  
*habeat cum virtute conjunctum, id quod suis commodis, non honestate metitur: hic*  
*si sibi ipse consentiat, & non interdum nature bonitate vincatur, fit, ut neque ami-*  
*citiam colere possit, nec justitiam, nec liberalitatem, fortis verò, dolorem sum-*  
*um malum iudicans, aut temperans, voluptatem summum bonum statuens, esse*  
*certe nullò modo potest.* Hæc discipline igitur, si sibi consentanea esse velint, de  
 officio nihil queunt dicere, neque ulla officii præcepta firma, stabilia, conjuncta  
 nature



natura tradit possunt, nisi aut ab his, qui solam, aut ab his, qui maxime honestatem propter se dicant expetendam. Itaque propria est ea præcepta Stoicorum & Academicorum & Peripateticorum. Quæ quibus congruunt, quæ il. 7. de fin. eandem in sententiam differit. Quorumque, inquit, modò summum bonum sic exponitur, ut id vacet honestate, nec officia, nec virtutes in eâ ratione, nec amicitia consistere possunt. Coniunctio autem cum honestate vel voluptatibus, vel non dolendi, id ipsum honestum, quod amplecti vult, efficit turpe: ad eas enim res referre, quæ agas, quarum una, si quis malo cavet, in summo eam bono dicit esse, altera versetur in levissimâ parte naturæ, obscurantis est omnem splendorem honestatis; ne dicam inquinantis.

§. 8. Ab hac regiâ ad honestatem viâ multi etiam ex illis, qui non sunt flagitiosi, dissoluti, aut improbi, deflectere putantur. Cùm autem adeò trita & plana sit, ut in eâ labi, errare ac decipi pessimum & turpissimum meritò habeatur; nescio sane, an non conficere liceat, sæpe homines eruditos & moratos, citra culpam suam, malè audire. Hòc locò antiqua eademque saltem famosissima nomina producemus Carneadem, Aristippum, Archelæum, Scepticos; de quibus videantur Sextus Empiricus, Lærtius, Plutarchus, Lactantius, Seldenus, Grotius, Rachelius, illis quædam *adaptari* tribuentes. Omnino enim aut omne Jus planè tollere, aut nihil ex naturâ justum, nulla natura nobis cognita principia moralia admisisse, sed omnia, quæ iusti, æqui, honesti, rectique nomina sustinent, ex legibus scriptis hominumque arbitriis, aut ex metu quòdam dependere atque exoriri, dicuntur asseruisse. Forsitan Pyrrhonis, Aristonis & Herilli talia fuerunt placita? De quibus Cic. l. 1. off. affirmare videtur, quod rerum nullum delectum reliquerint, & l. 5. de finibus scribit, quòd in rebus his, in quibus nihil, quòd non aut honestum aut turpe sit, negent esse ullam causam, cur aliud aliis anteponatur, nec inter eas res quidquam omnino putant interesse, & nihil esse bonum præter scientiam, & sic omnem consilii capiendi causam, inventionemque officii tollant. Utrum autem hæc satis explorata fuerint Tullio, ambiguum est, quoniam non dissimulat, has sententias jam pridem explosas & ejectas fuisse, & præterea l. 7. de finibus, quàm incertus sit, expressis verbis docet, dum addit, si ita sensit Herillus, quem cum Pyrrhone & Aristone coniungit. Quibus iudiciis prædit, quòd hanc rem adeò perspectam & cognitam non habuerit,

§. 9. Nostra verò cura & opera non tam in horum dogmatum Autoribus indagandis, quàm rationibus, quibus quæque nituntur, diligenter expendendis, versari debet. Quod ergò illos attinet, quæ ex scriptis legibus hominumque arbitrio moralium principiorum originem deducunt, hoc potissimum contendant, quòd non sit omnium hominum idem de iusto rebusque sensus, sed pro moribus hominum diversorum diversus. Si autem

autem justum naturale, h. e. principia moralia naturā cognita darentur, eadem esset omnium hominum de justō honestōque sententia, quoniam, una eademque omnium hominum natura est & essentia. Quicquid enim est ex natura seu naturali, immōbile seu immutabile est, & nullibi non eandem vim obtinet, *quemadmodum ignis & hic & apud Persas pariter urit*, dicente Aristotele. Metum verō juris esse originem, fatuunt alii, quia, contra aliorum hominum injurias, juris munimentum vel sepimentum, necessarium esse duxerunt. Huc trahuntur verba Horatii L. 1. Sat. 3.

Jura inventa meta injusti fateare necesse est;

Tempora si factosque velis evolvere mundi.

Nec natura potest justum discernere iniquo.

Jus autem planē tollant, quoniam & hominēs & coetera animantes, omnes naturā ducē in usus feruntur utilitates. Unde Horatius serm. lib. 1. sat. 3.

Quum ventum ad verum est, sensus moresque repugnant,

Atque ipsa utilitas justī prope mater & æqui.

Proinde aut nullam esse justiciam; aut si sit aliqua, summam esse stulticiam, quoniam sibi noceat alienis commodis consulens.

§. 10. Eam verō hominum dissensus circa id, quod justum est, non magis tollere potest naturā justum & æquum, quod moralibus principis continetur, quā ex eo, quod quidam nascantur unō pede & sex digitis, colligere licet, non esse naturale, quod homo nascatur duobus pedibus & quinque digitis. De naturā perfectione, non ex monstrosis, sicuti neque de ciborum dulcedine ex malē affectōrum, neque de coloribus ex lippenrium sententiā judicari debet. Quid secundū naturam sit, in his, qui bonē secundū naturam sese habent, non in depravatis & mendosis atque corruptis, cognoscendum est. Benē Cicero: *Multi de Diis prava sentiunt: id enim vitioso more effecti solet*. Post pauca: *Quid illud? dum dubitas, quis specimen nature capi debeat ex optima quaque natura*. Idem: *Quorum aut ingenio, aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima sine cernere nature vim maxime*. vid. L. 1. quæst. Tusc. Ita verō ex sapientissimis Græcis, interprete Jacobo, scribit Aristoteles, Tullii Judiciō, longē omnibus, post Platonem, præstans & ingenio & diligentia, lib. 1. Rhet. c. 13. *Est quoddam, quod augurantur omnes (δ μαρτυροῦνται τι πάντες, unanimiti consensu & quasi divinō instinctu asserit) naturā commune justum & injustum, etiamsi nulla facietas invicem sit, nullaque pactio*. Non enim id nunc & boni, sed semper. Et nemo scit, unda ejus ortus sit. Ex Latinis idem confirmat Cicero lib. 1. de Legibus. *Lex, inquit, est ratio summa, instita in naturā, quæ jubet ea, que faciendū sunt, prohibetq; contraria*. Idem: *Nihil est profectō præstabilius, quā planē intelligi nos ad justiciam esse natos, neque opinione, sed natura*

*naturâ constitutum esse Jus.* Si verò omnes profitentur esse naturâ communè iustum & iniustum, idque non opinione, sed naturâ constitutum, illicò evanescit, quod de dissensu hominum circa iustum & æquum adductum erat. Manent etiam moralia principia immutabilia, & ubique eandem vim habere debent, & reverà habent, ubi prava consuetudo & hominum perversitas non reluctatur. Horum verò aberrationes, uti ad regulam & normam constituendam ineptæ sunt; ita principiorum moralium naturâ notorum veritati nihil derogare possunt. Dissensus etiam non circa principia est, sed circa conclusiones à principiis magis vel minus remotas. Unde benè iudicat Thomas Aquinas: *Una est apud omnes lex nature quoad primæ principia omnibus communia, & secundum rectitudinem & secundum notitiam; licet quoad propria aliqua ex communibus deducta eadem apud omnes non sit.* vid. Summa Theologiæ 1.2. quæst. 94. art. 4. Nec malè hanc in rem distinguit Valent. Alberti de origine J.N. §. 29. inter conceptum genericum & specificum objecti juris naturalis, atque illum, non æquè hunc, Rationem solitariè spectatam in omnibus assequi contendit. *Perinde, quod simile Seldeni est, ac si de mensura nomine quidem tenus, veluti pedis, ulnæ &c. satis essent concordæ, de utriusq. interea quantitate mirè discrepantes.* Quod declarat exemplo S. B. & M. moralis. Inter bona & mala moralia dari ultimum & extremum atque summum, & id appetendum, hoc fugiendum esse, dicitur Ratio; sed in conceptu specificò sæpius aberrat. Hinc CCLXXXVIII. sectæ hæc de re, saltem possibile, ex Varrone apud Augustinum l. 19. de Civ. D. c. 1.

§. 11. Metu iniusti jura inventa esse, triplicem habere potest significatum. Primus est, quod nisi injuria metuenda foret, nullæ essent leges, nullum Jus, nulla principia moralia. Hòc sensu falsum est assertum. Homines enim obligantur, & ad ea faciendâ, quæ naturæ humanæ conveniunt, & ad ea fugiendâ, quæ naturæ humanæ disconveniunt, licet inter bonos & integros versentur, à quibus nulla metuenda est injuria. Alter sensus esse potest, quod nonnullæ leges & instituta fuerint, introducta, ut facilior fieret juris executio. Quò modò admittimus assertionem Horatii. Cum enim multi ad eò sint infirmi, ut à validioribus facillè possint opprimi, conspirarunt ad instituendâ & communibus viribus defendendâ judicia, ut quibus singuli pares non erant, his universi prævalerent. Quò sensu accipi debet, quod dicitur, jus esse id, quod validiori placet, ut cogitemus sine suo externo carere jus, nisi vires ministras habeat. Hinc de se prædicavit Solon, quòd res maximas confecerit vim jusq; parilis copulans vinculi jugo. Tertius sensus esse potest, quòd jus omni planè effectu destituatur, & contra injurias nil quidquam valeat, nisi institutis aliis & vi quâdam munitum esset. Hòc modò iterum falsa est assertio, quoniam Jus effectum quendam obtinet, etiamsi fuerit ab omni vi destitutum. Nam Justitia securitatem assert

albert conscientie, injustitia tormenta & laniatus: Justitiam probat, injustitiam damnat proborum consensus; Injustitia Deum inimicum, Justitia faventem habet, qui judicia sua ita post hanc vitam reservat, ut sæpe eorum vim etiam in hac vitâ representet. H. Grot. de J.B. & P. in Proleg. §. 20. Quod egregie illustrat Cicero L. I. de finibus. *Justitia, inquit, non modo nunquam nocet cuiquam; sed contra semper alit aliquid tibi vi sua, atq; naturâ, quod tranquillet animos: tum spe, nihil earum rerum defuturum, quas natura depravata desiderat, quemadmodum temeritas & libido, & ignavia semper animum excruciant, & semper sollicitant, turbulent eq; sunt: sic cujus in mente consedit, hoc ipso, quod adest, turbulenta non potest fieri: etsi verò molita quispianam esset, quam vis occultè fecerit, nunquam tamen confidet, id fore semper occultum. Plerumq; improborum facta primò suspicio insequitur, deinde sermo atq; fama, tum accusator, tum judex: multi etiam, ut te Consule, ipsi se indicaverunt, Quasi qui satis opibus hominum sibi contra conscientiam septi esse summi videntur: Deorum tamen nomina horrent, easq; ipsas sollicitudines, quibus eorum animi nocent atq; dies exeduntur, à Diis immortalibus supplicii causa importari putant.*

§. 12. Illi verò, qui ad Jus omne tollendum proprias utilitates ab omnibus animantibus spectatas afferunt, multis modis sibi imponi permittunt. Illæ enim animantes, quæ ratione carent, non adeo suarum duntaxat utilitatum studio tenentur, ut illud partim foetuum suorum, partim aliorum sibi congenerum cura temperare negligant. Homines verò illâ statim ætate, quâ nondum apti sunt ad disciplinam capeffendam, propensionem quandam ad beneficiendum aliis, misericordiamque satis teneram, non obscure produunt. Ubi adolefcunt & paulatim sese exerit intelligendi facultas, advertunt illam similitudinem & cognationem à naturâ constitutam, non solummodo agnoscunt, quòd nefas sit hominem homini insidiari, sed & dum deprehendunt singulos & infirmos esse, & multarum rerum ad vitam commodè ducendam egentes, ad mutua auxilia teneri se intelligunt. Quod ab omnibus sapientibus agnoscitur & inculcari deprehendimus. *Quantum (ut præclare scriptum est à Platone) non nobis solum nati sumus: ortusq; nostri partem patriam vendicat, partem parentes, partem amici: atque (ut placet Stoicis) quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causâ esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint: in hoc naturam ducem debemus sequi, & communes utilitates in medium afferre mutatione officiorum, dando accipiendoque tum artibus, tum operâ, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.* Cic. l. 1. de off. Equæ autem ferri, quò ipsam naturam nos ducere & inclinare sentimus, non Stultitiæ, sed Sapientiæ est. Etenim *Naturam si ducem sequemur, nunquam aberrabimus.* Cic. 1. off. Quocirca si sapientiam meam admirari soletis, in hoc sumus sapientes, quod naturam optimam ducem tanquam

*Deum sequimur, eique paremus. Quid enim est aliud gigantum more bellare cum Diis, nisi natura repugnare? vid. Catonem Majorem. Detrahere alteri sui commodi causa, magis est contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cetera generis ejusdem. Ex quo efficitur, hominem natura obedientem homini nocere non posse. Proinde stultissime dictum videtur, Justitiam esse summam Stultitiam. Quod inde etiam intelligi potest, quod is, qui suæ utilitatis gratia, quicquid adversus alium agendi licentiam sibi sumit, mox alteri eadem adversus se tentandi ansam præbeat; cum nemini per naturam id privilegii datum sit, ut quò is jure in alios utitur, idem alii adversus ipsum vicissim non exercent. Neque est, cur quis suis viribus tantum tribuat, ut existimet, paria sibi à nemine reponi posse. Cum enim omnis potentia & vis ex conjunctione & consociatione oriatur, facile fieri potest, ut is, qui videri potest imbecillior, alios in partes suas trahat, & adeo emineat, ut non solum par, sed etiam superior evadat. Ex quibus conficitur, non justitiam sed injustitiam summam esse stultitiam, quippe quæ neque in univèrsum verè conducit, neque ad diuturnitatem & perpetuitatem, in præsens scilicet & futurum, prodest. Licet enim nonnunquam sua malitia alicui succedere videatur, mox tamen majori detrimento fucatas utilitates compensat, & ipsam salutem hominis in summum discrimen adducit. Pufend. de J. N. & G. L. 2. c. 3. §. 10. seq. *Quare error hominum non proborum, cum aliquid, quod utile visum est, arripuit, id continuo secernit ab honesto. Hinc sicæ, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur; hinc furta, hinc peculatus, expilationes, direptionesque sociorum & civium: hinc opum utimiarum potentia non ferenda: postremò etiam in liberis civitatibus existunt regnandi cupiditates: quibus nihil nec tetrius, nec foedius excogitari potest. Emolumenta enim rerum fallacibus judiciis vident: pœnam; non dico legum, quas sepè percurrunt, sed ipsius turpitudinis, quæ acerbissima est, non vident. Cic. l. 3. off. Præterea, utut Jus naturale non admittatur, civile tamen negari non potest. Jam verò civis, qui sequitur Jus istius civitatis, in quâ degit, stultus non est, licet ob hujus Juris reverentiam nonnulla sibi utilia omittere debeat. Quare igitur homines stulti essent, si suas utilitates non faciunt tanti, ut propterea Jura naturalia negligant. Nam par utrobique est ratio. Quemadmodum civis, qui Jus civile percurrat utilitatis præsentis causâ, id convellit, quò ipsius posteritatisque suæ perpetuæ utilitates continentur; sic & populus, jura naturæ gentiumque violans, suæ quoque tranquillitatis in posterum rescindit munimenta,**

uti præclare philosophatur Grotius in proleg.

de J. B. & P. §. 18.

CAPUT

# CAPUT SECUNDUM

De

## PRINCIPIORUM MORALIUM DEFINITIONE.

§. 1.



Principia moralia sunt Propositiones Universales à recta ratione suppeditatæ, quæ ostendunt, quid naturæ humanæ vel conveniat, vel disconveniat, hominemque ad illa faciendâ, hæc verò fugienda, tanquam à DEO vel præcepta, vel prohibita obligant.

§. 2. Utrum Propositiones, an assertiones effata, præceptiones, axiomata, vel dictamina & iussa, vel regulas nomines moralia principia, parum refert. Id certè manifestû est, quòd in orationibus vel propositionibus consistant principia moralia, quia non incomplexa sed complexa sunt principia, quæ certam habent sententiam, in quâ præcipua illorû vis & facultas posita est. Universales sunt Propositiones, quia ita sunt generatim non solum comprehensæ, ut nullam determinati loci, temporis, aut aliarum circumstantiarum vel rerum singularium definitam mentionem faciant, sed etiam pertinent ad omnes, qui rectam rationem habent, & quid naturæ humanæ conveniat vel disconveniat, intelligere possunt. Quamobrem à Græcis κοινὰί ἰσχυραί, à Latinis communes & necessariae intelligentiæ & primæ notiones dicuntur, quas nescire, earundemque vim & obligationem declinare nemo valet.

§. 3. Equidem merè civilia Jura etiam Propositionibus Universalibus comprehenduntur, quatenus nimirum ad res singulares definiendas, & usquequaque circumscribendas non descendunt; sed scripta sunt, vel vivâ voce promulgantur, aut aliquâ ratione extrinsecus accedente vim legis demum accipiunt. Principia autem moralia sunt Propositiones Universales, quæ à rectâ ratione, licet nulla vox, nullave scriptura, vel modus alius externus, quò demum vim legis nanciscantur, interveniat, nobis suppeditari possunt. Præterea nos saltem ad ea, quæ naturæ humanæ conveniunt, faciendâ, ad illa, quæ disconveniunt, fugienda, proinde saltem ad per se honesta patranda, ad per se turpia vitanda obligant; Jura verò merè civilia, etiam illorum committendorum & omittendorum necessitatem nobis sæpè imponunt, quæ sunt indifferentia; obligant verò nihilominus tantum ideo, quòd Legislatori hòc vel aliò modo illa fieri allubescat.

S 3

§. 4. Non

§. 4. Non tamen existimandum est, quòd principia moralia tales propositiones universales sint, quæ planè nullam restrictionem & limitationem admittere queant. Utique enim ad circumstantias respiciendum, & ex illarum accuratâ æstimatione commodus principiorum moralium sensus eruendus est. Secus qui agunt & principia moralia neglectis circumstantiis ad personas, res & facta simpliciter applicant, ad illum sæpissimè rigorem deveniunt, qui summum Jus appellatur, quò non datur major injuria. Licet ergò moralia principia: Parentibus est obediendum, Magistratui est parendum, depositum est reddendum, habeant vim propositionum universalium, possunt tamen ejusmodi accedere circumstantiæ, quæ restrictionem & limitationem quandam requirunt. Quando enim usu venit, ut vel Parentes, vel Magistratus præcipiant, quòd iniquum & DEO adversum, aut furiosus gladium depositum reposcat; tunc recta ratio pro re natâ principia moralia restringit & limitat, saltemque sub hæc conditione Parentibus & magistratibus obsequium præstandum esse dicitur, si non injusta præcipiunt, & tum demum depositum reddendum esse, quando repetens illud ad alterius injuriam non est adhibiturus.

§. 5. Neque dicitant solum, quid faciendum & fugiendum sit, sed etiam obligant. Quamvis autem obligatio absque morali necessitate non satis possit intelligi; multum tamen de ejus efficacità detrahetur, si absque respectu ad Numen Optimum Maximum proponitur. Equidem ex naturâ objecti rationis rectæ subsidio potest homo deducere, quid sui sit officii, quid agere, quid ornittere debeat, quoniam cernit & deprehendit, quid naturæ suæ necessariò vel conveniat, vel disconveniat; dubitari tamen non potest, quin concitatissimo quòdam stimulo impellatur homo, quando agnoscit, actionem suam, quam molitur, adeò suæ naturæ convenire, ut aliter se habere vel sibi non convenire nequeat, adeoque ab ipso Naturæ opifice, DEO O. M. ita præceptam, ut ejus natura non permitat, contrarium à DEO præcipi. Ita manifesta & evidentissima redditur illa moralis agendi necessitas, quæ in obligatione comprehenditur. Dum enim animadvertit homo, actiones ita sibi convenire, vel non convenire, ut nullò modo fieri possit, rem aliter se habere, facillè colligit, quod si secus agat, id committat, quod naturam suam maximè dedecet, conditorem suum & conservatorem Deum summè offendat, & id propter ejus indignationi & vindictæ obnoxius reddatur. Quia porro deprehendit homo, se divinam ultionem effugere non posse, ita tandem subducit rationes, ut decernat, nullâ ratione salutis & securitati suæ rectius consuli, quam si prompto & hilari animo perficiat, quæ moralia principia ipsi dicitant.

## CAPUT TERTIUM

De

MORALIUM PRINCIPIORUM  
DIVISIONE.

§. 1.



N eô quidem omnia principia moralia conveniunt, quod agendi quandam necessitatem imponant; hoc tamen se junguntur discrimine, quod alia obligent omnes homines, quâ tales, in quâcunque vixerint societate. Alia verò non absolute omnes homines, societate humanâ universali comprehensos, sed illos omnes, qui speciali aliquâ societate naturali continentur, sibiq; invicem pro diversâ naturâ talium societatum propter specialem necessitudinem vel respectum ad peculiaria officia, obligati sunt. Inde nata est Samueli Rachelio divisio Juris naturalis in generale & speciale. vid. ejus Diss. de J. N. §. 44. Cum hâc coincidit divisio juris naturalis in simpliciter tale, & quod in relatione ad certum hominis statum consistit. Illud est, quod quemvis hominem obligat, in quocunque etiam vivat statu, v. g. Cole Deum, serva promissum. Hoc dicitur, quod hominem, prout in certo vivit statu, obligat, v. g. Ale foetum, non expone foetum. Neque adeo diversus est Samuel Pufendorfius, quando illa Juris naturalis distributio ipsi expeditissima videtur, ut primò locò consideretur, quomodo istius jussu quis sese debeat gerere adversus seipsum; deinde quomodo adversus alios homines. Præcepta Juris naturalis, quæ alios homines spectant, iterum possunt dividi in absoluta & hypothetica. Illa sunt, quæ omnes homines in quovis statu obligant, accitrapositionem alicujus instituti, per homines introducti aut formati. Hæc autem certum statum aut institutum per homines formatum aut receptum præsupponunt. vid. de J. N. & G. L. II. c. 3. §. 23. Huic affinis est illa divisio Juris naturalis, quâ aliud dicitur Jus naturalis pietatis, aliud naturalis probitatis, aliud naturalis Justitiæ. Illud est, quod dicitur homini rectè se gerere erga Deum. Istud, quod dicitur homini rectè se gerere erga seipsum. Hoc, quod dicitur homini rectè se gerere erga proximum. Neque aliud discrimen inter utramque divisionem reperitur, nisi quod in priori Jus naturalis pietatis omittatur; & posterioris Jus naturalis Justitiæ in priori clarius explanetur & distinctius tradatur.

§. 2. Guilielmus Grotius, Hugonis frater, in Enchirid. de principiis Juris naturalis c. 2. §. 6. partitur Jus naturale in regulas & leges. Regulas vocat communes notiones à natura mentibus nostris inditas; e. g. Virtutes



res omnes esse bonas, vitia omnia esse turpia. Leges verò vocat, quæ nobis præscribunt, quid faciendum vel non faciendum sit, nimirum bonum esse appetendum, vitium verò fugiendum, sive ut Regius vates loquitur, *declina à malo, & fac bonum.* Cujus partitionis originem inde petendam esse censet, quod Jus naturale partim illuminat mentem nostram & intellectum dirigit, partim etiam præcipiendo & vetando nos obligat, & prius quidem alios appellare directivè, posterius verò coactivè disponere.

§. 3. Solet etiam Jus naturale dividi in concessivum & præceptivum. Concessivum vel dominativum appellat idem Grotius, quò homini datur facultas ad aliquid justè habendum vel agendum, ut cum homini à natura confertur libertas, quâ & uti potest & abuti: potest enim eam sartam tectam conservare, & potest eam alienare, sequè ipsum in servitutem addicere. Præceptivum verò vocat, quò aliquid jubetur aut vetatur cum obligatione. Notandum tamen est, solum Jus præceptivum strictè & verè Jus esse, non verò concessivum, quoniam vita & anima Juris est obligatio, quâ cum destituatur Jus concessivum, palam est, quòd non sit verum Jus. Quod etiam de ejusdem regulis judicandum erit.

§. 4. Non tamen dissimulandum est, quòd concessivum Jus ab eo, quod negativè tale, vel negante sensu magis quàm ajente tale est, diversum sit. Negativè Jus dicitur, quod injustum non est. Injustum autem est, quòd naturæ societatis ratione utentium ejusque primo auctori repugnat. Hòc sensu sub Juris notione continentur etiam actus indifferentes, v. gr. edere, bibere, dormire, occupare quæ sunt nullius, venari. At verò jus concessivum, quamvis ab illo, quod negativè tale est, proveniat, aliquid amplius tamen confert, quoniam ad personam refertur, eique aliquid tribuit. Hinc dicitur qualitas morali personæ ad aliquid justè habendum vel agendum. Ita Hugo Grotius L. i. c. i. §. 4. Add. Simon. ad Guil. Grof. Ench. c. i. & 2. v. g. à Jure concessivò est facultas gerendi bellum, ducendi uxorem, nominandi hæredes per testamentum. Quam verò facultatem Jus naturale, divinum & humanum, definiunt. Sic facultas gerendi bellum non nisi sub moderamine Juris N. præceptivi exerceri potest. Matrimonio sollemnitatis Sponsalium & Nuptiarum adjuncta, & Testamento certus numerus testium præfixus est. vid. Albert. Comp. J. N. p. 2. proleg. §. 32. n. 34. seqq. Grotianæ descriptioni lumen sceneraturi adjiciemus aliam, quâ describitur, quòd sit potestas legitima, ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, vel quasi functionem edendam, cujus violatio injuriam constituit. Licet enim Jus concessivum, ut & permissivum (quòd videtur esse latius concessivo, cum id ad Jus negativè sic dictum, hoc ad qualitatem moralem restringatur, personæ competentem) illum, cui aliquid concedunt & permittunt, non obligant, quoniam agendi liberam facultatem

tem habet, ac prorsus indifferentem, planè nulli præcepto adstrictam; alios tamen obligant, ne illis, quibus aliquid permittitur & conceditur, impedimentum ponant. Grot. L. i. c. i. §. 9. Cæterum h. l. advertunt alii, quod ea, quæ non injusta sunt, saltem reductivè aut negativè ad J. N. pertineant, cum aliud sit, non repugnare J. N. aliud ei conforme esse.

§. 5. Frequens etiam est distinctio Juris naturalis in affirmativum & negativum, pro quâ substituunt alii divisionem Juris in Jus commissionis & omissionis. Illud dicitur, quò aliquid fieri præcipitur; v. g. Cole Deum, honora parentes, sta promissis. Hoc appellatur, quò aliquid non fieri præcipitur; v. g. non fac furtum, non admittite scortationem vel adulterium. Actus contra Jus affirmativum, peccata commissionis; contra jus negativum, peccata omissionis appellari solent.

§. 6. Inter Jus affirmativum & negativum id discrimen intercedere vulgò statuitur, quòd jura affirmantia obligent semper, sed non ad vel pro semper; negativa verò obligent semper & ad vel pro semper, h. e. sine loci, temporis & reliquarum circumstantiarum exceptione. Sic, quod jure naturali est prohibitum, ab eo omni tempore, omni loco debemus abstinere, nunquam enim nobis ab homicidio v. g. abstinendi occasio deest. Quod verò jure naturali præcipitur, ad id quidem omni tempore obligor, non tamen ad vel pro semper, h. e. ad omnes casus, omnia loca, omnia tempora, sed duntaxat, quando occasio suppetit, alterius egestas postulat, meæ opes permittunt, locus requirit, & tempus est opportunum.

§. 7. Enim verò illud discrimen non immeritò suspectum videtur. Nam Jus affirmativum cum negativo est adeò arctè connexum, ut affirmativum sub negativo, & negativum sub affirmativo contineatur. Unde, cum Deus per repetitionem juris naturalis in Decalogo Nomen suum in vanum sumi prohibuit, simul illud sanctè usurpari justit: & cum Parentes honore affici præcepit, eosdem lædi prohibuit. Tametsi ergò Decalogus duo specialia præcepta affirmativa & octo negativa comprehendat, Christus tamen Matth. XXII. 38. seq. totam legem in duo generalia præcepta redegit affirmativa, quoniam ex his eruere negativa, non est difficile. Sed hæc affirmantium & negantium præceptorum connexio saltem in jure naturali ubique, non pariter in positivo locum invenit. Si enim indifferentia, circa quæ jus positivum versatur, habent repugnantia, tunc quidem ab affirmativo, ad negativum, valet consequentia. Si nigris vestibus incedendum esse præcipitur, albis aut rubris uti est prohibitum. Sed à negativo ad affirmativum non licet argumentari. Si nigris vestibus non est incedendum, albæ aut rubræ non præcisè sunt præceptæ, sed propter repugnantium indifferentiam magna indulgentia concessa est. Quando autem indifferentia nulla habent opposita, per se patet, quod

T

a præ-

à præcepto affirmativo ad negativum, & vice versa, non possumus argumentari. Sed juris naturalis objectum sunt honesta, quibus opponuntur turpia, & dum illa præcipiuntur, hæc prohibentur & contra. Propterea bene monet Valentinus Alberti, quòd illud discrimen inter jus affirmativum & negativum non sit universale. Dantur enim omnino quædam præcepta affirmativa, ut: time Deum: Divinæ memor præsentia te tanto Numine dignum præbe: quæ sanè nullam temporis & loci exceptionem admittunt. Quæ verò illam admittunt, id non faciunt quatenus affirmativa, sed quatenus aliis sunt inferiora. Hinc ea, quæ nullum præceptum superius admittunt, qualia sunt modò allegata, semper & pro semper obligant; reliqua verò, quæ aliis præceptis sunt inferiora, superioribus subinde cedunt: quem in modum furiosus & ebrius gladius depositus non est reddendus, propter præceptum superius: Nemo est lædendus. Unde rectius dicitur, quòd jus affirmativum & negativum semper & ad vel pro semper obligent pariter, nisi præceptum superius, vim obligandi ad tempus suspendat. Id verò in nullo præcepto negativo, sed in aliquibus saltem affirmativis usu venit. Negativum enim præceptum turpia prohibet, quæ nusquam & nunquam committere licet: affirmativa verò præcepta honesta requirunt, quæ quidem omnia sunt attendenda & facienda. Quia tamen suos gradus habent, & illa præcepta subordinationem aliquam admittunt, conveniens est, ut superius anteferatur inferiori; divinum humano. Relinquitur ergo hoc saltem discrimen inter jus affirmativum & negativum, quòd nullius præcepti negativi, quorundam verò affirmativorum obligatio suspendi possit, à majori & superiori. vid. Comp. J. N. part. 2. §. 19. Cæterum existimat Valentinus Alberti, hoc discrimen ideò probari nonnullis Moralists, quod cum aliis eorum propriis sententiis consentiat. Nam qui Clericorum cœlibatum propugnant, illi quidem concedunt præceptum de incedendo matrimonio esse naturale; sed quia est affirmativum, contendunt, illud non obligare pro semper. Enim verò si admitterent, affirmativa præcepta obligare etiam pro semper, nisi præceptum majus & superius obstet, plerorumque Clericorum cœlibatus periclitaretur. Neque minus favet illud discrimen falsæ isti persuasioni de Legis Divinæ implementatione. Cum enim sola præcepta negativa obligent pro semper, & his facile per actum omissionis satisfieri possit; affirmativa verò non obligent ad semper, ideòque non opus sit, ea semper facere, non existimant, adeò arduum fore, legem Dei implere. Hujus discriminis patrociniò usum etiam Thomam fuisse; 1. 2. qu. 71. a. 5. ad tert. & ibi qu. 100. a. 10. ad secund. peculiari dissert. laudatus Alberti demonstravit.

§. 8. Apprehensionis nostræ contemplatione Principia moralia distin-

distinguuntur in simpliciter vel primò prima, & secundùm quid vel secundò prima, aliis immediata & mediata dicta. Principia simpliciter ac primò prima sunt, quæ in genere morum per rationem à priori, h. e. per prius & notius naturâ tradi non possunt. Principia secundùm quid & secundò prima dicuntur, quæ per rationes à priori in genere morum tradi possunt, perceptu tamen ad eò sunt facilia, ut nullam mereantur demonstrationem, & ab illis etiam, qui nesciunt, quid demonstratio sit, quæ ant intelligi.

§. 9. In genere morum principium primum simpliciter & primò primum dici meretur: *Quicquid naturæ rationali & sociali necessario convenit, faciendum, & quicquid ab ejus dignitate abhorret, omittendum est.* Fundatur enim in hominis naturâ rationali & sociali omnis moralitas, ut inde tanquam à fonte & scaturigine derivari, & eò iterum reduci debeant omnes propositiones morales. Confirmatur id Moralistarum unanimi consensu, quoniam apud illos usu receptissimum est, ut pro primis, immediatis & indemonstrabilibus principiis habeantur hæc duo: *Per se ac suapte naturâ honestum seu intrinsecè bonum est appetendum sive faciendum: Per se ac suapte naturâ turpe sive intrinsecè malum est fugiendum seu omittendum.* Per se etiam & suapte naturâ honestum est id ipsum, quod naturæ rationali & sociali per se & necessario convenit. Turpe autem sive intrinsecè malum est, quod ab hominis naturâ rationali & sociali abhorret. Egregiè Cic, l. 3. de fin. *Omne quod honestum sit, id esse propter se expetendum, commune nobis est cum multorum aliorum Philosophorum sententiis. Quis est enim, aut quis unquam fuit, aut avaritiâ tam ardenti, aut tam effrenatis cupiditatibus, ut eandem illam rem, quam adipisci scelère quòvis velit, non multis partibus malitè ad sese, etiam omni impunitate propositâ, sine facinore, quam illò modò pervenire? Quis autem honestâ in familiâ constitutus, & educatus ingenuè, non ipsâ turpitudine, etiam si eum læsura non sit, offenditur? quis non odit sordidos, vanos, leves, fusilos? quid autem dici poterat, si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statuerimus, quò minus homines tenebras & solitudinem nocti, nullò dedecore se abstineant, nisi eos per se fœditate suâ turpitudine ipsa deterreat? innumera alij dici possunt in hanc sententiam; sed non necesse est: nihil est enim, de quo minus dubitari possit, quam & honesta expetenda per se, & eòdem modò turpia per se fugienda.* Ab his non discrepat Samuel Rachelius, qui nullum aliud primum principium esse statuit, quàm hoc: *Voluntas humana agendo se conformare debet voluntati Divinæ.* vid. Diss. de J. N. §. 120. Nullam enim aliam intelligit voluntatem divinam, quàm quæ naturalibus legibus est expressa. Hæ autem congruunt cum illis præceptis, quæ naturâ rationali & sociali fundantur. Propterea mox laudatus Rachelius l. c. de hoc

suo principio affirmat, quòd in duo capita dividatur: *vel enim vult Deus, ut quedam faciamus, vel ut non faciamus. Itaque, ut idem subjungit, recta ratio mox colligit, honesta facienda & turpia fugienda esse.*

§. 10. Ad principia secundò prima sive secundùm quid prima referri possunt sequentes Propositiones: *Quilibet se ac sua conservat. Quilibet omittat ea, quæ rationis usum debilitant, vel corpori noxam aut labem inferunt. Quilibet abstineat ab eo, quod facit, ut minus tranquilla inter homines sit societas. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Ut ne quis alterum ledat, ut quæ, si quòd damnum alteri dederit, id reparat. Ex quo sequitur: si cui abs aliquo læsio sit illata, damnumq; datum ullò modò, qui ipsi rectè potest imputari, id, quantum ejus fieri potest, ab eodem est sarcinendam. Ut quisque alterum hominem æstimet atque tractet, tanquam naturaliter sibi equalem, seu ut equè hominem. Mutua officia præstanda sunt. Aliorum necessitatibus subveniamus. Ut quilibet fidem datam servet. Ne quis signis ad exprimenda animi sensa institutis alterum decipiat. Quamvis enim harum propositionum rationes reddi possint, probariq; à priori; sunt tamen adeò claræ & manifestæ, ut sine ullo discursu animis nostris sese insinuent, nec dubitare nos permittant, à natura dictæ sint nec ne. Guil. Grot. c. 2. §. 7.*

§. 11. Quæ ex illis principiis fluunt conclusiones, morales dicuntur, quoniam minus notæ sunt, & ex primis illis principiis deducuntur. Habent tamen suam veritatem pariter & obligandi vim, quippe quæ ex principiis moralibus per bonam consequentiam deducuntur, & ab illis in eo saltem differunt, quòd non æquè notæ sint, atque illæ. Solemus autem ea, quæ non patent, colligere ex his, quæ patent. Hujusmodi conclusiones sunt: Depositum est reddendum, Perturbatores Reipublicæ sunt tollendi; quarum prior per hoc principium: Quod tibi fieri vis, id alteri feceris; altera verò per hoc: in pace & tranquillitate vivendum est, probari solet. Guil. Grot. Cap. 2. §. 7.

§. 12. Tales conclusiones colligere & principia demonstrare, est juris naturalis vel Philosophiæ moralis Syntagma adornare. Sufficit autem, illas propositiones intelligere, earundemque veritatem & rectitudinem cognitam perspectamque habere. Ut verò anxie atque sollicitè disquiramus, quænam illarum propositionum sit omnium prima, & quæ ex illa prima mediatè vel immediatè fluat, necesse non est. Rarò enim contingit, ut in moralium demonstrationum praxi ad primam ejusmodi propositionem recurramus, sed contenti sumus, attulisse vel allatas esse rationes proximas, vel saltem evidentes, quibus actiones humanas vel honestas vel turpes esse demonstramus. Ad hæc contentur omnes, accuratissimas demonstrationes in Geometria deprehendi, cui etiam vel sola Euclidis Elementa fidem facere possunt. De primo autem principio,

unde

unde deducantur reliqua, & in quod ultimò resolvantur, nulla cura est Geometriæ Doctõribus, sed id unum sibi incumbere putant, ut principia recenseant eo ordine, quò se fortè ipsà offerunt, primà secundis & secundis prima miscentes. Imò ne attendunt quidem, an prima vel secunda sint, & vel rarò vel planè nullam primorum principiorum rationem habere solent. Hòc tamen non obstantè, adeò exactè, exquisitè atque evidenter demonstrant, ut accurationis palmam cõteris dudum præripuerint. Quæ causa ergò afferri potest, ut in moralibus demonstrationibus tam anxie atque sollicitè, ac cum tantà contentione prima moralia investigemus, cum & ad has præter subjectum, prædicatum, sive affectionem & principium, cujus virtute prædicatum subjecto inesse ostenditur, nihil requiratur amplius.

§. 13. Ut ut verò necessaria non sit, neque adeò conducatur illa primi moralis principii exploratio seu investigatio; facilitè tamen permittimus, alios hãc curã delectari, & omnes demonstrationes morales, si ita videbitur illis, ad primum usque principium, deducere, ut totus demonstrationis nexus per modum catenæ exactissimè cohæreat. Id saltem optamus, ut desinant tandem hãc super re altercari, & operæ pariter & olei jacturam facere, atque hujus studii cultores curã parùm utili detinere. In quâ sententiã etiam Samuel Rachelius versari videtur, quando Diss. de J. N. §. 120. scribit: *Itaque frustra mihi videtur omnis illorum labor esse, qui omnia hominum officia, ad paucas quasdam universales leges revocare, iisdq; suis hypothesebus illa submittere volunt. Etsi enim non diffitear, quasdam leges naturales latius aliis patere, prout à principiis vel propius vel longius remotæ sunt; verissimum tamen est, per omnium virtutum habitus perfici animum hominis, ut voluntati divinæ suam conformet; adedq; actiones humanas plurimis legibus naturalibus partim jubentibus, partim vetantibus regi, sic ut nullum sit officium, sub necessitate obligationis præstandum, quod lex aliqua moralis complectatur.*



## CAPUT QUARTUM

De

## MORALIUM PRINCIPIORUM

SUBJECTO.

§. I.



Quandoquidē principia moralia sunt propositiones universales à rectā ratione suppeditatæ, quæ ostendunt, quid nature humanę vel conveniat vel disconveniat, hominemq; ad illud faciendum, hoc verò fugiendum, tanquam à Deo vel præceptum vel prohibitum obligant; Hinc per se constare videtur, quod hominem depolcant, in quò, tanquam in propriā sede habitent, ad quæ vicissim respiciat homo, ut inde vivendi præcepta petat & cognoscat, quæ sibi incumbant ex officio, neque permittat illorum indoles, ut quærantur alibi, quam ubi ratio viget, intra hominem verò unum & solum coarctari, & his velut limitibus circumscribi debeant, quia hunc imprimis vel unicè, agendi quādam necessitate adstringunt. Neque idoneum est ullum aliud animal præter hominem ad propositiones, imprimis universales percipiendas. De vulpe quidem traditur, quòd aquæ glaciatæ admoveat aures, & talem formet soritem: Quod crepat, movetur. Quod movetur, fixum non est. Quod fixum non est, cadit. E. submergar, si hęc ire pergam. Enim verò hominis, non vulpis sunt illa ratiocinia. Elephantum elogis variorum Scriptorum adeò laudat & commendat Justus Lipsius cent. 1. p. 50. ut *ad perfectum omnibusque numeris hominem nihil deesse putet*. In fine tamen literarum non dissimulat, *quædam esse majora vero: nec usquequaque in his talibus veteres illos Fidei litasse*, se facile credere affirmat. Qui serpentibus, formicis, apibus & cæteris animalibus, quæ sanè miris modis ostendunt, quòd ipsis propositum sit, ut se custodiant quàm in optimo sui generis statu, prudentiam tribuunt, quamvis soleant distinguere inter prudentiam animaleam seu bestialem, & humanam, non satis tamen expendere videntur, quòd rerum natura universa sibi chara sit & sui conservatrix, adeoque similem finem sibi constitutum habeat, & ab interitu & sui dissolutione abhorreat, ea verò, quæ sibi accommodata sunt, appetat, & contraria propulset. Non tamen licebit ullā brutorum animalium opera evehere adeò & celebrare, ut illis acerrimi & subtilissimi sensus, quibus plerosque homines antecedunt, sufficere nequeant. Cùm enim bruta terminis & rebus simplicibus saltem moveantur, nullas verò connexiones possint assequi, palam est, quòd

quæ ad propositiones & argumentationes formandas atque capiendas inepta sint. Quamvis multi etiam homines nexum subjecti & prædicati, & quem respectum ad se mutuo habeant, in multis propositionibus accurate apprehendere nequeant, nemo tamen adeo stupidus est, ut sententiam propositionibus comprehensam non intelligat. Sed animalia ratione carentia, si per organa sensuum impresso vocis impetu, vel alia re simplici exhibita, non permoventur, nullo sermone, qui placide acquiescit, absque motu, proponitur, flecti & percelli poterunt. Inprimis vero per naturæ suæ conditionem impediuntur, ut ex singularibus aliquid concludere, ac propositionem universalem nequeant vel effingere vel capere. Minimè omnium autem usque eo concessum illis est assurgere, ut tales propositiones, quæ non quid animalia, sed rationali naturæ per se conveniat vel disconveniat, declarant, assequi & intelligere valeant. Quandoquidem autem moralia principia, ex hujusmodi propositionibus conflata sunt, quæ quid naturæ rationali & sociali per se vel convenit vel repugnat, exponunt, manifestum est, quod ex animalibus solus homo illorum subjectum censei debeat. Aliorum argumenta videri possunt apud Conradum Horneum in Phil. Moral. Lib. IV. C. 3. Paulum Slevogtium. Pr. Dd. 1. §. 17. Sam. Pufendorff. de J.N. & Gent. L. II. c. 3. Seldanum. L. 1. c. 4 & 5. Hug. Grotium, de Jur. Bell. & Pac. L. 1. c. 1. Rachel. in Proleg. ad off. Cic.

§. 2. Neque ut extendamus moralium principiorum subjectum, illorum placita nos permovere possunt, qui vel quandam creaturarum omnium æqualitatem introducere, vel homines & bruta figurâ tantum distare corporeâ, animas autem non solum planè similes habere, sed & invicem commutare asseruerunt. Illud enim egregiè convellit Tullius. *Nihil, inquit, prohibet, quædam esse inter se animalibus reliquis, & cum bestiis homini communia, quoniam omnium est natura communis. Sed extrema illa & summa, quæ querimus, inter animalium genera distincta, & differtita sunt, & sua cuique propria, & ad id apta, quod cujusque natura desiderat. Quare cum dicimus, omnibus animalibus extremum esse secundum naturam vivere; non ita accipiendum est, quasi dicamus, unum esse omnium extremum. Sed ut omnium artium rectè dici potest commune esse, ut in aliqua scientia versetur, scientiam autem suam cujusque artis esse; sic commune animalium omnium, secundum naturam vivere, sed naturas esse diversas, ut aliud equo sit natura, aliud bovi, aliud homini, & tamen in omnibus summa communis, & quidem non solum in animalibus, sed etiam in rebus omnibus iis, quæ natura alit, auget & tuetur. Quemadmodum igitur hominis præstantiam ante cætera animalia & naturæ opera omnia, ratiocinandi & fermocinandi facultas confirmat, & tuetur: ita METAMORPHOSES & transmigrationem animarum non tantum vera Religio, sed etiam sana Philosophia jam pridem profligavit & proscrispit. Equidem reperi-*



reperiuntur ex Ebræis nonnulli, qui *μετεμψύχων* olim asserere non sunt veriti. Neque hodiè suis destituitur defensoribus: eandemque nostrâ ætate Pseudo-Messias Schabtai Zevi haud obscurè propugnavit, quando quidem suis asseclis illorum nomina imposuit, quorum animas in ipsos transiisse sibi persuaserat. Quod quidem cognovi ex Judæo admodum erudito, qui Pseudo-Messiam illum sectatus, tandem autem conversus erat, profelytus Christianus factus. De Druidibus idem refert Jul. Cæs. l. 6. Bell. Gall. De Pythagora magna fama est; idemque carniùm esum propterea interdixisse perhibetur, ne quis bubulam de aliquo proavo obsonaret. Enimverò uti Ebræis opponi possunt Ebræi, qui meliora docuerunt: ita non desunt, qui Pythagoram & alios saniores Philosophos *μετεμψύχων* illam statuisse contendunt, ad terrendos improbos, ut tam immani specie à vitis, quibus anima macula inuritur, abstrahi ad frugem redirent, vel, ut Augustinus exposuit, præclaros illos viros, non animorum in pecudum corpora migrationem docuisse, sed hoc saltem adumbrasse, quòd homines vitilis propriam quodammodò naturam exuant, & in bestias mutantur: animorum igitur transitum non in pecorum corpora significasse, sed potius in pecorum affectum. Vid. Paul. Slevogtius de Metempsychosi Judæorum.

§. 3. Cæterùm alii longè plurimi, qui vulgò bruta animalia in moralium principiorum societatem admittere putantur, verè illa potius excludunt, quamvis jactatâ autoritate & in medium allatis rationibus diversum asserere, & sibi & aliis videantur.

§. 4. Auctoritas, quæ in præsentî negotio consuevit opponi, certè tanta est, ut majorem & sublimiorem hic orbis non agnoscat. Quid enim Cæsare in terris augustius? Ita verò Imperator Justinianus victor ac triumphator semper Augustus Lib. 1. Instit. Tit. 2. *Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Nam jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quæ in cælo, quæ in terra, quæ in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus. Hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus etenim cetera animalia istius juris peritia, vel perita, censeri.* Sed quis est, qui non intelligat, augustissimo Cæsari juris naturalis definitionem æquè latè patere ac naturam ipsam, nec ad solum hominem restringere, quod inter Philosophos principia moralia, apud Imperatorem jura Gentium faciunt dilucidè, ceu diligenter observavit Ricardus Cumberland, Anglus in disquisit. Philosoph. de Legibus Naturæ. Cap. V. §. 2. *Visum est, inquit, tantæ auctoritati & auctoritatem opponere æqualem. Idem Justinianus Lib. II. de Rerum divisione singularium, hæc habet verba: Quarundam rerum dominium nanciscimur jure naturali, quod, sicut discimus, Jus Gentium appellatur. En! ut jam jus naturale idem apud ipsum significet, cum jure Gentium, cujus definitio apud ipsum cum nostra legis naturalis consen-*

consentit. Quin & ipse Cicero, qui latine loquendi gloria ne Imperatori quidem cedit, Officiorum tertio, hæc duo, velut idem significantia posuit, natura, i. e. Jure Gentium: Et legi naturali Religionis præcepta annumerat, quæ homini propria sunt, non cæteris animalibus communia. Unde Vincentius Placcius, Vir clarissimus ad h. l. scribit: Jus naturale ab Imperatore non philosophicè sed arbitrariè sumptum; Jus Gentium verò primævum & primarium, esse naturale philosophicum & propriè dictum: quod etiam rationale dici potest, ad discrimen Juris naturalis modo memorati. Vid. ejus Instit. Jur. reconcinnatas.

§. 5. Eòdem sensu, quò sanctissimus Justinianus, etiam divus Ambrosius, Episcopus Mediolanensis, accipienduserit, quando Lib. 1. de Offic. cap. 27. scribit: Omnibus animantibus innascitur primùm salutem tueri, cavere, quæ noceant, expetere, quæ profint, ut pastum, ut latibula, quibus se à periculis, ab imbribus, sole defendant, quod est prudentiæ. Succedit quoque, ut omnium genera animantium, congregabilia naturâ sint: Primo generis sui ac formæ consortibus, tum etiam cæteris: Ut videmus boves armentis, equos gregibus, maxime pares paribus delectari: Cervos quoque cervis & plerumque hominibus adjungi. Jam de procreandi studio & sobolis vel etiam generantium amore quid loquar, in quo est forma justitiæ præcipua? Certè pariter videtur in mutorum animalium genere justitiam agnoscere, sed talem, quæ omnibus innascatur, non studio & consuetudine comparetur. Nam Justitia, prout est virtus seu habitus electivus, brutis non competit: quatenus autem accipitur pro conformitate actûs cum æterna ratione legislatoris, Dei, eatenus Justitiam brutis non deesse, omnes intelligunt.

§. 6. Si qua verò superefficit difficultas aut obscuritas, affatim eam dispellit Thomas Aquinas, qui in summâ Theologiæ. 1. 2. qu. 94. Art. 2. ita disserit: Inest, inquit, inclinatio homini ad bonum secundùm naturam, in qua communicat cum omnibus substantiis, prout scilicet quelibet substantia appetit conservationem sui esse, secundùm suam naturam & secundùm hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea, per quæ vita hominis conservatur, & contrarium impeditur. Secundò inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundùm naturam, in qua communicat cum cæteris animalibus, & secundùm hoc dicitur, ea esse de lege naturali, quæ natura omnia animalia docuit: ut est commixtio maris & femine, & educatio liberorum & similia. Tertio modo inest homini inclinatio ad bonum secundùm naturam rationis, quæ est sibi propria: Sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quòd veritatem cognoscat de Deo, & ad hoc, quòd in societate vivat, & secundùm hoc ad legem naturalem pertinent ea, quæ ad hujusmodi inclinationem spectant: utpote quòd homo ignorantiam vitet: Quòd alios non offendat, cum quibus debet conversari, & cætera hujusmodi, quæ ad hoc spectant.

§. 7. Qui rationibus certare malunt, in eò præcipuum ponunt præ-

fidium, quod ad rationem juris non requiratur, ut subjectum dirigendum illud cognoscat & probet. Distinguunt enim inter regulam & regulatum, dirigens & dirigendum. Illud concedunt, ut cognoscat jus, necesse est, five ab illis, quibus latum est, intelligatur, five minus. Quantumvis animalia bruta ratione destituantur, ut nesciant intelligere, quid principia moralia prohibeant vel præcipiant, id tamen nil impedire, quò minus juris vinculo adstringantur. Siquidem in promptu est distinctio inter actus justii quidditatem & libertatem. Rationis electio non requiri dicitur ad hoc, ut actus sit justus, sed ut sit liber. In genere enim illud appellari legem vel jus, quod legislatori placet, idque nostro concipiendi modo prius esse, quam dirigit subjectos, neque tum demum incipere jus esse, cum incipit intelligi vel eligi à parente. Enimverò satis manifestum est, quod Juris vocabulum in tanta capiatur amplitudine, ut quarumlibet rerum naturalium inclinatio & directio in fines ipsi convenientes sub eo comprehendi queat. Uti verò ipsarum rerum naturalium longè diversissima indoles; ita divinâ providentiâ constitutum est, ut quælibet ad finem suum pertingant eò modò, qui cujuscunq; naturæ maximè opportunus & idoneus est. Benè Vir optimus & Mathematicæ Philosophiæ instaurator egregius, Joh. Chr. Sturmus in Physica Conciliatrice Cap. 1. §. 8. & 9. *Tota natura, quicquid agit, ob certos fines agit, sed ignotos sibi, non aliter ac Horologium ob finem ab Opifice propositum, sibi verò nullò modò cognitum. Solus homo ex ordine naturalium agentium suarum actionum finem propriè loquendo cognoscit, propter mentem corpori unitam: In cæteris merè corporeis & materialibus cognitio propriè dicta, consilium, deliberatio, &c. locum non inveniunt; argumento Deitatis, in fines innumeros, innumera ista fabricantis ac dirigentis evidentissimo.* Quemadmodum igitur ad præstantiam & nobilitatem hominis pertinet, ut finem suum cognoscat, & per evidenter nota principia in eum dirigatur: Ita jus suum, quò adstringi debet, intelligat necesse est, nisi velimus ei suam prærogativam adimere, atque in illud rerum consortium, animalium nobilissimum deprimere, quod nulla interveniente aut præviâ cognitione, in fines suos deducitur. Isti verò vocabulorum extensioni & dilatationi atque hinc exortæ ambiguitati, ut ansam præcideremus, & unâ parum profuturas contentiones evitare doceremus, *moralium principiorum terminos adhibere maluimus.* Cum enim ex communi omnium sensu, propositiones universales sint principia moralia, brutis animantibus competere non possunt. Eòdem argumentò usus est Cumberlandus: *Ratio, inquit, quæ me impellit, ut leges naturæ homini tanquam proprias esse dixerim, hæc est, quoniam sunt propositiones de effectibus ab actionum causalitate pendentibus, seu decreta judicii terminos componentis aut dividendis, quarum summa auctoritas pendet ex eo, quòd à Deo sciuntur proficisci.*

*Nihil autem reperio, quòd arguat, bruta animalia propositiones facere, ejusmodi præcipue, multò minus scire possunt, eas à Deo sibi impressas, ac ad illas, tanquam normas, actiones suas exigere. Quamvis enim nonnulli sint, qui in brutis notitias quasdam implantatas se reperire putant, quibus in fines suos dirigantur, non tamen fateri dubitant, bruta saltem cognoscere ea, quæ ad finem sunt & faciunt, sed quòd ad finem sint, non cognoscere; Hominem verò finem præcognoscere sub ratione finis, & media per electionem ad finem ordinata. Unde Rada laudatur, quando inquit: *Inclinationes Naturales omnium nihil de fine percipiunt, & bruta quoque ordinem mediorum ad finem atque adeò rationem formalem finis prorsus ignorant. At judicium rationis dicitur & præscribit modum ad finem aliquem.* Sed id asserere, reapse nihil aliud est, quàm confirmare, quòd non in bruta, sed in solum hominem cadant hujusmodi propositiones, quibus moralia principia continentur. Unde Britannorum doctissimus, Janus Seldenus, non potest dissimulare, quòd de vocabulis disceptetur. Ita enim ille: *Eam (juris communionem cum brutis) non modò admittunt, sed etiam variè tueri nituntur Jurisconsulti non pauci, ut & Theologi; Sed distinctionibus adhibitis, quæ ad homonymiam manifestam planè rem abigunt.* Et post pauca idem Seldenus scribit: *Sic capiendum est illud D. Hieronymi de bestiis prægnantibus, quæ ad partum usque, ipsò nature jure, non coeunt. Jus illud non aliusmodi est, quàm aut quòd gramina & frontes depascunt ipsæ, aut ab herbis nocivis abstinere. Nec cum jure, quòd obligat, aut permittit, citra homonymiam, quid habet commune. Quæ sunt reliquæ id genus, non aliter intelligenda.* Quid ergò est, quamobrem adeò cunctatur? cur tam difficilem se præbet Seldenus? Qui jam tùm tamen omnia largitus est. Cùm enim lex æterna in mente legislatoris Dei regat universa creata, etiam inanimata, ideò nulla est dubitatio reliqua, quin non solum bestiarum, sed etiam plantarum in hujus Juris participationem admittendæ sint. Id quod etiam Seldenus agnoscit, concedendum esse. *Quod, inquit, vocat ille legem avibus notam & jura earum hospitalia, haud aliud omnino indicare potest, præter certas illas & notissimas animalium illorum aliorumque, brutorum propensiones atque actus nature plerumque constantes, quæ per homonymiam & propter similitudinem quandam jura quidem interdum nominantur ac leges, nec tamen reverà sunt magis atque arborum & fruticum, aliorumque corporum naturalium actiones ac motus naturales.* Et capite antecedenti Ebræorum disciplinam exponens scribit: *At verò usus seu aliorum animalium ratio ab Ebræis nulla est omnino hinc habita, nec jus esse aliquod hominum ac brutorum commune, seu utrisque naturale, nullatenus agnoscunt. Neque ex jure aliquo (quod totum rectè versari volunt circa licitum atque illicitum) sed è propensione ac inclinatione tantum animalium ceterorum actus evenire. Vid. J.N. & G.L. I. cap. 4. & 5.* Quibus facillè subscribunt, qui brutis animalibus jura*

cum hominibus communia faciunt, nisi quod proprie dici existiment, quod Seldenus per similitudinem fieri asseverat, & quod inclinatio & pro- pensio in brutorum genere dicitur, juris vocabulo, in ampliori sensu ac- cepto, alii exprimere satagunt. Ut adeò res iterum unicè ad formulas redeat, in quas frustra quenquam cogere allaboramus, si usus abnuat & re- clamet, quippe quem penes arbitrium est & jus & norma loquendi,

§. 8. Alii fundamentum Disputationis collocant in natura obliga- tionis, quam in bestias propriè ac formaliter cadere contendunt, quia bru- ta animalia tenentur ad suæ speciei conservationem, ad prolis sustentatio- nem & defensionem. Enimverò quod hi obligationem vocant, alii natu- ralem instinctum appellant, & de abusu vocis conqueruntur. Obligatio- nis enim eam esse naturam, ut tendat vel ad actus honestos vel turpes, ita quidem, ut si illos præstemus, hos verò omittamus, animi tranquillitas, secus autem agentes, anxietas sequatur. In bruta verò neque actus ho- nestos neque turpes cadere, eaque nec animi tranquillitatem affectare, nec anxietatem metuere. Quæcunque verò ex necessitate quâdam agere videntur, ad ea vel naturæ propensione, vel utilitate, delectatione & ju- cunditate, nullâ juris religione, aut honestatis obligatione bruta impelli. neque hæc diffidentur, qui brutis obligationem vindicare student, sed suâ ratione constare ostendunt, quia nimirum natura actus brutorum tantum ad corporis bonum dirigit, non ad bonum animæ intellectualis & æternæ. Urges verò ex contrario: Quicquid hujus humano juri aliquâ parte ana- logum in brutis deprehenditur, ex inclinatione merè naturali & necessa- rio esse, non ex cognitione objecti, tanquam boni & honesti, unde nasci- tur obligatio, & citra culpam & peccatum prætermitti non potest. Qualis cognitio rectrix est, & norma aliarum actionum, & proinde lex: At in- clinatio non regit, sed solummodò aliundè regitur. vid. G. Calixt. Epit. Theolog. Moral. p. 48. Ubi quidem nonnulli circa formulas difficiliore sunt, & brutis non obligationem, sed inclinationem saltem tribuunt. In illis est Clarissimus JCTUS, Joh. Strauchjus, qui Dissert. 1. ad Univ. Jus Just. §. 4. scribit: *Hoc est Jus illud commune, quod omnium in genere animalium actus propriè regit, etiam Brutorum, non tantum negativè, quatenus in actibus eorum nihil turpe est: Sed etiam directivè, ut principium directivum. Lex enim æterna in mente Legislatoris DEI est principium activum, dirigens brutorum equè atque rationalium actus, non tamen eòdem utrosque modò. Brutorum qui- dem per modum inclinationis naturalis, impositâ necessitate parendi. citra cog- nitionem & judicium, ad conservationem specierum, tanquam societatis, & quasi in respectu ad alterum, præcipuè autem ad finem ultimum, qui est Creatoris gloria. Rationalium verò per modum obligationis, salva subjeçti dirigendi libertate ob- sequendi. Unum igitur idemq; jus naturale & ratione carentes & rationis po- tentes*

tenes regit, sed modo regendi diverso. Non minus tamen etiam illis, qui obligationem brutis tribuunt, in promptu est responsio. Nam obligationem contendunt esse necessitatem agendi ad voluntatem alterius vel latoris vel paciscentis: Modum verò agendi esse duplicem, unum liberum naturaliter & indifferentem, & solum moraliter necessarium, ita tamen ut etiam aliter possim agere, quanquam hoc deinde est peccare: Alterum esse necessarium naturaliter, ut possit agens non aliter agere: Non illum, sed hunc bestiis convenire, ac propterea formaliter & propriè in bruta cadere jus & obligationem. Esse enim obligationes & jus commune ad ipse, quod inæqualiter & secundum magis & minus prædicatur: Magis & perfectè attribuitur jus & obligatio agenti ex consensu atque indifferentiâ voluntatis, & cum peccandi facultate; Minus & imperfectè agenti ex necessitate naturali tantum, & incapaci indifferentiâ voluntatis. Communium ad ipse ea verò natura est, ut licet uni competant in gradu excellenti & primario, alteri secundario & in gradu inferiori, utrique tamen intrinsicè, atque sic formaliter & propriè. vid. Joh. Schilt. Manud. Ph. Mor. Cap. 9. Ex quibus clarissimè apparet, ab alterâ parte adeò ampliari obligationem, ut naturalem agendi necessitatem includat; Ab alterâ parte ita coarctari, ut solum moralem, non naturalem agendi necessitatem significet. Aut igitur amicè conspirant, aut facili negotio conciliari possunt sententiâ, quæ dissidere visæ fuerunt. Certè amplius obscurum esse nequit, utrum tam manifestus sit error Ulpiani, in communionem juris naturalis bruta admittentis, ut in tantâ veritatis luce pudere illos debeat, qui ejus patrocinium adfectant, aut dum id defendunt, non aliò eventu, quam ut ex bestiis homines, vel ex hominibus bestias, in grande Creatoris opprobrium faciant. Nos exiguæ operæ immensum pretium fecisse putabimus, si, quod Schilterum etiam juris consultissimum exoptare meminimus, id assecuti fuerimus, ne juvenus legum cupida, frustra deinceps in his tricis morari habeat.

§. 9. Aliud enim ex alio in lubrica hæc materia occurrit. Utrum bruta animantia poenarum capacia sint, nescio, an non inæqualibus armis in utramque partem pugnetur? Qui juris naturalis communionem bruta comprehendunt, uti obligationis, ita etiam poenarum & delictorum capacia esse affirmant, contendentes, quod à Naturæ auctore DEO non magis homines ad ea, quæ naturæ rationali competunt, quam bruta animantia ad illa, quæ naturæ animali conveniunt, validè adstringantur, homines autem per rationis rectæ dictamina; Bruta verò animantia per inclinationes & dispositiones naturales, quas, sive naturalem impetum, sive notitias naturales & sensuales interpretabimur, modus tamen illorum naturæ congruus relinquendus est, Jam verò peccare nihil aliud est, quam

quàm naturæ suæ lineas transire, præter vel contra naturam suam agere. Quotiescunque igitur bruta animantia recedunt à naturæ animalis modò & mensurâ, peccare existimantur & propter culpam, pœnæ obnoxia fieri. Licet secundùm naturam ex necessitate ita eveniat, ut per inclinationes & propensiones in fines suos bruta dirigantur, multa tamen præter naturam contingunt, atque aliter fiunt, ac eorum natura requirit, adeoque præter naturalem inclinationem. Certè Johannes Sperlingius non dubitat in rebus naturalibus errores & peccata admittere. Ita enim scribit Infit. Lib. I. cap. 4. *Quæst. 5. Monstrum accuratè loquendo non est natura ignota, seu opus, sed πείσμα, sive defectus & peccatum, quod à nonnullis rebus per accidens committitur.* Cap. IX. ad præc. I. *Omnia in univèrsum monstra à causis oriuntur deficientibus, aberrantibus, peccantibus. Datò enim effectu cum defectu, etiã causa non tam efficiens, quàm deficiens querenda, ponenda.* ad Præcept. III. laudat verba seqq. D. Polycarpi Lyseri super Cap. XXXVI. Genes. *Tradunt Hebræi, illum Ana fuisse manzer sive spurium, ex illicito & incestuoso coitu natum. Nimirum fuisse filium fratris sui Sebeonis, qui dormiens cum matre hunc genuerit filium simul & fratrem. Ut igitur ipse natu illegitimus fuit, ita conatus est in natura producere animal, præter naturam ex commissione equi cum asina, cujus occasionem habuerit in deserto pascens asinos sui Patris.* Quæst. XIII. de causis monstrorum disquirens, inter eas refert, si non legitimè misceatur semen, sic, inquit, *fiunt muli, aliq̃, effectus DEO & Naturæ abominabiles.* Disertè quoque naturalia peccata statuit Jo. Himmelius: *Quia, inquit, alia est norma actuum naturalium, alia artificialium, alia moralium; hinc triplex aberratio à norma, vel triplex peccatum vulgò constituitur: Naturale, Artificiale, & Morale, seu Theologicum.* Vid. Synt. Theolog. Disp. IIX. §. 31.

§. 10. Ubi tamen diligenter observandum, quòd naturâ longè diversissima sint peccata brutorum & hominum. Equidem conveniunt in eo, quòd brutum pariter ac homo sine suo excidant, quando peccare dicuntur. Enimverò uti tum demum laudabiliter atque secundùm naturam egisse homo putatur, quando sciens ac volens egit; ita etiã peccasse, præter aut contra naturam fecisse putatur, ubi præviâ scientiâ, & cum proposito ad agendum sese determinaverit. Contra verò brutum neque tum, quando secundùm naturam agit, sciens agit: Neque tum, quando sine suo excidit, præter vel contra naturam agit, cum deliberatione adeoque ex scientiâ propriè sic dicta, egisse judicatur. Nihilominus tamen verè naturæ suæ limites transilire, & si aliorum formulas sequi licet, peccare, idque quod DEO & naturæ abominabile est, efficere putatur, *Quamvis non dissimulemus, quòd Auctores hic mirificè dissideant, siquidem*

dem non desunt, qui utut concedant, legi DEI æternæ omnes res creatas subesse, atque per eandem in suos fines, maximè ultimum, naturæ cujusq; ac DEI bonitati convenientes, dirigi; id tamen contendunt, quòd rationem præcepti propriè non habeat, nisi in iis, qui ratione præditi, libero voluntatis arbitrio actiones producunt. Rachelius in *Introduct. in Phil. Mor. Arist. cap. 1.* Unde fit, ut brutis animantibus nullus mos, nulla lex, nullum jus relinquatur, quò aut inter se aut adversus homines debeant uti. Vid. *Clariss. Puffend. Lib. II. cap. 1. §. 4. de J. N. & G.* Quod si verò nihilominus obstinatè quis urgeret, brutorum errores & peccata; id tamen concedere tenetur, quòd illorum ratio ab hominum peccatis totò genere sit diversa, ut adeò non sit difficile, conciliationis modum reperire.

§. 11. Non tamen inficias eunt alij, brutorum delicta non satis manifestari hominibus, neque in illis vindicandis iudicii formam observari, subjacere verò nihilo secius hominum animadversioni, cum primis, quando singulari vitio se contaminant, noxam inferunt, & humanam societatem perturbant. Quæ probari putant legibus Mosaicis, quoniam *Exod. XXI. v. 28.* Bos cornupeta, qui hominem occiderit, lapidari, & *Ley. XX. v. 15.* jumentum, qui cum homo cubuerit, occidi jubetur. Contrà verò, qui juris naturalis societate bestias excludunt, insimul negant eas propriè ac formaliter peccare & puniri, quoniam *ἀντὶ ἀνομιῶν*, vel absque liberâ arbitrii determinatione agunt, ipsòque moralium actionum principiò planè destituuntur. Neque lege Mosaicâ brutis pœnam præscribi, bovem enim cornupetam juberi lapidandum, non quia peccavit, sed ut constaret, non levè peccatum esse homicidium, quoniam sanguis humanus à bruto repetitur, quod se facturum dixerat Dominus *Gen. IX. v. 5.* Jumentum verò, qui cum homo consueffet, occidi jussum in detestationem criminis & abolendam omnem memoriam rei tam nefandæ. Huc pertinet, quod observavit *J. A. Osiander ad Lev. XX. 15.* *Quid? an ideò dicamus, pœnam propriè dictam in bruta animalia cadere? neptiquam! itaque si bos cornupeta cum Domino morte multatur, non punitur, ut auctor, sed ut admissi criminis instrumentum; quemadmodum falsarius suspenditur cum calamo & adulterinis sigillis, & veneficus cum magicis libris & characteribus exuritur; præterea hoc ad exemplum pertinet, non quidem aliis bestiis, sed hominibus, quorum est, apud se perpendere, si ne bestia quidem parcatur, in quam non cadit peccatum, quid futurum sit de homine, qui contra legem DEI cognitam & naturæ ipsius impressionem peccaverit. Ceterùm exemplarem hanc pœnam docuit & Plato l. 9. de legibus: idem, canes olim Romæ, eò quòd Gallos Capitolium ascendentes latratu non prodidissent, ac si illorum factum ad perfidiam & proditionem pertineret, punisos, scribit. l. 2. c. 3. & 4. habetque hoc insuper, canes eadè de causâ*



de causâ supplicia annua pendere, & inter eadem Juventutis & Summiani, vivos in furca sambucea affigi arbori: Quid, quod Athenis, lapidem, ligna, ferrum, quod delapsa hominem occidissent, exterminata esse refert Æschines contra Ctesiphontem. Similia d. l. commemorat Joannes Seldenus, ut ostendat, ex eo, quod bruta nonnunquam cum hominibus eadem patiuntur, inferri non posse, quod juxta cum hominibus etiam propriè puniantur: Nam, inquit, & scimus ex Atheniensium legibus, lapidem, lignum, securem, id genus res alias, quoties homicidii instrumenta fuere, in Prytaneo in judicium deductas velut in pœnam, quam tamen eas propriè pati nemo sanus dixerit. Et Theagontis statua, ex sententia Thasiarum Draconis lege subnixâ, in mare ob eadem casu suo patratam est projecta. Non in statuae pœnam, sed homicidii odio, Ita etiam maledicta est terra, sed propter te, tui causa, seu propter hominis tantùm peccatum. In hunc censum etiam refert, quod de annuo canum apud Romanos supplicio memoriæ proditum est, quando ita differit: supplicium planè non erat propriè dictum, nec enim jus aliquod omninò aut violârunt Canes aut violare quiverant. Sed tum anseribus honos eodem tempore est habitus (ut & Pheidole equa ob victoriam singularem imagine ex Eleorum sententia donata est) tùm canes sic suppliciiis impropiè dictis affecti sunt, ut tùm diligentioris custodie ac beneficiorum erga Remp. præmia, tùm rerum socordiis gestarum pœna, velut in schemate quòdam seu apologo, quot annis civibus ostentarentur.

§. 12. Quanquam nos haud dubitemus contendere, quòd lege Moisaicâ & pœna saltem hominis, & detestatio atque abolitio memoriæ criminis significetur; id tamen ex utriusque sententiæ comparatione apparet, ab altera parte peccati pœnæque capacitatem ad solam naturam rationalem restringi, ab altera verò extendi ad animalem. Qualescunque verò rationes tandem huic disputationi subsint, illud profectò inde manifestum fit, quod illi, qui, ut evincant, bruta juris naturalis esse capacia, coguntur asserere, peccata & pœnas non tantùm in rationalem, sed etiam in animalem naturam cadere, affatim demonstrant, in moralium principiorum communionem mutas animantes non esse admittendas. Etenim animalis natura, ad propositiones de rebus, quæ naturæ rationali per se conveniunt, formandas inepta est, sine quibus tamen moralia principia nequeunt intelligi.

§. 13. An in bruta cadat injuria? Quæstio est huic materiæ valdè implicita. Ulpianus ait, bruta non posse dici injuriam fecisse, quòd sensu, hoc est, ratione careant. Quem tamen obelo perfodit Rachelius præfat. Comm. in Off. Cic. quod jus naturale brutis & hominibus vult esse commune, quasi minus requiratur ratio ad participationem juris quàm injuriæ. Quòd verò sensu ad juris participationem ratio non requiri putetur, supra expositum

situm est. Quod autem injuria intra tam arctos cancellos redigatur ab  
 Ulpiano, ut rationem necessario involvat, nihil insolitum est, sed passim  
 affirmari solet, quoniam injuria ex proteresi seu ex malevolò animo per-  
 versaque voluntate alteri nocendi profecta intelligitur. Describitur  
 enim injuria læsio, quam volens invito contra jus infert. Cujus saltem  
 genus, non forma seu differentia bruto convenit. Nec est inter hominem  
 & brutum jus particulare seu equalitas. Latius tamen paulisper exten-  
 so vocabulo, injuriam à brutis inferri ex electione de pauperie confirmari  
 creditur. Dico, latius extenso vocabulo: Etenim pauperies disertè vo-  
 catur damnum sine injuria facientis datum. Hinc videas à nonnullis  
 distinctionis temperamentum abhiberi statuique, quod injuria duplici-  
 ter accipiatur, vel in sensu privativo de eo subjecto, quod ex electione jus  
 suum alteri detrahit: Sic injuria de bruto negatur, quod ex proteresi  
 non faciat injuriam, sed pauperiem: vel in sensu negativo de eo subjecto,  
 quod naturaliter per naturam ab injuria abstinet; sic brutum non potest  
 injuriam facere, quia necessario juri caret. Enimvero hæc distinctio  
 non prohibet, quò minus absolute brutis injuriam fieri posse, magis in  
 propatulo esse, multi arbitrantur. Equidem in bruta animalia Optimi  
 Numinis benignissimâ concessione dominium obtinent homines, ut illis  
 ad sublevandas vitæ necessitates, opportunitates & jucunditates uti pos-  
 sint. Incumbit tamen naturæ rationali, humanitatis non oblivisci, at-  
 que ita cum brutis vivis & mortuis agere, ut ad illos saltem usus adhibe-  
 antur, quibus quælibet per naturam suam destinata sunt, & ne quidquam  
 contra cujuscunque indolem committatur. Secus quæ agunt, & pro li-  
 bidine animi impotentis in bestias læviunt, illisve petulanter abutuntur,  
 sine causa cædendo & occidendo, ultra vires onerando, mutilando te-  
 merè aut ab educatione fœtus prohibendo, annon injuriâ bruta ani-  
 mantia afficiant, illi dispiciant, qui ex Paulo Rom VIII. v. 22. ob istum  
 abusum naturam in ipsis gemere, & liberationem à tali servitio, tan-  
 quam inter anxietates suas suspirare contendunt. Cæterum non est  
 ignotum, quò sensu ab aliis verba Pauli accipiantur. Aegid. Hun. ita  
 scribit ad h. l. *Non copitandum, creaturas inanimatas sensum aliquem, volun-  
 tatem, rationem, affectum vel desiderium quoddam habere. Sed sunt hæc verba  
 Apostoli figurata per Profopopœiam, quæ Spiritus S. declarat, ipsasmet creatu-  
 ras inanimatas, si sensu aliquo præditæ forent, suæque vanitatis sortem intelli-  
 gerent, summo desiderio expetituræ esse tempus illud, quò filii DEI sunt mani-  
 festandi, ut ipse quoque non amplius abusui impiorum cogereentur esse subjectæ.*  
 Post pauca: per Profopopœiam declarat, illas, contra suam naturam, inservire  
 impiis, qui rebus conditis ad peccata abutuntur, contra pios; & creaturis hæc ipsâ  
 ratione

ratione quandam quasi vim & injuriam fieri, dum præter suam naturam præva-  
 voluntati impiorum subservire coguntur. Licet verò omnis injuriæ capa-  
 citas, quocunque modo brutis denegetur, quòd ratione careant, non  
 tamen hoc sufficere putatur, ut à juris naturalis participatione bruta  
 removeri queant, quoniam constat, modum & medium, quò jus natu-  
 rale homines & bruta obligat & dirigit, diversum esse: altero bruta de-  
 stitui, non utroque. Ne verò quis ex communione juris naturalis æquiva-  
 lem societatis communionem inferat, solent distinguere inter commu-  
 nationem civilem, qualis est inter homines solos ex ratione institutoque  
 civili; & naturalem, hujus inter universa est animantia, quatenus sunt  
 membra hujus orbis. Huc trahunt verba Senecæ: *Omne, quòd videt,  
 vivum est; membra sunt corporis magni.* Quorsum pertinere putant, quòd  
 omnes bestie usum & utilitatem hominum promoveant, id verò extra  
 communioneis quandam rationem fieri non posse. Verum enim verò  
 quomòdocunque de iure de brutorum jure naturali disceptetur, in eò  
 tamen facile plerique omnes nobis assentientur, quòd moralium  
 principiorum haud quicquam bestie, sed soli homines  
 capaces debeant existimari.



CAPUT

# CAPUT QUINTUM

De

## MORALIUM PRINCIPIORUM ORIGINE AC FUNDAMENTO.

§. 1.



Um Principiorum moralium auxillio ad naturæ suæ per-  
fectionem ac felicitatem homo pervenire, quæ ipsi con-  
veniunt, facere; quæ disconveniunt, intermittere de-  
beat; utique verò consentaneum est, ab ipsâ naturâ ejus-  
demque Auctore DEO certum, constans & liquidum  
γνώρισμα, & fundamentum nobis concessum esse, cujus  
ope in moralium principiorum cognitionem accuratam pertingere va-  
leamus. Unde Conringius ὁ πᾶν, Aristotelem, aliàs accuratissimi judicii  
Philosophum, reprehendit, quòd ad ratiocinationum suarum in morali  
Philosophiâ imbecillitatem excusandam obtendat τὴν ἄλλαν ὑποκειμένην, quæ  
non sit constans & stabilis, sed insigni laboreτ διαφορὰ καὶ ὁλάν. *Quantum*  
*vis ex parte id admittendum sit: simpliciter tamen affirmari nequit. Nec*  
*enim reverà est tanta illa διαφορὰ ὅσῃ ὁλάν, quantum causatur Aristoteles,*  
*modò fundamenta morum scientiæ bene jacta fuerint. Eoque ὁ ἀνεξέλεστον ἀπο-*  
*δεικτικὴν sic satis insignem in morali Philosophiâ licet deprehendere: quomòdi*  
*propter amplitudinem materiæ circumstantiis variæ, non facîle adeò, ac in Ma-*  
*thematicis, canones vitæ possint condi, nullâ exceptione languidi, aut qui omnia*  
*comprehendant. Male sanè fuerit nobis à naturâ consultum, si eà, quæ ad feli-*  
*citatem vitæ attinent, accuratè sciri nequeant. Id profiteri, est incusare sapien-*  
*tiam ipsiusmet naturæ Creatoris. Vid. Epist. ad CL. Virum Sam. Rachelium*  
*veterum Scholiastarum Græcorum Codici præfixam.*

§. 2. Enimverò adeò fautricem naturam homo expertus est, ut  
non necesse habeat, aliunde, aut è longinquo præcepto & modum ratio-  
nemque vivendi capere, cum sui accurata contemplatio & genuina re-  
rum æstimatio satis abundeque significare possit, quid rectum & bonum,  
malum & turpe, quòd illud sectari & actionibus suis exprimere, hoc verò  
fugere & averfari debeat. *Vixerat Manius Curtius cum P. Decio, qui quin-*  
*quennio ante eum COSS. se pro Repub. quarto consulatu devoverat. Norat eun-*  
*dem Fabritius, norat Coruncanis, qui tum ex sua vitâ, tum ex ejus, quem dico, P.*  
*Decii factò, judicabant esse profectò aliquid naturâ pulchrum, atque prelarum,*  
*quòd sua sponte peteretur, quòdquæ, spreta ὁ contemptâ voluptate optimis quisque*

X 2

sequens

sequeretur. Cic. in Cat. Maj. Proinde inter præcipuas hominis curas referendum est, ut seipsum cognoscatur, & id propter bene dictum sit:

— — E cælo descendit *πρόσειαυτόν*.  
Nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quò monet, ut se quisque noscat; non enim, credo, id præcipit, ut membra nostra, aut staturam figuramque noscamus: nequè nos corpora sanas: neque ego tibi dicam, hoc, corpori tuo dico: cum igitur, noscite te, dicit, hoc dicit, nosse animam tantum: nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum; ab animo tuo quidquid agitur, id agitur à te. Hunc igitur nosse, nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi præceptum, sic ut tributum DEO sit, hoc est, seipsum posse cognoscere. Cic. l. 1. Tusc. Qq.

§. 3. Est autem talis naturæ nostræ conditio, ut ea omnia, quæ illi conveniunt, eam quoque perficiant, quæ disconveniunt, affligant & miserè perdant. Ita verò comparatum est, ut in illis, quæ nos perficiunt, nostram felicitatem collocemus, & ita sentiamus, ut illud unicè prosequamur: quicquid verò nostram felicitatem perturbat, & nos ipsos affligit atque corrumpit, fugiamus, & tanquam cane & angue pejus detestemur. *Præsertim poterit à se quisque discedere, quam appetitum earum rerum, quæ sibi conducunt, amittere.* Cic. l. 5. de fin. Ex quo fit, ut ipsa nostra natura nos obliget, ad ea faciendâ, quæ illam perficiunt, fugienda verò, quæ turbant eandem & corrumpunt: non secus, atque sanitas conservanda vel recuperanda nobis necessitatem imponit, ut ea fugiamus, quæ noxam afferunt; amplectamur verò, quæ nobis potissimum conducunt, planè ad eum modum, quò in universum omnis finis necessariò requirit, ut media, quæ ad eum obtinendum ordinata sunt, applicemus vel adhibeamus.

§. 4. Juvat igitur, imò magnoperè interest, ut naturam humanam diligenter scrutemur, accurateque cognoscamus, ne admisso errore, in absurdas & ineptas cogitationes prolabamur. Fieri enim non potest, ut illi, qui corpus humanum pro ergastulo tantum aut carcere animæ, quæ extra corpus peccavisset, habuerunt; qui corpus idem, semel in cineres redactum, penitus perire ac desinere statuerunt; qui animam ex atomis corpusculis constitam cum corpore expirare asseruerunt; qui omnia impune & gratis agi, Numenque nullam humanarum rerum curam gerere comenti sunt, non multis modis impingant, & ab honestis moribus alièna doceant. Illi profectò, cui mors summum & omnium terribilissimum malum habetur, ne mortis quidem periculo ab honesti studio deterreri, non generosa & vera virtus, hominisque perfectio, sed pertinax stultitia, quæ hominem reddat miserum, & in summam perniciem detrudat, judicabitur. Quamobrem, licet Aristoteles moralis Philosophiæ dogmaticus quidem Magister fortè Princeps, in primis certè unus celebretur, quoniam tamen,

tamen, nec divinam providentiam humanarum rerum, inferiorum certe ac singularium quarumvis, uti plerisque videtur interpretibus, nec animæ conjunctæ, quam appellant, immortalitatem, multo minus, vel de functi corporis cum anima reduntionem, vel divinum humani generis judicium, vel salutem pœnamque aliquam æternam, miser agnovit; hinc morali doctrinæ passim demonstrationum vim haud addidisse putatur, ad stipulante Conringio, l. c. Nec dubitat Rachelius, quin multo firmiores atque evidentiores in Ethicis demonstrationes haberemus, si Aristoteles humanæ naturæ indolem rectius scrutatus, & de genuinis principiis omnino certus fuisset. Vid. Introd. in Phil. Mor. Arist. c. 8.

§. 5. Initiò autem interest, ut homo suam præstantiam, & quidei consentaneum sit, intelligat, finemque suum semper ob oculos positum habeat, quò ab illis, qui pecudum ritu, ad voluptatem omnia referunt, longè dissentiat. *Nihil enim altum, nihil magnificum nec divinum suscipere possunt, qui omnes suas cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, tamq̃ contemptam.* Cic. in Lælio. Et. 1. off. *Semper in promptu habere attinet, quantum natura hominis pecudibus, reliquisq̃ bestiis antecedit. Ille enim nihil sentiunt, nisi voluptatem ad eamq̃ feruntur omni impetu? Hominis autem mens discendo aliter, & cogitando semper aliquid aut inquit, aut agit: Videndiq̃, & audiendiq̃ delectatione capitur.*

§. 6. Eminent homo potissimum animâ rationali, divinæ auræ particula, quæ duabus præstantissimis dotibus, facultate intelligendi & facultate volendi eum in finem exornata est, ut, quid naturæ cujusvis excellentiæ conveniat & disconveniat, indagare ac cernere; in id, quod ipsi consentaneum, ferri & inclinari; ab eo verò, quod repugnans & adversam, se avellere & abripere possit. Non malè hanc in rem disserit G. Calixtus in Theol. Moral. de Legibus: *Alia, inquit, objecta humana, id est, intelligenti & libera natura conveniunt, alia non conveniunt: Ita convenit DEUS cognoscibilis, adorabilis & amabilis, sive quatenus cognosci, adorari & amari potest; non convenit mulier aliena vel res aliena, quatenus sive hujus sive illius usura capi potest. Brutam quidem naturam non dedecet promiscuè commisceri vel ex raptò vivere, quoniam bruta est, & sine ductu rationis cæco impetu & appetitu fertur: at humanam dedecet, quoniam intellectu & libertate præditâ, appetitum mentis judicio & imperio regere & moderari nata est. Propria itaque ratio nonnullorum objectorum discrepat ab excellentia rationalis naturæ, quum non discrepet à vilitate irrationalis.*

§. 7. Licet nobilissimæ dotes sint, quibus homo exornatus est; sentimus tamen & experimentis discimus, quòd, nisi disciplina & studium accedat, perniciosissima malitiæ instrumenta existant in proprium exitium erupturæ. Verissimè Majoragius or. 14. *Ut homo, si omnibus suis*

partibus & numeris perfectus absolutusque sit, multo ceteris animantibus antecellit: ita si Leges & iustitiam deserat, nulla ferarum fraus est tanta, nulla malitia, que possit cum eius malitia contendere. Cum enim iniustitia armis instructa maxime sit horribilis, hominique à natura quasi arma quedam data sint prudentie ac virtutis, quibus in contrarias partes plurimam uti possit; nihil eò, si virtute careat, sceleratius esse potest, nihil immanius, nihil denique ad libidinem & intemperantiam abjectius. Eundem in sensum differit JCrus, ætatis nostræ facile Princeps, Caspar Zieglerus: *Uniuscujusque rei; etiam que omni sensu destituitur, hæc est indoles, ut perfectionem suam cupiat, & in eam sponte feratur.* Quod etiam Cicero affirmat: ut, inquit, jam liceat unâ comprehensione omnia complecti, non dubitemque dicere, omnem naturam esse conservatricem sui, idque habere propositum, quasi finem & extremum, se ut custodiat quam in optimo sui generis statu. Vid. l. 5. de fin. Ita verò Zieglerus pergit: *Nec aliud hominis est ingenium, nisi quod malitia obsessum ita sæpiuscule sit, ut quod è res sua fuerit, non tantum non querat, sed respuat omnino, & in perniciem suam facili decursu & præcipiti impetu ruat.* Atque in hoc scilicet reliquis creaturis omnibus inferior est homo, quòd à primæ vâ suâ rectitudine in tantum desciverit, ut in eam restitui suis viribus nullò modò possit. in lit. ad Val. Albert. Hanc naturæ perversitatem è lumine naturæ etiam Gentiles cognoverunt, licet initia & causas ignoraverint. Videatur meritis & canitie venerabilis A. Calovius in Exeg. A. C. Art. 2. c. 3.

§. 8. Hominem verò ita obbrutescere, ac in suam pariter & alienam perniciem efferari, tantò magis & calamitosum & ab hominis naturâ alienum est, quoniam, que in terris gignuntur, ad usum hominum omnium creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent, & res ipsa loquitur, & Cicero agnovit. 1. offic. Quod si enim conditionem atque indolem mortalium rimamur penitius, mox advertimus, quòd homo suæ conservationis studiosissimum animal sit, ex se admodum imbecille atque egenum, adeò, ut sine sui similibus ope ac subsidio sibi satis prospicere nequeat, ad mutua tamen commoda promovenda maxime idoneum, facile verò irritabile, petulans etiam atque ad noxam inferendam non minus proclive, quam validum. Hujusmodi animalis commoda rectius promoveri non possunt, quam si idem cum sui similibus jungatur in unam societatem, & erga singulos ita se gerat, ut ne quisquam ad lædendum irritetur, sed singulorum benevolentia concilietur, ut communia commoda servare & augere studeant. Vid. Pufend. de J. N. & G. L. 2. c. 1. & 3. Unde etiam naturali quâdam applicatione animi ad societatem homo inclinatur, ut solitudo molesta sit etiam in omnium rerum abundantia. Vid. Cic. in Lælio & 3. Off.

§. 9. Unde

§. 9. Unde evidentissimè patet, hominem per naturæ suæ conditionem ad vitam rationalem & socialem, ornandam & colendam teneri ac inclinari. Ad quæcunque verò homo per naturam suam tenetur & impellitur, illa quædam officiorum necessitatem & obligationem, ad ea faciendâ, opposita verò fugienda, in hominis animò producunt. Bene Rachelius in l. 1. off. Cic. commentatur. *In universum notandum est, ea esse Juris Naturæ, & ad ea nos esse obligatos, quæ per se conservant societatem humanam, & illa nos omittere oportere, quæ isti nocent; ejusque fini adversantur. Si igitur quædam Naturæ regulæ non sunt omni tempore veræ, meminisse debemus, ab iustum demum nobis recedendum esse, si, ubi his strictè inbaseris, majoris autoritatis præceptum aliud, aut ipsa societas, ejusque communis utilitas & salus sint violandæ.* Et ad lib. 3. off. Formula itaque Ciceronis videtur hæc esse. *Quicquid naturæ societatis humane repugnat, eamque destruit, illud naturaliter injustum est: Quicquid verò illam conservat, illud est justum.* Quæ admodum enim finis sine mediis obtineri non potest, & qui ad finem certum conditus est, ad mediõrum applicationem itidem compellitur; ita homo ad illa etiam omnia obligatur, quæ ad ejus naturam rationalem & socialem ornandam colendamque necessariò faciunt, contra verò, quæ eam dedecent, pervertunt aut turbant, tanquam sibi adversa, disconvenientia & vetita fugere & vitare debet. Ex hõc fonte omnis moralitas naturalis derivatur, indeque omnia principia moralia fluunt. Etenim quæ ad hominis finem obeinendum faciunt, naturalem moralemque bonitatem ac honestatem; quæ verò ab illò abducunt, moralem quandam turpitudinem ac vitiositatem continere putantur; illa, quidem in se debita & honesta, hæc verò per se illicita & turpia sunt, non verò demum per superveniens mandatum vel interdictum, talia constituuntur. *Etenim quod summum bonum à Stoicis dicitur, convenienter naturæ vivere, id habet hanc, ut opinor, sententiam, naturam cum virtute congruere semper: cætera autem, quæ secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugarent.* Cic. l. 3. off.

§. 10. Ab his haud quicquam dissentiunt, qui rectæ rationis urgent dictamina, quibus ostendatur & significetur, quid faciendum, quidve omittendum sit. Non enim id volunt, quasi recta ratio ipsa principia moralia, quæ vim legis naturaliter habent, constituat, sed quod sit medium saltem principia moralia investigandi. Inest quippe rationi seu intellectui talis facultas, ut possit & se seu naturam rationalem ac socialem, & cujusvis alterius rei naturam cognoscere, & instituta quædam accuratiori æstimatione judicare, utrum res naturæ rationali conveniat, nec ne? Agnoscit etiam homo per eandem facultatem, se ad illud, quod sibi conveniens est, prosequendum, quod disconveniens, fugiendum, teneri, & quædam



quâdam naturali inclinatione trahi & impelli. His suffragatur insignis Theologus, J. A. Osiander in Theologiâ morali c. 8. Ubi contra Svarezium disputans ostendit, rationem, ut rationem, propriam rationem legis non inducere. Si enim refertur ad superiorem; ejus præcepta tantummodò manifestat & applicat. Ubi verò ad objecta respicit, de illorum naturâ judicat duntaxat, an nobis conveniat, vel disconveniat, ex se verò non habet rationem præcepti.

§. 11. Unde non invitâ veritate dici potest, ipsam naturam humanam ad res ipsas collatam moralium principiorum originem ac fundamentum, matrem & fontem esse, quod Grotius non solum in Prolegom. §. 8. 9. 10. d. J. B. & P. sed & Rachelius atque Pufendorffius, præstantissimi Juris naturalis Doctores, passim inculcârunt. Quicquid igitur recta ratio, justâ rerum æstimatione institutâ, hominis naturæ rationali & sociali ita conveniens esse judicat, ut ejus natura rationalis & socialis absque eò salva esse non possit, nobis natura præceptum, contra verò quicquid eidem disconveniens esse deprehendit, eodem modò vetitum atque in moralium principiorum numero habendum esse intelligimus. Proinde non immeritò cum Alberto Bologneto apud Janum Seldenum de J. N. & G. l. 1. c. 7. *generatim concludimus, Naturam, ut aliis omnibus semper in rebus, ita in hoc maxime providam, plenissimè illa omnia nobis suggestisse, quibus ad vitam justè, piè & honestè dependam optime instrui possimus.*

§. 12. Neque aliud indigitare voluerunt, qui jus naturale seu universale in rerum adæquatione quâdam, seu invicem commensuratione, quæ diligenti Rationis, ut solius æternæ, sive judicandi instrumenti operâ eruatur, consistere dixerunt. Quemadmodum enim in Geometriâ, ubi sinea, angulus, planum, circulus, triangulum attentius considerantur, & invicem mensurantur, ex datis nonnullis quædam principia nemini non agnita sequuntur, è quibus postea conclusiones non minus certæ inferuntur; ita etiam in morali materiâ sive Philosophiâ, post data quædam, veluti tutelam sui, rerum in vitæ commodum usum, sexuum conjunctionem, speciei propagationem, & quæ cætera venire solent nomine boni & honesti, naturaliter oriri volunt, ex ipsâ rectâ ratione præcepta aliquot interdictaque in universum obligantia, quibus bonum illud ac honestum conservetur, præpediaturque contrarium Seldenus l. 1. c. 7. His lucem affundere possunt, quæ accuratè docet G. Calixt. in Theol. morali p. 40. & seq. edit. post. *Hominem, inquit, spectatâ cum ipsius perfectione in eò, quod intelligens & liber est, postea, tum objecti natura, unumquæ ad alterum componendo & comparando, docet Deum colere & amare, miseriam proximi sublevare; dedecet autem rem alienam domino invito auferre. DEUS igitur ut summò cultu dignus objectum est religionis; ut summè bonus, caritatis; miseria proximi suble-*

*sublevanda* objectum est misericordie, utpote virtutum: at res aliena invito Domino contrahenda objectum est peccati, puta furti. Liqueat ergo, alia propter suam cum rationali natura convenientiam objecta esse bonarum actionum; alia propter inconvenientiam, malarum: Et proinde, bonitatem moralem, sive, quod idem est, honestatem, atque malitiam sive inhonestum in objectis fundamentaliter residere, formaliter in ipsis actionibus; ad eum serè modum, quo veritas et falsitas formaliter est in cognitione et fundamentaliter in objectis sive rebus, quæ cognoscuntur. Nam sicut cognitio vera est, si rem cognoscat, uti in se est; ita quoque actio bona est, si circa objectum versetur, quemadmodum versari oportet: et sicut cognitio falsa est, si rem aliter cognoscat, quam ipsa sese habet; ita mala est actio, quæ objectum aliter tractat quam decet tractari, et natura ejus, ad præstantiam rationalis nature comparata, postulat.

§. 13. Ad hominis præstantiam inprimis etiam pertinet, quod ejus res ipse DEUS curet, dirigat et moderetur, nec non ipsius felicitas hujus vitæ terminis non circumscribatur, cum hominis anima sit immortalis, et post mortem superstes, adeoque alia vita futura, in qua, secus ac nunc fieri solet in hac vita, tantum bonorum res prosperrimæ, malorum tantum infaustissimæ erunt, idque sine termino, ex justissimâ Optimi Maximi Judicis sententiâ. Quod non sola anima sed ipsum etiam corpus humanum, in cineres redactum, eò tempore, quò placuerit DEO, resuscitandum et restaurandum, experietur. Hoc postremum, quia dependet à libera DEI voluntate, luminis naturalis ope intelligi non potest, quamvis priora haud leviter innotescant. Certè Samuel Rachelius in laudata Introd. non infelici eventu periculum fecit, possitne fundamenta, quibus omnis civilis felicitas et doctrinæ innititur, Gentilium consensu corroborare, atque ita nature rationalis ductum secutus, veritatem secus sentientibus demonstrare, et horum sive errores sive improbitates denudare. vid. c. 2. Quod institutum l. c. laudavit H. Conringius. De quibus solidè inprimis egit J. Musæus Introd. in Theol. c. 2. Add. A. Calov. Syff. T. 1. c. 2. Q. 1.

§. 14. Non tamen fas est inficiari, quod ex verbo revelato uberius et planius cognoscantur, quæ ad nostram spectant perfectionem et felicitatem. Unde ingrati divinæ benignitatis aestimatores vel potius contemptores essemus, si dogmata, quæ ad hominis beatitudinem pertinent, et Philosophia vel ignorat penitus, vel subobscurè proponit, Sacra verò Scriptura dilucidè ac clarè tradit, vellemus etiam in Philosophia occupati negligere, nec studiosè inculcare. Benè Caspar Zieglerus: *Quia luminis concreati aliquæ adhuc supersunt scintillule, quas Christiani exsuscitare solent et augere indices, non dubito, saltem inter istos Jm Nature magis magisque sæculi et restaurari posse.* in lit. ad Valent. Albert. Præterquam

enim

enim quod Philosophia & sacræ literæ eundem finem sibi habeant propositum, hominis nimirum perennem beatitudinem, quæ in fruitione DEI consistit; etiam scriptura Sacra non disciplina quædam, sed liber est, non minus ac Naturæ liber, omnibus hominibus diurna nocturnave manu versandus; nec pro alieno, sed pro communi cunctis & proprio cuivis principio haberi debet. vid. Jo. Sperl. Instit. Phys. Procem. Quæst. IV. Quò nomine mirificè nobis probatur consilium Valentini Alberti, Clarissimi Theologi & Philosophi Lipsiensis, qui demonstratum ivit, in doctrina de Jure naturæ à Christiano Philosopho statum hominis integri & ad imaginem DEI conditi exactè cognosci, cognitum verò, non ut thesin proponi, sed tantum ut hypothesin præsupponi debere, ut in iis, quæ sui fori sunt, procedat rectius & tutius, vid. Comp. J. N. orthodoxæ Theologiæ conformatum. Quamvis enim Philosophia suas propositiones vel theses ex lumine naturæ deducat & demonstret, in iis tamen præcipuè rebus, quas ex lumine naturæ vel planè non, vel difficulter & subobscurè cognoscimus, quò minus divinas revelationes, tanquam hypotheses, imò tanquam certissimas & infallibiles assertiones sequamur, & Philosophiam illis conformemus, planè nihil, quod impediatur, deprehendimus.



# CAPUT SEXTUM

De

## PRÆCIPUA MORALIUM PRINCIPIORUM VI OBLIGANDI.

§. I.



Uamvis homo naturaliter, rectâ ratione facem præferente, quid iustum & iniquum, naturæ rationali & sociali conveniens & disconveniens, atq; adeo quid profequi, quidve averfari debeat, exquirere ac invenire, imò ex se cognoscere possit; nondum tamen omnis moralium principiorum vis ita absoluta, sed quod præcipuum in illis deprehenditur, aliunde peti necesse est. Etenim moralium principiorum veluti anima habetur obligatio; hæc autem frustra eâ mensurâ & gradu, quò debet, ex rectæ rationis dictamine eruitur, quoniam, si in se nudè atque simpliciter spectetur ratio, suam præcipuè vim cognoscendo, iudicando & demonstrando exerit: Obligatio verò maiorem & efficaciorẽ aliquam vim & potestatem significat, quæ à superioris cuiusdam, qui colendus & metuendus est, autoritate dependet.

§. 2. Non equidem inficiamur, hominem etiam tum, quando naturam Objecti satis cognovit, ad id, quod sibi conveniens est, prosequendum, & ad disconveniens, fugiendum firmissimis rationibus convictum teneri, & sic quandâ obligationis rationem in se deprehendere, neq; falli eos, qui obligationem ex natura rei statuunt; cogitari tamen & illud debet, quod nemo sibi ipsi magis, quàm æqualis æquali, validè & satis efficaciter imperare, præcipere aut interdicerere possit. Licet ergò ratio cuique suadeat, imò demonstret evidentissimè, quid fieri, quid omitti debeat; negari tamen non potest, tunc demum præcipuam & fortioiorem quandam obligationem oriri, ubi superioris accedit auctoritas. Quod suo calculò appositè confirmat Seldenus d. J. N. & G. l. 1. c. 7. *ut paris, inquit, in parem imperium esse nequit, ita nec qui pares fuerint, ii ex jure aliquo sibi inter se prescripto, officiique debitionis inde solum nomine, adeò impares fieri possunt, ut cuilibet nihilominus eorum non sit societati, quam inivit, juriq; in quod consensit, par renuntiandi semper libertas, nisi velut ab externo seu aliunde, quam à se ipsis accedat simul, quod pacta, conventa, deditiones, jus illud & officium, & que cætera sunt, quibus societates humane, respublicæ atque imperia nasci, conservarique solent, obligando, cum imperio firmet. Incohibiles planè alioquin sunt invicem homines, dum jus tantum & obligationem communem spectamus. Quin & in quicquid*

*simul omnes etiam se obligari quacunque ratione velint, eo pariter & omnes se solvere ritè posse, nemo non videt, nisi etiam superior aliqua homine auctoritas ipsos ita velit manere obligatos.*

§. 3. Nec est, quod quis hic obtendat, ipsam rationem rectam sufficientem obligandi vim vel ideò habere, quoniam quæ juxta rationis dictamen rectè facta sunt, conscientia tranquillitas, secus & malè patrata, ejusdem anxietas consequitur, non futura sanè, si satis validam obligandi vim rationis dictamen non habuisset. Nam hujusmodi conscientia, tranquillitas & anxietas vel planè non futura vel tanta non esset, si recta ratio agenda & omittenda, citra respectum ad superiorem, præciperet. Siquidem tranquillus est animus post benè rectèque facta, non quod sibi duntaxat satisfecit, sed præcipuè ideò, quoniam illi se morem gessisse per sentiscit, à quo rectæ rationis dictamina sibi accepit indita, ut illis conformiter vivendi rationem iniret. Neque anxius est animus, quod homo semetipsum neglectu vel contemptu dictaminis rationis offenderit, posset enim errata emendare, defectus supplere, & sic veniam impetrare & secum conciliari facilè, cum homo sibi pleraque indulgere, & secum facilè in gratiam redire soleat; sed quod se ipso superiorem & ipsum rationis autorem laceffitum & offensum esse intelligit, ejus vindictam metuit & præ dolore & solitudine secum acquiescere nescit. Proinde colligimus potius ex conscientia tranquillitate & anxietate, quæ nostra facta consequitur, rectam rationem cum respectu ad Superioris auctoritatem faciendam & omittendam injungere. Optimè Seldenus de J. N. & G. c. 7. l. 1. *Ratio quatenus talis solum & simplex, suadet & demonstrat, non jubet aut ad officium, nisi superioris eo, qui jubetur, accedat simul auctoritas, obligat.*

§. 4. Superior autem, à quo præcipuam & efficacissimam obligandi vim principia moralla accipiunt, alius esse non potest, quam ipse naturæ rationalis & socialis Autor & Conservator potentissimus & providentissimus DEUS, Optimus Maximus. His suffragatur Sam. Rachelius: *Cum inquit, hominem suam felicitatem ultimumque finem in actionibus virtutum (hic enim finis verè illius naturam concedet) querere divina Providentia voluerit, mos illi gerendus est in omnibus, juxta discrimen honestorum & turpium, à verò judicio pratico nobis propositum, ista sectando, hæc fugiendo; planè ut si hic ordo per malitiam hominum invertatur, pœna indubitata in improbos, sicuti beneficia in probos remuneratio fit ab eadem redundatura. Et quamvis non celeri malitiam, pede sed claudo sæpè pœna sequatur, probitasque laudetur & algeat; Non tamen ea propter ambigere de DEI providentia debemus. Vid. Introd. in Ph. Mor. Arist. c. 3. Idem Rachelius in diss. de Jure Naturæ §. 45. *Providentia divina cum acceptum tulerim Jus omne naturæ, ab illa quoque ejus proficiscitur obligatio; ut adeò, si qui appetitum societatis ejusque conservationem Juris Naturalis**

*turalis fontem unicum esse existiment, frustra sint futuri. Si enim omnis juris obligatio principaliter suam auctoritatem consequitur à DEO, vel maximè eundem ab eodem Autore habet Jus Naturæ. Addantur ejusdem Prolegomena in Officia Ciceronis §. 33. usque ad finem. Eandem sententiam etiam suo approbat suffragio J. H. Bœclerus in not. ad H. Grotiam. Quæ, inquit, res enim alia efficit, ut fœdera & jusjurandum servent, qui nullam vim humanam formidant? an metus infamiæ apud homines? at hunc declinare aut sanare, ac innoxium reddere non debilibus remediis possent.*

§. 5. Præterea cum quilibet homo rectæ rationis ductum secutus intelligere possit, DEUM ex sui productione absolutum imperium in se obtinere; insimul agnoscit, quod DEUS summò jure hominem sibi subiectum dirigere queat. Quoniam ergo idem DEUS rectam rationem eidem homini implantavit, ut juxta ejus dictamina, tanquam regulam & normam, jussu & beneplacitum Creatoris actiones suas institueret, non potest dubitare, quin ad id, quod suæ rectæ rationis judicio faciendum vel omittendum est, obligetur, ita ut si secus sese gesserit, pœnas luere teneatur, divinamque vindictam nullò modò effugere queat, quoniam ipsius scientia pariter & potentia nullis limitibus circumscribitur. Quod experimento didicit immanissima belua, Domitianus: de quo Plinius in Panegy. c. 6Q. *Ille tamen, inquit, quibus sibi parietibus & muris salutem suam tueri videbatur, dolum secum & insidias & ultorem scelerum DEUM inclusit: dimovit, perfregitque custodias, pœna, angustosque per aditus & obstructos non secus ac per apertas fores & invitantia limina irrupit: longeque tunc illi divinitas sua, longe arcana illa cubilia sevisque secessus, in quos timore & superbiâ & odio hominum agebatur.*

§. 6. Hæc doctrina uti vero consona & ad melioris vitæ profectum peridonea; Ita sapientioribus omni tempore probata fuit. Hinc & prudentissimos priscorum temporum Legislatores, Minoëm, Solonem, Draconem, Charondam aliosque legibus suis auctoritatem seu obligationem conciliari non posse existimavisse accepimus, nisi eas Numini alicui acceptas ferrent. Quam amicè Philosophi Gentiles cum Doctoribus Ecclesiæ, priscis JCTIS in eo conspirent, ut Juris naturalis obligationem à Divino Numine deducant, erudita industria exposuit, Jo. Selden. L. 1. c. 8. Qui eodem in locò etiam contendit, quod hanc ipsam ob causam Scholastici Jus divinum faciant duplex: alterum naturale seu humanæ naturæ coævum; alterum positivum seu à Numine postmodum adjectum. Secundi generis plenæ sunt sacræ literæ. Primum autem ajunt esse participationem Legis æternæ in rationali creatura, adeoque divinum. Si verò Jus naturale quoque divinum est, cur dubitabimus, ejus etiam obligandi vim præcipuam & efficacissimam à divino Numine derivare. Propterea

optimo cuique Gentilium persuasum fuit, omnes illos, qui secundum naturam viverent & virtuti operam darent, Numini charos esse, ab eodemque defendi ac sublevari. Notum est illud Jamblichi: *Hoc unum verum cogitandum est, non eventurum viro bono alium malum tam viventi, quam mortuo: neque negliguntur huius viri res ab diis immortalibus.* Contra vero non minus communis & pervagata inter Gentiles opinio fuit, quod isti, qui sceleribus contra leges naturæ commissis se contaminassent, Numini exosi sint, & apud inferos exquisitissimis suppliciis crucientur. Neutrum verò cogitare & sibi persuadere potuissent, nisi DEOS horum principiorum auctores esse credidissent. Veteres Christiani diu in ea permanferunt sententia, quod ante promulgationem Decalogi naturalia & Universalia jura generi humano ab ipso DEO lata & deinceps corpori Legum Mosaicarum inserta fuerint. Quâ super re ita legitur annotasse Chrysostomus: *DEUM ideò legibus de honore parentum, de homicidio, adulterio, furto nullam addidisse rationem, quod illa jam antea tanquam juris naturalis capita fuerint quàm notissima. At precepto de Sabbatho, quia positivum, sollicitè rationem adjunctam.* Seld. & Puf. d. l.

§. 7. Hinc faciliè adduci possumus ut assentiamur illis, qui existimant, minus cautè à Grotio dictum esse, Jus naturale obtinere, etiamsi daremus, quod sine summo scelere dari nequit, non esse DEUM, aut non curari ab eo negotia humana. Vid. Pufend. de J. N. & G. & in Specimine Controv. Nisi fortassis dicendum est, Grotium vel ideò mitiorem admittere interpretationem, quod dicat, etiamsi id daretur, jura naturalia locum aliquem habere, id, ni fallor, significaturus, homini suam rationem dicitare, quid faciendum vel omittendum sit, id tamen magis svadendo & demonstrando præstare. Quod autem præcipua ejus obligandi vis à DEO peti debeat, non obscure videtur innuere, quando mox subjungit & asserit, illud ipsum, de quo agit, naturale jus, sive illud sociale, sive quod laxius ita dicitur, quanquam ex principiis homini internis profluat, DEO tamen adscribi meritò posse, quia, ut talia principia in nobis existerent, ipse voluit: quò sensu Chrysippum & Stoicos dixisse, Juris originem non aliunde petendam, quàm ab ipso Jove, atque ab eodem Jove Jus Latinis esse denominatum, Vid. Proleg. n. II. 12. Hanc Grotii, è fontibus Scholasticorum, hauritam, sententiam ita expendit C. Zieglerus, ut nostram egregiè confirmet. *Quia, inquit, hic agitur à Grotio de Obligatione, quâ tenetur homo se fieri bonum & sugere malum, quâ tenetur suum cuique tribuere, quâ tenetur aliis benefacere; obligatio autem talis imperium aliquod præsupponit, quod hominis conscientiam cogat, & in ordinem redigat, non potest id alii, quàm nature naturæ, DEO ter O. M. adscribi. Posito hoc imperio, non poterit Grotius extra DEUM, aut sub hypothesis, non esse DEUM, talem obligationem considerare. Interim*

*terim tamen hoc non nego, esse in DEO eternam aliquam legem, h. e. rationem divinam sapientie, directivam omnium actuum & motuum in suos fines, & jus aliquod naturale immanens antecedenter ad omnem liberum voluntatis actum, secundum quod non potest velle, quod juri illi repugnat. Quae autem in hominibus est Lex naturalis, à DEO est, non tantum ut effettore & implantatore, sed etiam ut Legislatore, imperium suum exercente. Vid. Annot. ad Grot. de J. B. & P.*

§. 8. Frustra verò omninò sunt, qui ad hæc convellenda afferunt, lege naturali hominem obligari sibi ipsi, quia existimant unius cujusque rectam rationem ejusque dictamen, legem naturalem esse, ut non sit opus, illius vim deducere aliunde. Enim verò recta ratio est saltem organum seu medium, quò interveniente lex naturalis nobis innotescit. Manifestum enim est, quod recta ratio nobis non imperet, & suã velut auctoritate leges tanquam superior promulget, Sed Deus, qui mediatè nobiscum agit, utitur rectã ratione nobis congenitã, tanquam instrumentò, quo nobis manifestat, quid fieri velit, & quoniam recta ratio potentia naturalis est, ex intrinseca necessitate, quid faciendum, quidve omittendum sit; divinã auctoritate, homini proponit. Ut proinde per rectam rationem homo non sibi ipsi; quod incongruum, neque enim sibi imperare, neque se prohibere quisquam potest: Sed DEO Opt. Max. obligetur, aut potius se obligari intelligat. Quemadmodum enim Principis alicujus minister, qui superioris sui mandata facit, ejusque voluntatem sibi non secus ac cæteris subditis denuntiat, non sibi met ipsi præcipit, sed præceptum superioris oculos ponit, adeoque non sibi ipsi, sed Principi, cujus auctoritate id facit, obligatur; Ita quoque recta ratio non propriã auctoritate præcipit, sed Deus per rationem imperat. Benè distinguit Seldenus l. 1. c. 7. de J. N. & G. Ratio, inquit, ejusque usus dupliciter sumitur: Aut qua per se simplex est nudusque, nec alicujus humana natura superioris seu indicationem seu auctoritatem respicit: Aut qua auctoritatem ejusmodi seu indicationem boni malique, officiorumque debitionis terminos despondentem agnoscit. Non priori, sed posteriori modo spectata Ratio idonea est obligationem producere. Nam ratio, ut diximus scribere Seldenum, quatenus talis solum & simplex, suadet & demonstrat, non jubet, aut ad officium, nisi superioris deo, qui jubetur, ascedat simul auctoritas, obligat. Nihil enim prohiberet, quo minus Ratio sibi relicta & nullius imperio ad id, quod rerum naturæ consentaneum est, adstricta & velut alligata, sua desereret ratiocinia, & ad contraria nonnunquam inclinaret, tot invitamentis & irritamentis trahentibus & allicientibus, tot periculis etiam, minis & damnis aliquando impellentibus.

§. 9. Neque efficiunt quicquam, qui ad demonstrandam hominis obligationem erga se ipsum, solent urgere; quod aliquis possit semetipsum,



voto vel Juramento obstringere. Nam qui votum vel juramentum præstat, satis evidenter quidem sese obligat, non verò sibi, sed DEO, cui eò actu expressè facit copiam, se puniendi, nisi servaverit, cum adeo fidem suam obstringat DEO, ut testis advocetur & simul ab eo perfidiæ temerariæque pollicitationis ultio poscatur. Equidem Cicero 3. Off. scribit, quod in jure jurando, *non qui metus, sed que vis sit*, debeat intelligi. Est enim jusjurandum affirmatio religiosa. Quod autem affirmatè, quasi DEO teste, promiseris, id tenendum est. Existimat igitur Jurisjurandi religionem sanctam habendam & reliqua officia, quæ hominis naturæ conveniunt, præstanda esse, ideò, quia homini conveniunt & is ad illa tenetur, inque hoc omnem vim collocatam esse, ut qui hâc ratione non movetur, frustra metu impelli existimetur. Nam illa solent metui, quæ nobis dolorem incutere possunt. At dolere, non modò non summum malum, sed nec malum quidem esse, maximâ autoritate Philosophos affirmare Cicero testatur, laudatque Regulum, Principem Reipublicæ, qui retinendi officii causâ cruciatum subiit voluntarium. Licet autem concedatur, dolores ac cruciatus mala dici posse, nec sufficere, quod calamitosè vivere dicamus qui illos sustinent; Id tamen certum est, quod nullum majus malum turpitudine reperitur. Itaque Ciceronis judicio, nervosius qui ista differunt, solum audent malum dicere id, quod turpe sit: qui autem remissus, hi tamè non dubitant, summum malum dicere. Jam verò si turpitudine summum malum est, utique hinc confici videtur, quod in principiis moralibus non qui metus, sed quæ vis sit, intelligi debeat. Enim verò, quamvis inter bonos ac sapientes isthæc optimè dicta putentur & maximè valeant, cum benè ac laudabiliter facta virtutis amore, non pœnæ formidine aut metu impulsis sequi soleant: nequit tamen negari, quod & illi summopere in virtutis studio confirmantur, eodemque imprimis delectantur ideò, quia DEO Autore, cum largissima gratiæ remunerationis spe, hanc viam ingrediuntur; nec tantâ lætitiâ & fiduciâ pleni forent, nisi benè facta DEO probari ab eodemq; defendi cognoscerent. Multorum verò languesceret industria & solertia intenderetur, si nullus esset metus, neq; ulla spes foret, cum pauci adeo ingenio valeant, ut non turpe honestumq;, prout benè ac secus cessit, expectant fugiantque. Plinius in Panegy. c. 54. Ubi enim rectè factorum benignam approbationem & compensationem dempseris, ipsa per se virtus amara & aspera multis putabitur. Nec ipsa malitia ita vires sumeret, nisi commodis suis aleretur, siquidem pauci gratuitò mali sunt. Verè Plin. l. 2. *Similes & dissimiles alliciuntur: nam præmia bonorum malorumque bonos ac malos faciunt. Pleriq; eadè ista, quibus alios artibus affectos vident, consèctantur.*

§. 10. Non magis è contractibus demonstrari potest, quod detur obligatio sine superioris respectu. Dicitur quidem, in contractibus non solum

æqua-

æquales sibi invicem obligati, sed etiam æquæ superiorem interiori atque inferiorem Superiori obstringi. Sed pariter & hæc obligatio à superiori est. Nam ad id servandum, quod inter me & æqualem, superiorem vel inferiorem, contractum est, lege DEI teneor, quæ promissis standum esse injungit. Æquales quidem vel inæquales contrahunt, obligatio autem à DEO ultimo deducitur.

§. 41. Non igitur adeò moralium principiorum origo & præcipua vis obligandi est abscondita, ut eam recta ratio investigare nesciat, quod quidem cum Sophocle sibi persuasisse Aristoteles censetur, quando i. Rhet. c. 13. scripsit: *Non quidem id, quod principia moralia injungunt, nunc heri, sed semper fuit. Et nemo scit, unde ejus ortus sit.* Quæ Philosophi verba graviter convellit Rachelius Diss. de J. N. §. 47. *Quid ergo, inquit, prodest tibi, mi Philosophè, omnis tua scientia, ut canque magna & admiranda, si hoc cum Sophocle nescis? Lex quidem DEI æterna ab æterno fuit in DEI intellectu, ejus verò præcipua pars, Jus Naturale, declarari & promulgari cepit cum genere humano, ex quo etiam ejus obligatio effectum nata, cum ipso genere humano, durabit.* Ubi tamen existimari posset, Aristotelem divinam originem moralium principiorum concedere, modum verò & rationem originis legum communium, non ut propriarum, innotuisse, asserere. *Est enim, inquit, justum quoddam naturæ, & injustum: οὐκ ἔστιν ἄλλο τι πᾶντι, de quo homines, quasi divino quodam instinctu, vaticinantur, vel ut alii reddunt, tacito instinctu velut divino quodam afflatu commoti, omnes pronunciant, etiam si nulla de eo inter illos communicatio aut pactio intercesserit. Quale & Antigone apud Sophoclem dicere videtur, justum esse affirmans sepelire Polynicen, quamvis vetitum sit à Rege Thebanorum, quod id naturæ sit justum.* Nam ab interdicto Regis tanquam à propria lege provocat ad communem & æternam, à natura ipsa quasi sancitam, legem.

*Neque enim hodie jus hoc receptum est, aut heri,*

*Æternitate fixum ab omni sed viget.*

*Neque origo que sit ejus ulli cognitum est.*

*Et ut Empedocles dicit de non interficiendis animalibus:*

*Id enim non aliis quidem justum est, aliis non justum.*

*Sed se se in populos spatia alta per ætheris omnes*

*Porrigit, effuso splendet qua lumine Cælum.*

Vid. Aristot. Rhet. l. c. adde Comment. Christ. Schraderi ad eundem locum, & Jo. Zeifoldi Consensum & Diss. Aristotelis cum scriptura sacra, quò libro prolixè disputat, quid de origine rerum Aristoteli ex lumine Naturæ innotuerit.

# CAPUT SEPTIMUM

## AN PRINCIPIA MORALIA EX HO- MINUM CONSENSU ET MORIBUS GENTIUM COGNOSCI POSSINT?

§. 1.

**H**ominis naturam rationalem & socialem manifestum fun-  
damentum & *γνώσιμα* certum, characterem, signum vel  
indicium, atque liquidum principium præbere,  
ex quo liceat investigare & cognoscere moralia prin-  
cipia, in propatulo est. Operæ tamen prætium fo-  
re judicavimus, paulò diligentius dispicere, utrum ho-  
minum sententiæ & vivendi rationes cum naturâ rationali & sociali a-  
deo convenient, ut perinde sit, siye recti honestique normam in homi-  
num moribus, siye in naturâ rationali & sociali queramus; an verò  
Gentium consuetudines desectant nonnunquam, & adeò à natura ratio-  
nali & sociali aberrant, ut in disquisitione de justo & iniquo ad illas provo-  
care, tanquam ad normam & regulam, periculosum videri queat?

§. 2. Reperiuntur, qui existimant, ejusmodi *γνώσιμα* esse omnium  
Gentium consensum, ut id sit Juris Naturalis, in quo conveniunt seu con-  
sentiant omnes Gentes. Quæ opinio apud nonnullos Jctos Græcos &  
Latinos invaluit, ut propterea Jus primævum, *ἐθνομὸν* vel Gentile illis di-  
catur. Nec desunt Philosophi, qui calculum adjiciant. Ita enim Cicero  
Tusc. quæst. 1. *Omni in re consensus omnium gentium lex naturæ putanda est.*  
A qua sententia vix alienus est Seneca epist. 117. *Multum, Inquiens, dare  
solemus presumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est,  
aliquid omnibus videri; tanquam Deos esse, inter alia sic colligimus, quod omni-  
bus de Diis opinio est insita, nec ulla usquam gens est adeò extra leges moresque  
projecta, ut non aliquos DEOS credat. Cùm de animarum eternitate differi-  
mus, non leve momentum apud nos habet Consensus hominum aut timentium in-  
feros, aut colentium. Quò argumentò etiam Cicero utitur. Quodst, in-  
quit, omnium consensus, naturæ vox est; omnesque, qui ubique sunt, consentiunt,  
esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui è vita cesserunt: nobis quoque idem existi-  
mandum est.* Tusc. Qq. 1. 1. Ex his confici videtur, quod Jus Naturæ cum  
Jure Gentium congruat, & unum idemque Jus haberi debeant. Neque  
dubitavit apertè id affirmare Hobbesius, & extrinsecà duntaxat denomi-  
natione alterum ab altero distinguere, ut lex naturalis dicatur, quæ singu-  
lorum hominum officia proponit: eadem verò lex totis civitatibus, natio-  
nibus siye gentibus applicata, Jus Gentium appelletur. Huic sententiæ  
planè

planè subscribit Sam. Pufendorfius, nec Jus Gentium peculiarem Juris speciem constituere judicat, quod quidem legis propriè dictæ vim obtineat, quæ gentes, tanquam à superiore profecta, stringat. Unde pleraque, vulgò ad Jus Gentium relata, ille vel ad Jus naturæ pertinere arbitratur, vel ad Jus Civile singularum Gentium, quæ istis in rebus ex placito peculiari legislatorum in singulis civitatibus per accidens, nullâ interveniente conventionem aut mutuâ obligationem conspirant. H. Grotius hæud obscurè Jus Gentium voluntarium constituit, & inter ejus præcipua capita refert Jus legationum. Sed Pufendorfius existimat, Legatos ipsò naturæ Jure apud hostes etiam inviolabiles esse. Cum enim Jus Naturæ pacem omnibus modis amplecti jubeat, & Legati eam conciliare, conservare ac per fœdera studeant arctius constringere; utique jus naturæ securitati hominum illorum, sine quibus finis ab eo præceptus obtineri non potest, cavisse ac prospexisse judicandum est. Jus sepulturæ ad humanitatis officia reducit. Quod ad consuetudines illas circa exemptiones certarum rerum & personarum à vi bellica, nec non modum nocendi hostibus, captivos tractandi & similia attinet, distinguit inter bellum justum & injustum, atque in hoc illas rectè observari censet, ut bellator saltem cum aliquo temperamento scelestus & iniquus sit. Sed in bello legitimo existimat illos, qui hujusmodi consuetudines, salvo naturæ jure negligunt, nullius alterius sceleris argui posse, quàm cujusdam ruditatis, non secus atque imperitiæ accusatur inter gladiatores, qui alterum non juxta regulas artis violaverit, neque ad alterius numeros sese composuerit. Quamvis hujusmodi consuetudines obligationem ex pactò tacito ortam continere videantur; ejus vis tamen in bello legitimo expirare censetur, quoniam istæ consuetudines ab illis hominibus, quibus decus maximum falso visum est, bello gloriam querere ac quam plurimos callidè perdere, hæc sine introductæ fuerunt, ut ambitionis invidiam averterent, ac præliorum atrocitatem humanitatis quædam & magnanimitatis specie temperarent ac emollirent. Tametsi Jo. Wolf. Textor in Synoplic. 1. peculiare Jus Gentium constituere velle videri possit, satis arctam tamen ejus & Juris naturæ cognationem admittit, quando utrumque affirmat descendere ex eodem fonte rationis naturalis nobiscum congenitæ, quæ nihil aliud sit, quàm intellectus practicus ad principia moralia reflexus, quorum luce ostendit vel hominibus ut singulis, vel gentibus, quid ad meliorem vitæ ductum ut honestum & justum agendum, quidve contra, ut inhonestum & injustum fugiendum sit. Nec adeò magnificè de Jure gentium voluntario, in Comment. ad Grotii l. 2. c. 4. §. 9. sentit Jo. H. Boeclerus, idque cum Jure naturæ ita connectendum & ab eodem distinguendum esse judicat: *Hoc est Juris nature,*

quod Gentes ex nature dictatu agnoscunt: hoc est juris gentium, quod utilitatem suarum respectu, consensus gentium liberè constituit; hoc jus gentium naturam non habet repugnantem, à jure nature longius propius abest; huic juri nature gentium jus superaddit hoc aut illud: hoc jus nature gentes ita interpretantur: hoc jus gentium originem trahit ex his illisve rationibus juris naturalis: in hoc jure partem natura, partem voluntas gentium constituit. Quid JCTI Romani hâc de re statuerint, exponit Johannes à Felde in Annotatis ad H. Grot. lib. 2. cap. 8. ubi animadvertit, in Jure Romano inter jus Gentium & civile hanc esse differentiam, quod jure Civili soli Cives Romani utantur, Jure Gentium & Cives & peregrini. Quam ob causam etiam duo Romæ in libera Rep. erant prætores, quorum alter urbanus, alter peregrinus vocabatur, hic ex solo Gentium jure, ille ex Civili jus dicebat. Hinc etiam amittentes Civitatem utebantur solo Gentium jure.

§. 3. Verùm enim verò, ut ut non negemus, inter gentium mores, vivendi consuetudines, statuta & leges recepta fuisse, quæ Juris Naturalis sunt, & ideò in moralium principiorum numerò haberi possunt; quoniam tamen illis acceperunt alia civilia & arbitraria, ut naturalia & positiva jura in unam massam sint conjuncta; nunc simpliciter nequit asseri, quod Juris Naturalis vel pro principio morali judicari debeat, quicquid apud Gentes receptum est. Nam nemo, vel per exigua pars mortalium sola naturalia ex illis discernere, & quæ sententia Gentium de illis fuerit, unde hausta & accepta sit, adeò facilè eruere poterit. Sanè non aliam ob causam Johannes Seldenus, quàm ut hujus rei difficultatem quadantenus exprimeret, varia similia congescit. De Corpore Legum, vel Romano, vel Atheniensi, vel Mosaico scribit, quòd in eo naturalia inter Civilia non minus latuerint, quàm aurum purum in Corona illa aureâ Diis votenda, quam ex auro solùm puro locarat faciendam Hiero. Sed quantum auri, quantumque argenti ab artifice fuerit admixtum, solius Archimedis ingenio potuit deprehendi. Vitruvius l. 9. c. 3. & Proclus ad l. 1. Euclid. l. 2. c. 3. Absque ejusmodi Mathematico fuisset, verisimilius Seldeno videretur, tunc evenisse Syracusis, quale dudum Romæ contigit. Nimirum monetarius accusabatur, nimii æris argentæ monetæ admixti. Is verò ab illis, qui rebus præerant, impetravit, ut duo Judices causam examinarent, & sententiam seorsim dicerent. Quorum alter monetarium absolvit; alter verò eò usque illum damnavit, ut plurima aureorum millia Reip. adulteratæ monetæ nomine, à reo refundenda censeret, & tùm bona ejus cætera fisco addicenda, tùm capitale insuper infligendum supplicium. Hi Judices, sicut ingenti discrimine à se invicem discesserunt; ita non minor discrepantia futura esset, si qui vel ex Judæorum Codice Mosaico, vel aliarum gentium legibus naturalia colligere, & à positivis ex animo & sententia Gentium discernere anniterentur. Id quod plusquam Archimedeum

deum esse, nec facilius forsitan, quam Ancile illud è Coelo delapsum à cæteris, quæ Mamurii artificio adeo ei similia facta sunt, olim distinxisse; aut Ægyptiis singula cujusque post Nili inundationem, jugera, ante Geometriæ inventionem, internovisse, iterum Seldenus judicat. Vide ipsum de J. N. & G. juxta disc. Ebr. L. 1. c. 3.

§. 4. Sed propius ad rem accedamus. Dum ex Gentium Consensu moralia principia, vel quid Juris Naturalis sit, erui posse creditur, antioramus, quòd de Gentibus triplici modò possit sermo institui. Aut intelliguntur omnes in univèrsum gentes, quæ per terrarum orbem sunt dispersæ; aut intelliguntur omnes illæ duntaxat, quarum notitiam habemus; aut illæ solum intelliguntur, quæ inter cognitæ sunt moratiores.

§. 5. Si primò sensu Gentes omnes accipiuntur, palàm est, quòd incassum ex omnium Gentium Consensu, quid Juris Naturalis sit, addiscere anniteremur. Nam quæ & quot Gentes per univèrsum terrarum orbem omni tempore dispersæ fuerint, nemo unquam poterit cognoscere. Neque hodiè, arte Nauticâ benè excultâ, multisque aliis subsidiis non deficientibus, omnes terræ incolas investigare concessum est, alias in Geographia incognitis Orbis partibus nullus superesset locus. Quantumvis verò cum nonnullis certò numerò gentes omnes circumscribere auderemus, si tamen illorum mores & instituta nos laterent, uti reverà partem maximam latent, cognitio illa Gentium omnium eo non posset facere, ut moralia principia, vel quid Juris Naturalis sit, inde eruamus. Non enim ad id sufficit, nosse Gentes omnes, sed præprimis requiritur, ut nihil eorum, quæ inter mores & consuetudines populorum recepta sunt, nos fugiat.

§. 6. Populi, qui ad notitiam nostram perveniunt, duùm sunt generum. Alii enim barbaris vivunt moribus, & à ferarum indole parum recedant. Tales fuerunt illæ gentes, de quibus Aristoteles scripsit. Nicom. l. 7. c. 6. quòd à naturâ seu à natalibus rectò rationis usu careant, & sensu tantum vivant instar ferarum; quales Scythas & nonnullos Australiores & Septentrionaliores populos fuisse interpretes volunt. Tantæ barbariæ fidem faciunt & illa Senecæ in Troadè act. 5.

Quis Colchus hoc, quis sedis incertæ Scythæ  
Commisit? aut quæ Caspium tangens mare  
Gens Juris expers ausa?

Ex horum populorum moribus, quid Juris Naturalis sit, cognosci non posse, nemo dubitat.

§. 7. Alii leges admittunt, & vitam civilibus statutis circumscribunt. Negari tamen nequit, quòd nullum ferè Juris Naturalis caput, non privatim solum, sed & moribus receptis, & legibus solenniter promulga-

mulgatis, illæsum manserit, etiam apud illos populos, quibus Juris aliqua cognitio & cura esse consuevit. Id jamdudum doctissimi viri observârunt, & pravæ educationi, perversæ consuetudini & affectatæ Gentium malitiæ tribuerunt. Cic. Tusc. Quæst. l. 1. *Multi de diis prava sentiunt: id enim vitiosô more effici solet.*

§. 8. Sic Ebræi de veteribus Idumæis tradunt, quòd interdictum de Homicidio: & de Ismaëlitis, quòd interdictum de furto non admiserint. Seld. l. 1. c. 5. Perficæ nationes, matrum, sororum, filiorum connubiis commixtæ, rem licitam, quæ iniquissima erat, existimaverunt. Massagetæ miserrimos arbitrati, qui aliâ quàm violentâ morte occumberent, & id propter legem de mactandis senibus tulerunt. Phænices seu lege seu consuetudine liberos suos vivos cremârunt, quos in vicinia aliquando fuerunt imitati Israëlitiæ. Calixt. in Theol. mor. p. 50. Sam. Puffendorff. de J. N. & G. l. 2. c. 3. §. 8. Apud Carthaginenses immolare homines justum sanctumque habebatur, ad eò, ut eorum nonnulli filios Saturno sacrificaverint. Germani hoc virtutis proprium existimant, expulsos agris finitimos cedere. Latrocinia nullam habent infamiam, ea juventutis exercendæ ac desidii minuendæ causa fieri prædicant. Cæsar de B. G. l. 6. p. 241. adde annotationes apud Arnold. Montanum. Derbices, vitiosè Berbicæ, eos, qui LXX. annum exceßerunt, jugulant; carnes genere proximi absumunt; vetulas strangulant, inde sepeliunt, ut Strabo & Ælianus apud Calixtum p. 55. d. l. confirmant.

§. 9. Quoniam illorum etiam populorum, qui nobis innotuerunt, ad eò depravati mores sunt, palàm est, quod ex illis, quæ Gentibus notis comprobata fuerunt, Principia Moralia, vel Jus Naturale cognosci non possit. Cum primis verò illud difficultatem augeat, quod advertimus, sæpè contrarios mores, sed pariter turpes & iniquos receptos fuisse. Memorabile exemplum ex Herodoto affertur, quod appositè huc quadrat. Darius accitos Græcos, qui in suâ ditione fuerunt, percontatus est, quantum pretiò vellent defunctis parentibus, juxta Indorum aliquot morem, velci. Negârunt Græci, se ullâ pecuniâ, ut hoc agerent, induci posse. Pòst ex Indis pariter quæsit, quantum acciperent, ut patres defunctos, juxta Græcorum morem, igne comburerent, nec postea comederent: qui pariter reclamantes meliora illum omnia iubebant. Utrique scilicet suos mores legibus naturalibus ad eò congruos esse judicârunt, ut sine summo scelere illos non intermitteri posse arbitrarentur, & contrarios, tanquam abominandos & naturali Pietati adversos detestarentur.

§. 10. Sed inquit non nemo, illos populos, qui rectum iniquo miscuerunt, deserendos, & ad illos duntaxat, qui moratiores sunt, respiciendum esse, ut quicquid hisce visum vel probatum foret, pro Jure Naturali habea-

habeatur. At verò non minor difficultas obijcitur, utut ad moratiores tantum populos respiciamus. Initio magna orietur lis de populis, qui moratiores haberi debeant, è quòrum numero vix ulla gens, quæ quomodocunque sapit, se excludi permittet; immò stolidissima palmam sibi præripit. Sanè jam olim Græcis & Latinis Ægypti, Persæ, Chaldæi, Æthiopes, Celtæ, Scythæ; ipsi Græcis etiam Latini, & his quoque Græci; Ebræis verò illi simul omnes Barbari habebantur. Ut nunquam major futura sit controversia, quàm si in quæstionem adduceretur, qui nam populi sint moratiores. Deinde apud illas etiam gentes, quæ ad moratiores referri solent, nonnunquam & talia fuerunt instituta, quæ bonus quisque ex animo detestatur. Sic Græcis & Romanis, moratis cætera populis, in usu fuit, infantes recens natos, si tæderet liberorum, aut illorum numerum gravem atque molestum familiæ futurum esse putarent, exponere vel etiam interficere, præsertim foemellas. Neque Aristoteles, aliàs præclarus Moralis scientiæ Doctor, ab omni gravi errore liber est. *Hem!* inquit Rachelius, accipe, ipse quid tradat Aristoteles Nicom. 3. §. 3. *Est verò in rebus, quæ honestæ & justæ sunt, quæ Politica considerat, tanta varietas, tantaque in eis versatur erratio, ut hominum placito solum, non autem naturâ constare videantur.* Et alibi: *Omnia rerum nihil horribilius est morte; nam ea omnium rerum est extremum. Nihilq; reliquum mortuo esse videtur, neque bonum, neque malum.* En abominandam vocem summi aliàs Philosophi l. 3. Nicom. 6. §. 14. add. Prolegom. ad Off. Cic. §. 3. Ita etiam scribit Philosophus l. 7. Polit. c. 6. *De exponendis & alendis factibus lex esto, ut nihil marcum alatur. Propter multitudinem verò liberorum, si factus exponere instituto gentis non liceat: numerum enim procreandæ sobolis certis terminis definiti & circumscribi convenit; Si quibus ita conjugibus ultra eum quicquam procreatum fuerit, antequam in utero sentire vel vivere cœperit, abortum procurare oportet.* Quæ causa movit Georgium Calixtum, ut asserere non dubitaret, à lapsu primotum parentum tantopere invaluisse hominum eum cœcitatem, tum pravitatem; tantum quoque posse Satanæ, misero mortaliùm generi insidiantis, vassitiam & fraudem, ut gentibus sibimet relictis, juxta solius etiam naturæ ductum rectè gubernandis, lex naturæ, citrà peculiare Numinis auxillium, & singulariter factam revelationem, non sufficiat. *Deficit enim, inquit, passim & ubique terrarum, apud cultissimos etiam populos, lumen nature non modo per se, nempe in mysteriis, propriè ita dictis, cognoscendis: sed & per accidens, in iis videlicet, quæ faciem prælucente naturâ ipsâ, videri intelligique, Sex ejus præscripto, intermissi vel apertè potèrant.* Vid. Epit. Theol. Mor. p. 59. *Faciamus verò, Gentes moratiores nonnisi justum rectumque assumisse, & penitus inter se, vel plerasque saltem conspirasse; nondum tamen, quid Juris Naturalis sit,*



ut, aut quænam Moralia Principia haberi debeant, inde cognosci potest. Constat enim, quod obligationem, h. e. agendi omittendique necessitatem Jus Naturale imponat. At verò, quòd hoc vel illud tali vel aliâ ratione apud omnes Gentes moratioris, vel plerasque saltem receptum & observatum, si nil aliud accedit, quàm quia observatum est, non potest gentibus reliquis imponere necessitatem, ut idem & illæ recipiant, aut si receperunt, mutare nequeant. Supponimus enim, quod nemo negat, gentes singulas liberas, & juris sui esse, nec sibi mutuo omnes subjectas. Jam autem nulla gens libera, alterius gentis liberæ statuta, nisi liberè atque ex suo arbitrio, recipit.


§. 11. Opponat quispiam illud vulgatum: *Refertur ad uniuersos, quod fit per maiorem partem*, cò sensu, ut quid gentibus moratioribus plerisque ita visum est, pro Jure Naturali valeat, & cæteris ita videri & valere pariter apud illos debeat. Ei respondeamus, quòd illud tritum vèrum dñum habeat locum, quando omnes seu uniuersi in unum corpus ciuile vel cœtum imperio, vel pacto, aut aliâ quâdam constitutione coerunt, ut singuli sint unius corporis partes. In tali corpore ciuili, quod per maiorem partem, aut etiam per caput fit, refertur ad uniuersos. Quamuis & hic nonnunquam locum inueniant rationes, cur maiora non attendi possint, sed unanimia requirantur. Vid. Capit. August. Leopoldi art. 21. Quando verò omnes & uniuersi populi in tale ciuile corpus non sunt congregati, sed singula singuli corpora constituunt, quorum neutrum alteri est subditum, nec alio pacto sive foedere inter se conjuncta sunt, tunc nequaquam, quod per maiorem partem fit, ad uniuersos referri potest, ut inde nimirum aliqua obligatio in eosdem redundet.

§. 12. Egregiè uniuersum hoc argumentum illustrat Joh. Seldenus de J. N. & G. juxta disc. Ebr. l. 1. c. 6. *Nec perperam, inquit, minus, aut minus frustra sic rem aggredieretur, sive Philosophus, sive Jurisconsultus; quàm Medicus faceret, qui sive sanitati tuendæ, sive morbis curandis, quænam essent conducibilia, edocuerit, sive è vulgari hominum vitæ, sive è solennibus epularum lautitibus discenda ea prescriberet. Ut illic habetur ratio gustûs, luxûs, pompæ, non pariter sanitatis, tutelæ aut curatiõis, quarum altera à cibis, altera è medicamentis ex natura sui, nec cupidinarii nec coqui arte, congruis speranda est; ita in Gentium complurium moribus atq; institutis non tam Naturalis Juris simplicitas, quàm ipsarum utilitas spectari est solita. At non raro*

*sidera terrâ  
Ut distant, & flamma mari, sic Utile Recto.  
Ut apud Lucanum Poëtam. Personam Item Natura Consuetudo sepius induit,  
atq; eoque larva fallit, ut quod ex eâ tantum apud Gentes introductum obtinet,*

pro naturali ac Universalis hominum iure subinde sumatur. add. Puff. l. 2. de  
J. N. & G. c. 3 §. 9.

§. 13. Tametsi nolimus id tribuere Consuetudini, quod ingenia humana possit adeo corrumpere, ut illis omnis facultas veritatem agnoscendi adimatur; nonnunquam tamen insolite diu Consuetudo juris & recti speciem mentitur; ut de ejus honestate & veritate saltem dubitare nonnisi perspicacissimis in mentem veniat. Propterea Cicero in Lælio *vetustatis & Consuetudinis maximam vim esse* pronunciat. Et Seneca de tranquill. animæ c. 1. illis pariter rebus, quæ in speciem laborant, & quæ veras vires parant; *constantiam afferre Consuetudinem* concessit. Eandem assuetudinem facere, ut, quæ gravissima sunt, *non sentiamus*, ostendit Ren. des Cartes de pass. animæ, c. 72. Et Zach. Sylvius Præfat. in Gv. Harveii Exerc. Anstora. non dubitavit scribere: *Tantum Consuetudinis femel inducæ vis potest, ut nullis in Barbaria ulla immaniorem potentiam usurpare videatur.* Certum etiam est, quod internis animi motibus, quos concupiscentiæ nomine Theologi complectuntur; creberrimè homines agitentur. Cic. l. 2. Offic. *Voluptates blandissime domine sæpè majores partes animi à virtute detorquent, & dolorum cum admoventur faces, præter modum plerique exterrunt. Vita, mors, divitiæ, paupertas omnes homines vehementissimè permovent.* Pro Coelio. *Voluptates cum incluse diuitiis, & primâ etate compressæ & constrictæ fuerunt, subito se nonnunquam profundunt atque ejiciunt univèrse.* In Cat. Maj. *Divinus Plato escam malorum voluptatem appellat, quod eâ videlicet homines capiuntur, ut hamò pisces.* Unde non est obscurum, quibus rebus efficiatur; ut, licet videant homines meliora, more tamen exæcutientium rapiantur in transversum, & sequantur deteriora. Quod eò frequentius & facilius evenit, cum efficax, sed ambigua & fallax utilitatis species accedit, hominibusque imponit. Etenim utilia sequuntur omnes, sed illi saltem assequuntur, qui rectæ rationi obtemperant. Qui verò affectuum malè compositorum judiciò tenentur, præsentibus ferè tantùm & mox perituris commodis inhiant, & quoniam de futurò parùm solliciti & minus providi, multis & magnis vitiis se contaminant, neglectis honesti rectique rationibus; sed malignæ voluptatis eundem fructum capiunt, quem illi consequuntur, qui inter febriles ardores gelida se ingurgitant & abundè reficiunt, mox verò doloribus exquisitissimis torquentur & pessimè affliguntur.



## CAPUT OCTAVUM

De  
MORALIUM PRINCIPIORUM  
IMMUTABILITATE.

§. II.

**N**X eo, quod constat, naturam humanam ad res alias col-  
latam, esse fundamentum & quasi fontem principiorum  
moralium, consequitur ultrò, ea perpetua & ita esse im-  
mutabilia, ut nullæ rationes inveniri queant, cur ea  
DEUS abolere debeat, velit, aut mutare possit, aut ullâ  
ratione pervertantur. Cum enim natura humanæ sem-  
per una eademque sit conditio, ut intelligendi eligendique facultates eam  
perpetuò consequantur, nequit profecto cum natura rationali consistere,  
quicquid à moralibus principiis aberrat, vel cum illis evidenter pugnare  
deprehenditur. Quamobrem quando dicitur, Jus naturæ ne à DEO qui-  
dem mutari posse, non eò debet accipi, quasi DEI potentia hòc modo in  
angustiam redigatur, quæ immensa est, & in nullâ re, quæ factû possibilis,  
terminari potest; sed illud ideò dicitur, ut intelligatur, quoniam princi-  
pia moralia cum natura rationali nexum habent necessarium, illorum mu-  
tabilitatem sub nullius potentia sphæra contineri, & proinde nec divinam  
potentiam eò sese extendere. Quemadmodum enim rectè dicitur, quod  
ut bis duo non sint quatuor, nulla & ideò nec divina potentia effici queat,  
quoniam in objecto deprehenditur tanta repugnantia, ut omnis potentia  
aptitudo ad illud efficiendum excludatur, quippe quæ in quolibet objecto  
vel justam dispositionem, vel saltem non repugnantiam requirit, & tamen  
propterea nullius defectus potentia potest argui, quando nequit agere,  
deficiente dispositione objecti & non repugnantia; vel quando DEUS ne-  
quit facere ea, quæ fieri repugnat: ita pariter nequit fieri, ut quod à jure  
naturali est præceptum, vetet, aut quod ab illo vetitum est, DEUS præci-  
piat, quoniam rerum natura non permittit, & DEI sanctitati, quod à re-  
rum natura abhorret, pariter adversatur. Benè Rachel. de J. N. §. 48.  
*Est hoc jus aedò firmum & immutabile, ut ne DEUS quidem illud velit aut possit  
immutare. Non vult, quia constanti hòs ordine Societates naturales ejus Pro-  
videntia regere decrevit. Non potest, quia ut hoc jure & ordine actiones huma-  
mane in Societatibus procedant, omnino DEI Justitia est consentaneum, ut si ab  
illo jure recessum fuerit, non possit non violari Justitia divina, quæ, cum DEO es-  
sentialis sit, DEUS sibi met non repugnabit. Multò minus ergò quidquam in his  
mutare*

*mutare poterit homo, quisquis ille fuerit, sive imperans, sive parens, imò ne univ-  
sum quidem genus humanum vel tantillum in iis mutare poterit, etiamsi gigantes  
proterviâ contra DEUM ferociens conspiret.*

§. 2. Quotquot enim homines reperiuntur, quantacunque prædici potestate, quoniam homines sunt, & humanam naturam exuere nequeunt, eandemque non ipsi sibi dederunt & attribuerunt, sed ab omnium rerum Opifice, DEO, acceperunt, & propterea Numini Optimo Maximo sunt obnoxii, pro merito suo arbitrio circa ea, quæ naturæ humanæ per se conveniunt, planè nihil statuere aut disponere possunt. Cum autem Jus naturale ex hominis naturâ rationali & sociali fluat, & illam necessariò consequatur; fieri non potest, ut Jus naturale immutetur. Est quippe naturæ rationalis & socialis essentia immutabilis; hinc & illa, quæ inde fluunt, immutabilia sint. Uti esse rerum, dicente Grôtiô, postquam sunt; & qua sunt, aliunde non pendet, ita & proprietates, quæ esse illud necessariò consequuntur. Unde liquido patere videtur, quod principia moralia non tantum ratione objecti, sed etiam ratione subjecti sint immutabilia, quandoquidem natura rationalis & socialis, quam moralia principia velut proprietates subjectum suum consequuntur, pariter immutabilis est. Nisi forsan malis naturam rationalem & socialem ut fundamentum saltem concipere, ut subjecti ratio tantum in singularibus vel individuis, quæ mutationi sunt obnoxia, locum habeat.

§. 3. Ad hæc jus naturale ad essentialem DEI Justitiam & sanctitatem quadantenus expressum est; ut sit ejus quædam participatio. Dico quadantenus, quoniam non parum discriminis inter divinam & humanam Justitiam deprehendit ratio nostra. Si verò concederetur, Jus naturale mutari posse, essentiali DEI sanctitati & justitiæ aliquid derogaretur, imò utraque everteret, quod factum est impossibile. Et quia DEUS à suâmet ipsius justitiâ, & semetipso deficere non potest, palam est, quod nec DEUS Jus naturale mutare possit. Si verò DEUS mutaret Jus naturale, faceretq; ut quod intrinseca ratione malum, non sit malum, & bonum, non sit bonum, deficeret Deus à suâ justitiâ & sanctitate, quod non magis à DEO fieri, quam ab eodem permitti potest, ut ab aliis ejus sanctitas & justitiâ evertatur. Ex quibus efficitur, principia moralia & intrinsecè & extrinsecè immutabilia esse. Cæterum bene notat Thomas 1. 2. q. 94. art. 5. in corpore, quod lex naturalis possit intelligi mutari dupliciter. Uno modo per hoc, quod aliquid addatur. Et sic nihil prohibet legem naturalem mutari; multa enim supra legem naturalem superaddita sunt, ad humanam vitam utilia, tam per legem divinam, quam per leges etiam humanas. Alio modo potest intelligi mutatio legis naturalis, per modum subtractionis, ut scilicet aliquid desinat esse de lege naturali, quod prius fuit secundum legem naturalem. Sic, quantum ad prima principia

*legis naturæ & lex naturæ est omnino immutabilis. Quantum autem ad secunda præcepta, quæ diximus esse quædam quasi proprias conclusiones, propinquas primis principiis, sic lex naturalis non immutatur: quia ut in pluribus sit rectum semper, quod lex naturalis habet: potest tamen mutari in aliquo particulari, & in paucioribus, propter aliquas speciales causas, impediens observantiam, talium præceptorum.*

§ 4. Accuratè tamen hic distinguendum est inter ipsum Jus naturale, ejusque objectum aliasque circumstantias. Cum Jus naturale diximus esse immutabile, non negamus ejus objectum & circumstantias alias sive actus ipsos, de quibus constituit Jus naturale, mutari posse. Sic immutabile est Juris naturalis mandatum: Solve, quod debes. Si verò creditor id, quod debeo, acceptum ferat, tunc solvere non teneor, non quod Jus naturæ mutatum sit, aut desierit præcipere, solve quod debes, sed quia objectum est mutatum, & quod debebam, deberi desit. *Huc oppositè quadrat illud Arriani apud Epictetum: non sufficit, ut debeatur pecunia, datam esse mutuam, sed oportet, ut & maneat adhuc indissoluta mutui obligatio.* Optimè Cicero l. i. off. scribit, & hanc rem egregiè illustrat. *Sed incidunt, inquit, sæpe tempora, cum ea, quæ maximè videntur digna esse justo homine, eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntq; contraria: ut, non reddere depositum, etiam ne furioso promissum facere, quæque pertinent ad veritatem & ad fidem, ea negare interdum, & non servare sit justum.* Referrì enim decet ad ea, quæ proposui in principio, fundamenta justitiæ: primum, ut ne cui noceatur: deinde, ut communi utilitati serviatur. *Ea cum tempore commutantur, commutatur officium, ut non semper sit idem. Potest enim accidere promissum aliquod, & conventum, ut id effici sit inutile vel ej, cui promissum sit, vel ej, qui promiserit. Vid. plura d. l. ad hanc rem pertinentia.* Eodem sensu scribit Ambrosius l. i. off. c. ult. *Officium est, depositum servare ac reddere. Sed interdum commutatio fit aut tempore, aut necessitate, ut non sit officium, reddere, quod acceperis.* Idem ibidem: *Noverint officiorum tempora, quod majus, quod minus sit, quod cuique aptum tempori; & ut id solum sequantur, quod honestum est; sanè ubi duo honesta, id quod honestius est, præponendum putent: hi jure benedicti.*

§ 5. Hæc, qui penſi habere neglexerunt, mutationis imaginem sive speciem pro verâ mutatione acceperunt. Inde natæ sunt sequentes rationes, quibus in jure naturali, mutationem factam esse contendunt. Dicunt enim Abrahamo à Deo præceptum esse homicidium, Gen. XXII. In Samſone *αυτοχενεια* permissam Jud. XVI. 28. Israelitis furtum Ex. XI. & XII. Oſæ c. i. fornicationem & 3. c. adulterium; Mendacium ab obstetricibus commissum Exod. I. jussum & probatum esse. Quoniam autem jure naturali fornicatio, adulterium, furtum, homicidium, *αυτοχενεια*, mendacium prohibita sunt, consequens est, quod per contraria illa DEI præcepta Jus naturale mutatum sit.

§. 6: Sed

§. 6. Sed istos, qui hoc modo colligunt, decepti mutationis species, ut putarent, esse mutationem, ubi nulla est. Homicidium enim tum deum inter actus jure naturali prohibitos numeratur, quando privato ausu ex vindictæ cupidine suscipitur. Etenim nullus homo in alterius vitam jus habet, ut eam alteri pro arbitrio suo adimere possit. Neque laessito ab altero in certamen descendere; neque offenso injurias ulcisci concessum est. Nam præterquam quod difficile sit, in causâ propriâ justam dicere sententiam, nusquam desunt, in quorum potestate ac officio est positum, offensas vindicare & controversias dirimere. Quodsi ergo cædes humana, publicâ auctoritate, in poenâ committitur, non est actus prohibitus, sed potius præceptus à jure naturali. Etenim ab illis committitur, quibus ex delicto in aliorum vitam jus competit. Proinde quando DEUS pro auctoritate suâ & dominio summò, quod in hominum vitam habet, tentandi causâ, Abrahamo præcepit homicidium, nil præcepit, quod juri naturali adversum est, adeoque malè hinc colligitur, jus naturale mutatum esse. Samson verò non ex animi mollitie mortem oppetiit, sed ex generoso & divino impetu perire maluit cum internecione Philistæorum, quam in probum Religionis vivere. Unde Ebr. XI. 32 33. inter sanctos tanquam exemplar fidei celebratur. Egregie philosophatur Hipponensis Episcopus l. i. de Civit. DEI, cujus cap. 21. integrum ad hoc argumentum pertinet. *Quosdam, inquit, exceptiones eadem ipsa divina fecit auctoritas, ut liceat hominem occidi. Sed his exceptis, quos DEUS occidi jubet, sive datâ lege, sive ad personam pro tempore expressâ jussione. 1. Non autem ipse occidit, qui ministerium debet jubenti; sicuti adminiculum gladius est utendi. Et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quò dictum est, non occides. 2. Qui DEO auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secundum ejus leges, h. e., justissimæ rationis imperium, sceleratis morte punierunt. 3. Et Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus est nomine pietatis, quod voluit filium nequaquam sceleratè, sed obedienter occidere. Et meritò queritur, utrum pro jessu DEI sit habendum. 4. Quod septe filiam, quæ patri occurrit, occidit, cum se immolaturum DEO id vovisset; quod ei redeuntis de prælio victori primitiis occurrisset. Nec Sampson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit: nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat. His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ DEUS specialiter occidi jubet, quisquis hominem vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur. Eundem in sensum differit c. 26. unde sequentiâ verba juvat producere: *Sed quedam, inquit, sanctæ femine tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitie devitarent, in rapturum atque necaturum se flumen projecerunt: eoque modo defunctæ sunt, earumque martyria in Catholica Ecclesiâ veneratione celeberrimâ frequentantur.**

*De his nihil audeo temerè judicare. Utrum enim Ecclesiæ aliquibus fide dignis te-  
 stificationibus, ut earum memoriam sic honoret, divina persuaserit auctoritas,  
 nescio; & fieri potest, ut ita sit. Quid si enim hoc fecerunt non humanitatis de-  
 ceptæ, sed divinitus jussæ: nec errantes, sed obedientes: sicut de Sampsonè aliud  
 nobis fas non est credere? Cum autem DEUS jubet, seque jubere sine ullis amba-  
 gibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obsequium pietatis accuset?  
 Neque jubente DEO sibimet mortem accersere, à moralibus principiis  
 alienum est. In obstetricibus non est probata fallacia, sed misericordia in  
 homines DEI, benevolentia & benignitas animi. Huc accedit, quod fe-  
 fellisse dici nequeat, qui prudenter adhibitò innoxie fictionis artificiò, id  
 consecutus est, ut alter actum malum & turpem, quem sibi proposuerat,  
 intermiserit, alter verò miseriam, quæ ex alterius crudeli consiliò ipsi im-  
 minebat, evitaverit. Neque magis ex eo, quod à DEO præceptum est  
 Israëlitis, ut vasa Ægyptiorum secum auferrent, furtum demonstrari po-  
 test. Ut enim furtum committatur, necesse est, rem alienam auferri pro-  
 priò ausu, non accedente mandatò illius, qui jus in rem habet. Quoniam  
 autem DEUS omnium supremus Judex est, & in hominum bona æquè ac in  
 ipsos homines summum jus habet, manifestum est, quod illi, qui mandatò  
 DEI Ægyptiorum bona secum abstulerunt, furtum non commiserint.  
*Acutè Scotus Lib. III. dist. 37. ad Petr. Lomb. quæst. I. hanc in rem disserit: Filii  
 Israël non acceperunt simpliciter alienum: tum quia DEUS erat superior Domi-  
 nus, & potuit transferre dominium illarum rerum in eos, etiam invitis inferiori-  
 bus Dominis. Et hoc modò non peccavit Christus licentians (permittens) in por-  
 cos intrare demones, qui statim præcipitati sunt in mare: non enim injustè priva-  
 vit illos porcis suis: tum etiam, quia filii Israël serviendo Ægyptiis meruerant  
 tantà recipere, licet Ægyptii nolent ea reddere: & tunc per superiorem Judicem  
 potuerunt compelli, de cujus licentiâ filii Israel potuerunt justè & licitè accipere.*  
 Hoseam quod attinet, non debet existimari, scortationes aut adulteria ab  
 illo fuisse commissa: sed sunt illa nomina ejus uxori imposita, ad spirituales  
 scortationes Genti Israëliticæ exprobrandas. Vid. Luth. præf. in Hof.*

§. 7. Neque est, quod quis ex eo Juris naturalis mutabilitatem arguat,  
 quoniam suam præcipuam obligandi vim à DEO, tanquam Autore, dedu-  
 cit, ut quemadmodum Princeps legem à se latam mutare potest; ita etiam  
 DEUS illas leges, quæ ab ipso tanquam Autore procedunt, mutare, illarum  
 obligandi vim suspendere, relaxare, adeoq; dispensare posse videatur. Si-  
 quidem duplici modò fieri potest, ut lex à DEO procedat. Primò quod  
 DEO ita nudè & simpliciter placeat; secundò, quod legis objectum ita re-  
 quirat, ut si secus vel aliter per leges disponatur, naturalis honestas viole-  
 tur. Jus naturale non priori, sed posteriori modò à DEO procedit. Sunt  
 enim quidam actus, qui ex se & ratione sui decerit vel dedecent, inde per se

honesti

honesti vel turpes dicti, & ideo per legem naturalem a DEO vel mandati vel prohibiti, non autem contra, quia mandati, ideo honesti & boni; quia prohibiti, ideo mali & turpes: hoc enim non in illis, quæ sunt legis naturæ, sed in aliis, quæ positivi sive arbitrarii juris sunt, obtinet. Idem solent indigere, qui docent, actuum moralitatem, h. e. naturalem honestatem & turpitudinem in puncto rationis seu nostro concipiendi modo ad voluntatem DEI antecedenter sese habere. Ex quibus insimul apparet, quæ ratio sit discriminis, quod Princeps leges suas mutare, naturales verò ne DEUS quidem mutare possit. Nam Principis leges positivæ circa indifferentia versantur, de quibus pro arbitrio statuere potest. Leges verò naturales non circa indifferentia, sed quæ naturâ bona vel mala sunt, occupantur. De his verò, si Deus contraria præciperet, à sua sanctitate & justitia, atq; adeò à se ipso deficeret, quod in eorum numero haberi debet, quæ fieri repugnat.

§. 8. Nonnullis confusio Juris naturalis cum libertate naturali aliquam mutationis factæ speciem objecit. Ad libertatem naturalem pertinet venandi licentia, quam naturâ omnibus æqualiter indulsit. Hanc verò libertatem jure civili positivo vehementer circumscriptam esse, nemo ignorat. Cum jam juri naturali per positivum hęc modò detractum sit, illud mutatum esse colligitur. Enim verò quæ libertatis naturalis sunt, protinus etiam pro jure naturali propriè dicto haud quicquam haberi debent. Quoniam tamen ex quâdam loquendi consuetudine jus naturale & libertas naturalis promiscuè adhibebantur, & frequenter juris naturalis formula etiam alia denotabantur, quæ ad jus naturale strictè sumtum non pertinent; ideo distingui cœpit in obligativum, seu præceptivum & permissivum, ut hoc cum libertate naturali, illud verò cum principiis moralibus coincidat. Exemplum allatum de venatione ostendit, quod juri naturali permissivo saltem, non obligativo, per jus civile detractum sit, & adeò principiis moralibus immutabilitas sua illæsa & inconcussa relinquatur. Cæterum ex Isidori lib. Etymolog. idem dubium, de libertate & communi omnium possessione jure naturali concessa, & per leges humanas sublata, etiam Thomas Aquinas movet, idq; hęc modò discutere allaboravit. *Dupliciter, inquit, aliquid de jure naturali dici potest. Uno modo, quia ad hoc natura inclinatur, sicut non esse injuriam alteri faciendam. Alio modo, quia natura non inducit contrarium, sicut possemus dicere: quod hominem esse nudum, est de jure naturali, quia natura non dedit ei vestitum, sed ars adinvenit, & hęc modò communis omnium possessio & omnium una libertas dicitur esse de jure naturali: quia scilicet distinctiones possessionum & servitus non sunt inducæ à natura, sed per hominum rationem ad utilitatem humane vitæ, & sic etiam in hoc lex natura non est mutata nisi per additionem.*

§. 9. Pro mutabilitate principiorum moralium illud etiam urgeri so-

let



let, quod lex naturæ possit ex corde humano aboleri, quandoquidem in multis lex gratiæ tollitur, quæ legē naturæ est efficacior. Sed Thomas Aquinas respondet, quod, licet gratia sit efficacior, quam natura, homini tamen sit natura *essentialior*, & ideo magis permanens. Deinde ostendit, quod ad legem naturalem pertineant, *primò quidem, quedam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota; secundariò autem quedam præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis.* Quantum ergò ad illa principia communia, lex naturalis nullò modo potest à cordibus hominum deleri, in universali: deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium, ad particulare operabile, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem, ut supra dictum est. Quantum verò ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum: vel propter malas persuasiones, (eo modo, quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias) vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos: sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam contra naturam, ut etiam Apostolus dicit ad Rom. 1.

§. 10. Neque colligi potest, principiorum moralium mutationem factam esse, cum jure civili nonnullarum obligationum naturalium vis penitus sublata videtur, quia omni positivi juris præsidio destituuntur, & multa juris cujusdam autoritate introducta sunt, quibus nullus locus esset concedendus, si moralia principia suam vim obtinerent haud quicquam temerariam. Etenim obligatio, quæ ex accepto beneficio gignitur, & ad *artidocæ* devincit, jure civili abrogata videtur, quandoquidem adversus ingratum nulla datur actio. Sic juris cujusdam auctoritatem acceperunt Præscriptio seu Usucapio, pluralitas votorum, primogenitura. Quoties in contractibus, emtionibus & venditionibus principia moralia violentur, in foro tamen civili nullâ poenâ vindicari soleant, peculiari libello exposuit meritissimus Ahasverus Fritschius. Quamvis talia eveniant frequentissimè, manent tamen moralia principia immutabilia. Non enim protinus aboletur & perimitur, quod præsidio destituitur & non vindicatur. Vivitur enim non in Platonica quâdam civitate, sed in fæce Romuli, cujus perfectionem optare ac cognitione concipere, sed nunquam efficere & assequi licet. *Quamobrem prudenter monet Jac. Thomafius in Annot. 153. ad Phil. Pract. Boni Politici esse, altero oculo statum naturalem, altero vires subjecti præsentis intueri, ut pro diversa subjecti dispositione aut, ut ita loquar, patientiâ, rigorem illum speculationum temperet.* Etenim multum ingeniis & imbecillitatibus hominum dandum & indulgendum est, atq; rixarum evitandarum causâ non pauca perferre, ac ut introducantur, permittere cogimur. Denique pudori & conscientiæ relinquuntur, quæ civilibus Juribus sunt prætermissa. *Benè Seneca 3. benef. Cum res honesta sit referre gratiam, desinit honesta esse, si necessaria est, b.e. si exigui actione potest.*

§. 11. Quod ad prima Fratrum & Sororum itemque Patriarcharum conjugia hic opponi solita pertinet, illa nullam evincere possunt mutacionem principiorum moralium. Cum enim aliâ ratione genus humanum propagari non posset, finis talia media postulabat & determinabat. Multiplicato autem genere humano utile ac conveniens est, ut diversarum necessitudinum vinculis homines connectantur, & hæc ratione socialis vita diligentius colligetur, charitas & concordia latissimè propagetur. Pater quippe & socer duarum sunt necessitudinum nomina. Ut ergo alium quisq; habeat patrem, alium socerum, numerosius se charitas porrigit. Utrumque autem in Adam esse cogebatur & filiis & filiabus suis, quando fratres sororesq; commixta jungebantur. Sic & Eva uxor ejus utriusque sexui filiorum, fuit & socrus & mater. Quæ si due femine fuissent, mater altera & socrus altera copiosius se socialis dilectio colligaret. Ipsa denique jam soror, quod etiam uxor fiebat, duas tenebat una necessitudines: quibus per singulas distributis, ut altera esset soror, altera uxor hominum numero socialis propinquitatis augetur. Sed hoc unde fieret, tunc non erat, quando nisi fratres & sorores ex illis duobus primis nati homines erant. Fieri ergo debuit, quando potuit, ut existente copiâ inde ducerentur uxores, quæ non erant jam sorores: & non solum istud ut fieret, nulla necessitas esset, verum etiam si fieret, nefas esset. Nam etsi nepotes primorum hominum, qui jam consobrinas poterant accipere conjuges, sororibus matrimonio jungerentur: non jam due, sed tres in homine uno necessitudines fierent, quæ propter charitatem numerosiore propinquitate nettendam, disseminari per singulos singule debuerant. Ita hanc rem illustrat Aurelius Augustinus de Civit. DEI l. 1. c. 16. quò locò plura huc pertinentia reperiri poterunt. Bene Michaël Ephesius ad l. 5. Nicom. Fratrem cum sorore concubere res media erat ab initia; at lege adversus tales concubitus posita, jam multum refert, observetur Lex, nec ne. Polygamia vel fuit communis quædam labe in Patriarchis à DEO tolerata, vel per dispensationem admissa, quoniam Polygamia non legi naturali, sed positivæ in mundi primordiis promulgatæ saltem refragari nonnullis creditur. Vid. Tubing. Cancellarius, J. A. Oslander in Typo Legis Nat. p. 210. Ubi pro hac sententia laudat D. Hülsemannum & D. Nicolai, nec non M. A. de Dominis, qui inter alia mysteria, etiam hoc præceptum de duobus in carne una, in eo sopore, quò Adama correptus fuit, ei revelatum fuisse conjicit. De qua opinione ut constet rectius, ipsa verba Marci Antonii de Dominis ex l. 5. c. 11. de Rep. Eccles. producemus. Jure, inquit, nature licet cuique homini non conjugato, conjugium intrare, nec humana potestas efficere potest, ut id non liceat; in incundo tamen conjugio & contractu ipso conjugii celebrando potest & civilis potestas tales conditiones & leges pro bono communi apponere, ut etiam nulla & irrita fiant conjugia in tali, vel tali particulari, modo ne in genere auferat cuique non conjugato, fa-

cultatem & libertatem conjugii ineundi : quia hæc facultas, ut dixi unicuique, jure naturali est concessa. Ut autem unus non nisi cum una contrahat & copuletur, idq; indissolubiliter, ac in perpetuum, vel certè jure divino naturali, in humana natura id præcipitur ; vel ut mihi probabilius videtur, jure divino positivo. In eo sopore, quò Adam correptus est, ei profectò varia revelata sunt mysteria: anum fuit, quale inter homines, sive divinâ jussione, sive naturali etiam hominis rationalis propriò instinctu, ut rationalis est, à brutis distinctus, debeat esse vinculum contractus humani, matrimonialis, ut unus videlicet uni copuletur, consortio indivisibili, quod tale sit, ut omne aliud humanum etiam naturale consortium, inter filios & Parentes separetur, ut conjugale hoc consortium conservetur ; & hoc Adam expergefactus, visacoram semuliere, quam nunquam antehac viderat, quod sibi revelatum fuerat, effatus est. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea ; hæc vocabatur virago, quoniam de viro sumta est. Quamobrem relinquet homo Patrem suum & Matrem, & adheret uxori sue, & erunt duo in carne una. Hæc Adam spiritu divino instructus protulit, rationem veri & perfecti humani conjugii exprimens, ut sit inter duos tantum, & perpetuum ac indissolubile. Et quia DEO revelante, hæc pronunciabat Adam, ideo Christus hæc verba, quamobrem relinquet &c. à DEO dicta tunc fuisse asserit.

§. 12. Invitâ ratione videntur argumentari, qui ex eo, quod DEUS ex nihilo aliquid producere potest, illud inferunt, quod DEUS etiam è moraliter bono queat efficere malum, & è moraliter malo efficere bonum, adeoque moralia principia immutare. Nam prius arguit DEI omnipotentiam, ut reliquis attributis divinis haud quicquam detrahatur. Posterius verò quantumvis ad omnipotentiam DEI referri posset, quod quidem quemadmodum fieri nequeat, supra ostensum est, tamen divinam sanctitatem apertè diminueret ac contaminaret, cujusmodi pugna & diversitas in divinitate simplicissima ne cogitari quidem debet.

§. 13. Hæc immutabilitas efficit, ut non tantum hominibus omnis dispensandi facultas hic adempta sit, sed ne DEUS quidem ipse moralium principiorum vim & efficaciam suspendere velit aut possit. Secus enim, observante Sam. Rachelio de J. N. §. 53. saltem interdum & certis casibus, DEUS sui juris, imò sue justitie effectum impediret, id quod est absurdum, & contradictionem quandam implicat, dicere, DEUM esse, & tamen ejus attributum essentialè, saltè quibusdam casibus, cessare atque expirare: quod perinde est, ac si dicas, DEUM istis casibus DEUM non esse. Fieri ergo nequit, ut principia moralia mutantur, quantumvis ejus & efficacia &

veritas ab hominum injustitia nonnunquam detineatur,

CAPUT NONUM

De

MORALIUM PRINCIPIORUM  
ÆTERNITATE,

§. 1.



Uamvis accuratè & propriè loquendo tunc demum principia moralia homini innotescunt, & cum effectu quasi proponuntur & promulgantur, quando ratio se vindicat & exerit, ut possit inter bonum & malum discernere; æterna tamen non immeritò dicuntur & habentur, tum quia sunt immutabilia, tum quia in divino intellectu ab æterno fuerunt.

§. 2. Quod immutabilia sint moralia principia, superiori capite satis, ut opinor, demonstravimus. Quoniam verò immutabilitatem necessario comitatur æternitas, non ambigimus, etiam moralia principia æterna cognominare. Id saltem superest, ut ostendamus, quò sensu & modo principis moralibus æternitas conveniat. Quod DEUS sit & dicatur æternus, quia est omninò immutabilis, ut ei repugnet incipere & desinere, aliunde constat. Quamvis moralia principia etiam sint immutabilia; quia tamen immutabilitatis modus, quem principis moralibus assignavimus, ab eo, qui Deo competit, est diversus, facillè intelligi potest, quod neque æternitas, una eademque ratione, Deo & principis moralibus possit attribui. Primò autem liquidissimum est, quod sicut ipsa natura rationalis & socialis à Deo dependet; ita etiam omnis necessitas, immutabilitas, & æternitas moralium principiorum, quorum fundamentum est natura rationalis & socialis, pariter à Deo dependeant. Deinde Deus, uti prorsus est independens; ita non potest non per essentiam suam actu semper existere. Sed idem de moralibus principis affirmari nequit. Cum enim naturæ humanæ talis sit conditio, ut potuisset non esse, nihil prohibet, quò minus asseramus, etiam moralia principia non existere potuisse. Quorum intuitu scribit Puffendorfius de J. N. & G. l. 1. c. 2. §. 6. *dictum illud, quod multis in ore est: præcepta juris naturalis esse æternæ veritatis; ita limitandum, ut ne ista æternitas ultra impositionem divinam, aut originem generis humani protrahatur.* Cæterum non diffitemur, quod æternitas, quæ legi naturæ attribuitur, ex oppositione legum positivarum, quæ mutationi subjectæ sunt, æstimari verè possit & debeat; non tamen dubitamus, quin latius queat extendi & urgeri fortius. Nam reperiuntur, qui existimant, etiam tum, quando nostræ

Civitates & cum illis leges positivæ esse desinunt, moralia principia locum adhuc obtinere, ac per illa non minus beatos, in gloria, quam damnatos obligari. Certè non leves rationes in promptu sunt, quibus hanc sententiam confirmant. Adest enim in beatis & damnatis natura humana, ex qua moralia principia necessario fiunt. Adest ratio, cujus ope moralia principia investigari possunt. Unde Vir doctissimus, Jo. Fechtius, in consideratione status damnatorum, §. 121. non dubitavit scribere: *Quemadmodum ergo damnati facere non possunt, ne sint à Deo creati, à Christo redempti, à Spiritu S. sanctificati, adeoque infinitis & inestimabilibus beneficiis à Deo, Triuno affecti: ita facere non possunt, quin agnoscant, huic se Domino, huic benefactori, ad infinitum & interminabilem honorem & affectum obstringi. Aut ratio in inferno desinat ratio esse, necesse est, aut ita colligat, oportet. Quir sit ita, pœnarum atrocitate obruta & confusa, non colligeret, ita tamen colligere citra omne dubium deberet, quod sufficit, ad legem faciendam & inducendam obligationem.* Idem ex moralium principiorum immutabilitate aliisque rationibus deducit & colligit, ea non cessare, in inferno damnatos & beatos in gloria constitutos obligare. Ex quo efficitur, quod moralia principia non desinant actu existere, non quidem ideò, quod ex sua natura nequeant desinere, sed quia Deus ita ordinavit, ut homines post hanc vitam perpetuitas sequatur, & nulla mors illos perimat. Præterea observandum est, quod moralibus principiis æterna veritas convenientiæ seu attributionis ratione assignari solet. Distinguunt enim inter prædicati convenientiam ad subjectum, & inter prædicati inexistentiã in subjecto: vel, ut planius loquamur, discrimen faciunt inter prædicatum, quod de subjecto verè affirmari, & ei semper attribui potest ac debet, licet subjectum actu non existat, & inter prædicatum, quod in tali subjecto, verè & actu existente, quoque actu & verè existit. Cujus distinctionis usus in questione de necessitate propositionum primi & secundi modi per se valde frequens ac conspicuus est. Licet nullum esset animal, vera tamen esset propositio, animal est corpus, & licet nullus esset homo, vera tamen esset propositio, homo est capax doctrinæ. Proinde necessariæ ac æternæ veritatis forent illæ propositiones, ratione convenientiæ & connexionis seu attributionis, non verò ratione inexistentiæ. Idem ad moralia principia potest applicari. Jam quidem omni homini verè & actu insunt. Licet autem nullus existeret homo, ut etiam ante originem generis humani nullus extitit, ejusmodi tamen subjectum homo est, ut ei obligatio, quam moralia principia involvunt, non possit non convenire, seu non attribui. Dicis: Ut in propositionibus, v.g. in principiis moralibus locum inveniat æterna veritas, necesse est, ut nitatur identitate extremorum reali, adeoque existat verè subjectum, quod sit æternum. Enim verò, ut veritas requi-

requirat identitatem extremorum, non tamen necesse est, ut extrema existant verè & actu. Nam identitas revocatur ad unitatem, cujus ratio formalis in negatione consistit, ut identitas nihil aliud sit quàm negatio diversitatis. Quemadmodum autem negationes existunt per solam non existentiam eorum, quæ negantur; ita non necesse est, ut quærat ali- quid positivum, vel actu existens, in quo fundetur identitas. Ita disputat Petrus Fonseca l. 5. Metaph. c. 5. qu. 1. l. 4. quem sequitur Christophorus Scheiblerus Metaph. c. 18. punct. 18.

§. 3. Huc accedit, quod ea sit immutabilis divinæ essentiae ratio, ut quicquid cognoscit & decernit; ab æterno cognoscat & decernat, quoniam aliter suam immutabilitatem integram & illaem servare non potest. Constat autem, quod DEUS & cognoscat principia moralia, & ut homo per ea dirigatur, serio velit. Dubitari ergo non potest, quin DEUS ab æterno principia moralia cognoverit, & ut juxta illa homo vivat, h. e. & cujuscunque rei & suæ naturæ convenienter homo se gerat, decreverit. Uti enim ab æterno fuit in DEO ratio sive idea, secundum quam in tempore homo crearetur; ita etiam est jam ab æterno in DEO ejusmodi norma & ratio, secundum quam dirigatur & gubernetur. Siquidem fieri non potest, ut Ens sapientissimum non agat omnia sapientissimè. Bene Thomas Aquinas 1. 2. qu. 93. art. 1. in corpore. *Sicut in quolibet artifice præexistit ratio eorum, quæ constituuntur per artem, ita etiam in quolibet gubernante oportet, quod præexistat ratio ordinis eorum, quæ agenda sunt per eos, qui gubernationi subduntur, & sicut ratio rerum fiendarum per artem vocatur ars, vel exemplar rerum artificiarum: ita etiam ratio gubernantis actus subditorum, rationem legis obtinet. DEUS autem per suam sapientiam conditor est universarum rerum, ad quas comparatur, sicut artifex ad artificata. Est etiam gubernator omnium actuum & motionum, quæ inveniuntur in singulis creaturis. Unde sicut ratio divine sapientie in quantum per eam cuncta sunt creata, rationem habet artis vel exemplaris vel idea: ita ratio divine sapientie moventis omnia ad debitum finem, obtinet rationem legis. Et secundum hoc lex aeterna nihil aliud est, quàm ratio divine sapientie, secundum quod est directiva omnium actuum & motionum.* Nec est, quamobrem aliquis hoc loco urgeat, rationem à rebus, tanquam à mensurâ determinari ac dirigi, ut tum demum intellectus bene se habeat, quando res ipsas sequitur, & cum illis convenit. Alia enim ratio est intellectus divini, alia humani. Intellectus humanus mensuram accipit à rebus, adeo, ut conceptus humani intellectus non sit verus propter se ipsum, sed quia cum rebus consonat. In tantum ergo vera vel falsa est hominis opinio, in quantum res ita se habent, aut aliò modo sunt dispositæ. Sed intellectus divinus est mensura rerum, quia unaquæq; res in tantum habet de veritate, in quantum imi-

natur intellectum divinum, & idem intellectus divinus est verus, secundum se. Unde ratio eius est ipsa veritas. Thomas 1. 2. qu. 93. art. 1. ad tert.

§. 4. Quamobrem sapientibus inter Gentiles perinde valet, secundum DEUM vivere & DEUM sequi, atque vivere secundum naturam & secundum rationem. Ita enim scribit Hierocles in comment. ad carmina aurea Pythagoræ: *Est verò idem Rationi recte parere atque DEO. Natura enim, quæ rationis est particeps, illuminationem sibi sortita, ea amplectitur, quæ præfinit Lex divina. Nec discrepat à DEI sententia animus, qui secundum DEUM se habeat, sed divinitati atque fulgori (à quo illuminatur) intentus ea facit, quæ facit.* Consentit Cicero l. 2. de legibus: *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingenis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam & ultimam mentem dicebant omnia ratione, aut cogentis aut vetantis DEI.* Item: *Nec si regnante Tarquinio nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretii Tricipitini filie attulit. Erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad recte faciendum impellens, & à delicto avocans, quæ non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est. Orta autem est simul cum mente divina. Quamobrem lex vera atque princeps apta ad iubendum & ad vetandum ratio est recta summi Jovis.* Apud Lactantium Instit. Divin. l. 6. c. 8. de moralium principiorum æternitate ita Tullius penè divinâ voce, Judice ipso Firmiano, iterum differit: *Est quidem vera lex, recta ratio nature congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium iubendo; vetando à fraude deterreat: quæ tamen neque probos frustra jubet aut vetat, neque improbos iubendo aut vetando movet. Huic legi neque obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet. Neque tota obrogari potest. Nec verò aut per Senatam, aut per populum solvi hæc lege possumus. Nec est querendus ejus explanator aut interpretis alius. Non erat alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac. Sed & omnes Gentes & omni tempore una lex & sempiterna & immutabilis continebit, uniusque erit communis quasi Magister & Imperator omnium DEUS. Ille Legis hujus Inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, & naturam hominis aspernabitur. Hæc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera, quæ putantur, effugerit.* Adde Commentarium ad h. l. Xyphi Betuleji. Augustinus Steuchus de perenni Philosophia l. 8. c. 7. calculum suum adjicit: *Eadem, inquit, si quis velit, ex Marco Tullio; quem ego Romæ non modò facundie, sed etiam cum Varone Philosophiæ Principem libenter predicaverim, præcipue quod ferme, quæ apud Philosophos Græciæ scripta reperisset, cum delecta & judicio suo, Romana lingua expressit, deducet. Est apud eum supremi DEI sæpèmmè confessio, quem modo vocat, ut dixi, supremum: Animum, inquit*

in le-

in legibus, generatum esse à supremo DEO. Nunc appellat mentem divinam, nunc summum Jovem. Orta, inquit, simul est lex cum mente divina. Quamobrem lex vera atque princeps ad jubendum & ad vetandum ratio est reſaſummus Jovis. Ortam dicit cum Mente divina, i. e. æternam, comitem æterni DEI sapientiam: modo Platonem secutus in Timeo mundi procreatorem, qui animam ex sua mente & divinitate genuisset, &c. In quâ sententiâ cum Philosophis consentiunt Pharisei seu Talmudici, quod testatur Jo. Seldenus de J. N. & G. l. I. c. 2. Quemadmodum, inquit, apud Stoicos, uti etiam alios aliquot, obtinuit illud secundum naturam & rationem, id est, reverà secundum naturam atque rationis humanam parentem seu Deum vivendum; ita etiam apud Phariseos seu Talmudicos, secundum normam ab ipso natura Parente humano generi sive inditam sive indicatam, juxta ea, que inferiis sequuntur, vitam mortalium cuique ex obligatione esse transigendam. Quod sanè dogma ipsam, quam tractamus disciplinam, & jus omnium commune generatim complectitur.

§. 5. Hæc ratio in DEO hominum actiones dirigendi appellari solet lex DEI æterna, sed partialis, sed vulgò describitur non incongruè per Judicium intellectus divini practicum, quò DEUS cognoscit, quænam cum hominis naturâ rationali & sociali conveniunt vel non conveniunt, cum decreto ea faciendi vel omittendi. Benè Adrianus Heerboord Disp. Phil. 40. de lege æterna §. 2. Cum omnis gubernandi norma generali sensu lex dicatur, non malè quoque æternam istam, de mundi regimine, rationem, in & à divinâ mente conceptam, Legem appellamus, & quidem æternam, quia mens divina nihil novum in tempore concipit, sed æternum habet de rebus omnibus conceptum, neque enim DEUS primum post conditum mundum de ejus economia cogitavit, sed ab æterno, uti rerum creationem decrevit, ita creaturarum gubernationem disposuit.

§. 6. Ut autem homo per illam legem DEI æternam seu ideam & rationem in DEO dirigi possit, necesse est, ut ipsi innotescat. Homini ergò proponitur & promulgatur lex æterna hòc ipsò, quò divinitus naturam intelligentem accepit, per quam cognoscere & dijudicare potest, quæ sint humanæ dignitati consentanea & honesta, vel dissentanea, turpia & indecora, ut illa sectetur, hæc verò fugiat. Et hæc est ipsa naturalis lex, quæ id propter participatio & expressio quædam legis æternæ dicitur.

§. 7. Quædam saltem participatio & expressio legis æternæ dicitur, ut indigetur, non ad solas actiones humanas legem DEI æternam refringi, adeoque lege naturali latius patere,

§. 8. Ita enim dirigit DEUS actiones hominum, ut cæteras creaturas non negligat, sed insimul & aliarum rationem habet, atque omnes & singulas in finem cuique convenientem dirigit. Sicuti autem nunc

actu



actu eas gubernat & dirigit, ita etiam ab æterno decrevit; ut ab æterno in DEO fuerit ratio & idea omnes creaturas, modo cujusvis naturæ congruo, gubernare. Hinc in latitudine sua describitur lex DEI æterna, quod sit iudicium intellectus divini practicum de illis, quæ cujuslibet rei naturæ conveniunt, cum decreto, ut fiant, & contra. Nec diversum quid significat Definitio Valentini Alberti Comp. J. N. proleg. §. 11. Lex æterna nihil aliud est, quam norma actuum divinorum, quam ob convenientiam cum intellectu suo practico in regimine mundi adhibere ab æterno decrevit DEUS. Etenim ab æterno decrevit DEUS, res quas-cunque naturæ suæ convenienter regere, idque perficit in tempore, ut ab illo suo decreto, tanquam norma, in regimine hujus universi, nullâ possit ratione deficere. Ex quo sequitur, nihil rationem legis habere, quod non ex lege æterna derivetur. Benè Thomas 1. 2. qu. 93. art. 3. in corpore. *Cum ergo lex æterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est, quod omnes rationes gubernationis, que sunt in inferioribus gubernantibus, à lege æterna deriventur. Hujusmodi autem rationes inferiorum gubernantium sunt quæcunque aliæ leges, præter æternam: Unde omnes leges in quantum participant de ratione recta, in tantum derivantur à lege æterna.*

§. 9. Ex his apparet, quantam cum divina Providentia cognationem habeat Lex DEI æterna. Divina enim Providentia dirigit res omnes convenienter cum cujusque rei, tum suæ ipsius bonitati, in finis & præcipuè ultimum. Eadem verò divina Providentia, quatenus intelligitur ita dirigere, ut cuique necessitatem sive obligationem quandam cujusque naturæ congruam imponat, lex æterna vocatur. Vid. Calixt. in Epit. Theol. Moral. p. 46. Atque hinc liquet, monente A. Heereboord l. c. Legem æternam à Providentia divina non re, sed ratione sola differre. Lex dicitur, quando ut norma gubernandi concipitur: Providentia, prout est universalis cura DEI res omnes conservantis; & omnibus providentis de mediis ad operandum, & finem suum consequendum necessariis.

§. 10. Inde porro manifestum est, quod per legem DEI æternam aliter naturæ intellectu præditæ, aliter, quæ eò carent, dirigantur. Quæ intellectu pollent, per cognitionem & iudicium diriguntur, quæ illo sunt destituta, per solam inclinationem naturalem. Cujus diversitatis ratio in eo potissimum elucescit, quod (1.) illa, quæ per solam inclinationem naturalem diriguntur, impositâ quâdam necessitate, cui obistere nequeant, gubernentur; ista verò, quibus intelligendi facultas est concessa, liberè, salvâ potentiâ obsequendi vel refragandi diriguntur. (2.) Illa obligatio improprie; ubi enim cognitio & libertas non est, ibi etiam obligatio propria, quæ secus agentes peccati reos agat, non datur: Hæc verò obli-

obligantur proprie, atque ita, ut nisi obtemperent, peccato se obstringant. Unde colligas, in his saltem, non pariter in illis legem æternam proprie rationem legis habere.

§. 11. Equidem Thomas Aquinas 1. 2. summæ Theol. qu. 91. art. 1. rationem gubernativam totius universi in mente divinâ existentem appellat legem æternam. *Nihil, inquit, est aliâd lex, quàm dictamen prædicæ rationis in principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam. Manifestam est autem, supposito, quod mundus divinâ providentiâ regatur, quod tota communitas universi gubernatur ratione divinâ, & idè ipsa ratio gubernationis rerum in DEO, sicut in Principe universitatis existens, legis habet rationem, & quia divina ratio nihil concipit ex tempore, sed habet æternum conceptum, inde est, quod hujusmodi legem oportet dicere æternam.* Mox autem articulo sequenti ostendit, quod illa lex æterna non æquabili ratione ad omnes creaturas pertineat. *Lex, inquit, cum sit regula & mensura, dupliciter potest esse in aliquo: unò modò sicut in regulante & mesurante: aliò modò, sicut in regulato & mesurato: quia in quantum participat aliquid de regula vel mensura, sic regulatur vel mesuratur.* Unde cum omnia, quæ divine providentiæ subdantur, à lege æterna regulentur & mesurentur: manifestum est, quod omnia participant aequaliter legem æternam, in quantum scilicet ex impressione ejus habent inclinationes in proprios actus & fines. Inter cetera autem rationalis creatura excellentiori quòdam modò divine providentiæ subjacet, in quantum & ipsa sit providentiæ particeps, sibi ipsi & aliis providens, unde & in ipsa participatur ratio æterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum & finem. Et talis participatio legis æternæ in rationali creatura lex naturalis dicitur. Hâc diversitate propositâ, tandem suam sententiam ita exponit: *animalia irrationalia participant rationem æternam suò modò, sicut & rationalis creatura, sed quia rationalis creatura participat eam intellectualiter & rationaliter, idè participatio legis æternæ in creatura rationali proprie lex vocatur: nam lex est aliquid rationis: in creatura autem irrationali non participatur rationaliter: unde non potest dici lex nisi per similitudinem.*

§. 12. Quæ cum ita sint, manifestò apparet, quod lex DEI æterna, respectu creaturarum carentium ratione, strictè & accuratè loquendo, non habeat legis rationem, sed tantum respectu creaturæ intellectu præditæ, angelorum & hominum: hi enim soli liberè parere atque adeò sub peccato obligari potuerunt. Non tamen unò eòdemque modò, boni & mali, lege æternâ diriguntur. Quam diversitatem exponit Thomas 1. 2. qu. 93. art. 6. in corpore. *Duplex, inquit, modus est, quò aliquid subditur legi æternæ. Unò modò, in quantum participatur lex æterna per modum cognitionis. Aliò modò, per modum actionis & passionis, in quantum participatur per modum interioris principii motivi, & hoc secundo modo subduntur legi*

*æternæ*

*æternæ irracionales creature. Sed quia rationalis natura, cum eo, quod est commune omnibus creaturis, habet aliquid sibi proprium, in quantum est rationalis, idè secundum utrumque modum legi æternæ subditur: quia & notionem legis æternæ aliquò modo habet. Utriusque rationali creature inest naturalis inclinatio ad id, quod est consonum legi æternæ. Sumus enim innati ad habendam virtutes. Uterque tamen modus imperfectus quidem est, & quodammodo corruptus in malis, in quibus & inclinatio naturalis ad virtutem depravatur, per habitum vitiosum, & iterum ipsa naturalis cognitio boni in eis obtenebratur per passiones & habitus peccatorum. In bonis autem uterque modus invenitur perfectior: Quia & supra cognitionem naturalem boni superadditur eis cognitio fidei & sapientiæ: & supra naturalem inclinationem ad bonum, superadditur eis interius motivum gratiæ & virtutis. Sic igitur boni perfectè subsunt legi æternæ, tanquam semper secundam eam agentes: mali autem subsunt quidem legi æternæ imperfectè, quantum ad actiones ipsorum, prout imperfectè cognoscunt, & imperfectè inelinantur ad bonum: sed quantum deficit ex parte actionis, suppletur ex parte passionis: prout scilicet in tantum patiuntur, quod lex æterna dicitur de iis, in quantum deficiunt facere, quod legi æternæ convenit.*

§. 13. Coeterum ad legem æternam impugnandam parum valet, quod dicitur, omnem legem aliquibus imponi, at verò ab æterno non fuisse quenquam, cui lex imponi potuisset. Præterea promulgationem esse de ratione legis, sed promulgatio non potuit esse ab æterno, quia non erat ab æterno, cui promulgaretur. Nam Thomas respondet, quod ea, quæ in se ipsis non sunt, apud DEUM existant, in quantum sunt ab ipso cognita & præordinata, ut ad eò æternus divinæ legis conceptus habeat rationem legis æternæ, secundum quod à DEO ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum. Promulgationem ex parte DEI promulgantis pariter defendit Thomas, quoniam & verbum divinum est æternum, & scriptura libri vitæ est æterna. Ex parte creaturarum verò demum per impressionem principiorum moralium facta est promulgatio. Quò enim modò, postquam genus humanum conditum erat, ejus actiones dirigere cœpit, eò modò ante sæcula DEUM instituisse, vel talem conceptum ab æterno in DEO fuisse colligimus. Quæcunque enim in tempore fiunt, ea ab æterno per rationem legis æternæ DEUS perficere decrevit.

§. 14. Inde tamen nulla statuitur aut introducitur fatalis necessitas, quæ confringantur homines, ut in agendo suam libertate uti nequeant. Quemadmodum enim in tempore ab homine liberas produci actiones animadvertimus, & ita sentire, libertatemque hominis ubique defendere, ipsa rerum conditio nos impellit; ita etiam ab æterno hominis & creaturarum rerum naturæ convenienter DEUM decrevisse judicandum est.

Id agnovit & defendit etiam Philolophus Lugduno-Batavus A. Heera-  
 boord Diss. de lege æternâ. *Etiam si ea, inquit, quæ lege æternâ sunt præscri-  
 pta, fiant, & eò modò fiant, quò sunt præscripta, non tamen hiac tollitur e mundo  
 à rebus contingentia: quippe lege æternâ non tantùm actus sancitus est, ut fiat,  
 sed & modus, quò fiat: DEUS enim ab æterno statuit, non tantùm conservare  
 omnia ac gubernare, sed verò insuper statuit, id facere congruenter naturis rerum  
 singularium: qualis itaque est rerum natura, ut & convenienter ei operetur res,  
 lex æterna sancit, nimirum ut necessaria agant necessariò, libera liberè, contin-  
 gentia contingentè, & sic porro.*

§. 15. Ex eo, quod moralia principia æterna esse, eademque cum le-  
 ge DEI æternâ convenire, asseruimus, non difficile est colligere, quòd  
 omne jus humanum voluntarium, principiis moralibus adeo postponi  
 debeat, ut si quid moralibus principiis adversum esset lege quâdam com-  
 prehensum, illud nullius momenti & pro impossibili reputandum sit.  
 Cum enim quicquid moralibus principiis continetur, ab ipso DEO præcep-  
 tum & prohibitum sit, tanta illis reverentia & sanctitas concedenda &  
 vindicanda est, ut summi populorum Principes illis obtemperare, gloriq-  
 sum, refragari turpissimum putare debeant. Verè enim, quæcunque lex  
 illis adversatur, iniqua est, & qui id facit, quod moralia principia prohibent,  
 contra legem facit. Contra verò, qui arbitrarias leges moralibus  
 principiis evidenter repugnantes negligunt, non agunt contra leges,  
 quandoquidem divinum jussu omni humano prævalet, atque obligan-  
 di vim non solum adimit, sed etiam ad contrarium adstringit, quoties-  
 cunque contra bonos mores aliquid præceptum fuerit. Unde Valent. Al-  
 bert. Comp. J. N. part. 2. proleg. §. 4. scribit: *Sola lex justa vim obligandi  
 de jure habet, quam injusta de facto tantum sibi vindicat, quia prohibenda præ-  
 cipit, & præcipienda prohibet.* Quò respexit haud dubiè Aristoteles in de-  
 finitione legis Nicom. X. 9. tribuens quidem huic vim cogendi, sed ab  
 intelligentia & prudentia profectæ, h. e. bonæ. Quò modo delinquatur  
 hâc in re atque principiorum moralium auctoritati detrahatur, exemplis  
 adductis ostendit Rachel. de J. N. §. 64. seqq. 69.

§. 16. Hòc locò prætermittendum non est discrimen inter legem  
 DEI æternam & justitiam DEI essentialem. Hæc ad DEUM pertinet,  
 atque perfectionem denotat, unde DEUS essentialiter Justus dicitur. Illa  
 verò ad homines spectat, denotatque rationem & ideam in intellectu  
 divino, secundum quam homines dirigendi sunt, ut ei conformiter actio-  
 nes suas instituant, & inde justii appellentur. Multum enim inter Justi-  
 tiam, quâ DEUS essentialiter justus est, & justitiam, quâ homines justii di-  
 cuntur, interest. Nam justitia divina est attributum DEI ex perfectione  
 divinæ essentiæ necessario resultans, ut propter hanc perfectionem essen-

tiæ suæ neque velit, neque possit aliter cum creaturis, quàm justè agere. Ita convenit essentiæ divinæ perfectioni, tali ratione cum creaturis agere, ut promissum servet constantissimè, nemini faciat injuriam, atque Judicis munere incorruptè fungatur. Homini verò justitia non est essentialis, sed per assuetudinem hujusmodi perfectionem sibi acquirit, & ad eandem exercendam legibus adstringitur. Deinde justitia humana inter æquales locum habet, qui superiori tribunali pariter sunt obnoxii; at divina justitia ab opifice hujus universi, cujus nutu & ditione omnia gubernantur, adversus terricolos exercetur. Præterea ita comparatum est, ut quæ homo ex justitia præstat alteri, ad ea exigenda hinc jus habeat, & id propter actione intentatâ id extorquere, aut si assequi non potest, quod jure postulat, legitimè de alterius non præstantis, quod debet, iniquitate conqueri queat. Sed à DEO nulli creaturæ quicquam jure exigere concessum est, siquidem illa quoque, quæ ex promisso nobis exhibet, ejus gratuita & benignissimæ voluntati accepta referre debemus. Tandem multi dantur actus non solum justitiæ universalis, sed etiam particularis, quæ contractus ad sublevandam humanam indigentiam inventos dirigit, quos ob divinæ essentiæ eminentiam nos à DEO remove oportet.

§. 17. Inde quoque manifestum erit, quod licet asseramus, principia moralia, quibus hominum actiones diriguntur, legi æternæ DEI convenire, nullum tamen jus DEO cum hominibus committitur asserendum sit. Cum enim DEUS sit stator & Dominus omnium, homo verò divino subiectus imperio, ad eandem communemque quandam agendi normam nequeunt adstringi. Ut taceamus, quod homini multa incumbant officia, quæ divinæ essentiæ perfectio & eminentia non admittit. Tameñ DEUS erga creaturas in nonnullis eodem se gerat modò, quò homines invicem agere jubentur; non tamen difficile fuerit principii & normæ diversitatem ostendere. Quemadmodum etiam nemo dubitabit, quin DEO plus liceat in hominem, quàm hominibus erga se invicem. Vid. quæ hanc in sententiam differit Samuel. Pufendorf. in specimine controvers. c. 4.



# CAPUT DECIMUM

## De RATIONE RECTA.

§. 1.



Quidem moralia principia, si quis voluerit animi sui complicatam notionem evolvere, non adeo difficile fuerit invenire; sed eadem ad rem præsentem & objecta singularia ritè applicare, ut Viri boni & prudentis mensuram impleamus, magis arduum & impeditum est. Sed Socrates omnem sapientiæ & scientiæ fructum in eo ponebat, ut principia naturæ nota rebus convenienter applicentur. Ex neglecta vero, aut perperam instituta moralium principiorum applicatione Arrianius omnium malorum fontem deducit. *Id, inquit, est universis hominibus causa omnium malorum, quod videlicet non possunt communes rationes applicare singulis rebus. Alii opinantur alia. Quidam se miserum censet, quia sit egrotus. At idè non est, sed quia rationem non ritè accommodat, idè infelix est. Aliis propter paupertatem se miserum deplorat; nonnulli quia propitius ipsis non sit Cæsar. Unum est & solum, quod anticipatas notitias applicare rebus nesciunt. Vid. Arriani Dissert. ad Epicetum l. 3, c. 26.* Non tamen adeo deserti sumus à natura, ut nulla in nobis ad hoc præstandum officium reperire liceat subsidia. Etenim adhibito studio ex nobis ipsis morum & Juris principia, & communissima illa theoremata & axiomata, satis evidentè eruere possumus. Quæ causa est, quod vulgò cum lumine comparentur, imò ipsum Naturæ lumen appellentur. Nam quemadmodum lumen & seipsum, & alia visibilia potentiæ visivæ manifestat; ita etiam illa communissima principia, quoniam per se nota sunt, & demonstratione non indigent, & seipsa intellectui manifestant, & eidem ad res alias cognoscendas facem quasi præferunt. Ab aliis quidem Lumen Naturæ appellatur vis quædam intellectûs activa ad species intelligibiles, cum phantasmatum concursu producendas, intellectui insita, quæ lumen dicitur, ob analogiam, quam cum lumine habet; naturæ autem lumen vocatur, quia intellectui per naturam competit. Sicut enim lumen solis coloribus junctum, concurrat cum illis ad species visibiles, potentiæ visivæ imprimendas, atque per hoc efficit, ut colores, qui antea in potentia, ut loquuntur, visibiles erant, fiant actu visibiles; ita vis illa spiritualis & activa in intellectu, quam nonnulli appellant intellectum agentem, materialibus phantasmatibus juncta, concurrat cum iisdem ad spirituales rerum, quas repræsentant, species in intellectu producendas, & sic efficit, ut res ipsæ, quæ phantasmatibus invo-

lutz in potentia intelligibiles erant, jam per species intellectui impressas, actu intelligibiles sint. Vid. Aristotelem l. 3. de anim. text. 18. adde B. Jo. Mus. de Convers. disp. 4. c. 1. §. 17. ejusd. introd. in Theologiam. Quòcunque autem modò Naturæ Lumen intelligatur, palàm est, quòd ad Viri boni officia præstanda, & ad principia moralia rebus singularibus ritè applicanda, Natura nos adjuvare soleat. Præterea in humano intellectu duas eademque huic rei conficiendæ peridoneas functiones deprehendimus. Unam exercet, quando res tantum velut in speculo contemplatur, earumq; convenientiam seu disconvenientiam, bonitatem aut malitiam simpliciter cognoscit. Alteram exercet, quando intellectus in tali cognitione non acquiescit, sed id quod cognoscit, applicandum vel agendum esse judicat, & id propter rationem, quæ sese circa innumera vel pleraq; objecta & negotia in utramque partem offerunt, expendit, & comparationè diligenter institutâ, de mediis ad finem maximè accommodis deliberat.

§. 2. Cujus consultationis vel deliberationis nulla ratio est alia, quàm quia vix unicum particulare objectum homini in hac vita offertur, omni ex parte bonum & conveniens, sed in qualibet re singulari, tametsi intellectus reperiat aliquam rationem bonitatis & convenientiæ; propter quam expetenda videatur, videlicet in objectis virtutum honestatem, in objectis vitiorum voluptatem, vel aliquam utilitatem; in iisdem tamen reperiuntur quoque rationem inconvenientiæ, in illis quidem difficultatem aut molestiam, in his turpitudinem & reatum. Quamobrem humana ratio inter se confert, hinc apparentes rationes convenientiæ; illinc oppositas rationes inconvenientiæ, & sic deliberat ac denique concludit vel judicat, diciturq; talis processus intellectus, deliberatio & consilium. Vid. Pauli Laymanni Theologia moralis, L. 1. tr. 2. c. 2. Ubi in simul contendit, quòd brutorum animalium æstimativa facultas, quia unam solam convenientiam boni sensibilis, nimirum delectabile sive comòdum naturæ, nullam autem rationem honestatis percipit, in ipsis nulla deliberatio atq; consilium locum habeat; sed duntaxat necessarius quidam impulsus, sive determinatio potentiæ ad id prosequendum solum, quòd delectabile vel naturæ comòdum apparet, & refugiendum id, quòd molestum vel incomòdum videtur.

§. 3. Ab illa priori functione intellectus humanus theoreticus, à posteriori practicus denominatur. Utriusque verum judicium dicitur Recta Ratio. Hinc describi vulgò solet ratio, quòd sit verum intellectus judicium de rebus, quæ vel naturâ notæ sunt, vel ex natura notis legitimè sequuntur. Alii definiunt rectam rationem per judicium de rebus, ut sunt, sistendo intra eas, quæ naturaliter sunt cognoscibiles. Nam in illis, quæ citra divinam revelationem nobis non possunt innotescere, rectæ rationi nullus locus relinquatur; quandoquidem desunt principia & media, è quibus possit de rebus

bus illis, quæ solâ divinâ revelatione intelliguntur, iudicium terre, & de ali-  
enis, extra & supra sphaeram nostram collocatis, censere velle, temerarium  
esse, ipsa recta ratio verissimè decernit. Est autem recta ratio duplex, theo-  
retica, quæ de rebus theoreticis, & practica, quæ de rebus practicis iudicat.

§ 4. Ratio quidem est nihil aliud, quàm ipsa ratiocinandi & intelligen-  
di potentia, quæ homini est essentialis. Quod autem recta ratio sit, per vir-  
tutem suam consequitur. Virtus illa hoc præstare debet, ut facultatem na-  
turalem, cuius est virtus, perficiat, & ad munus suum promptè ac facilè ob-  
eundum, instruat. Cum enim quicquid natura creat & producit, in suo ge-  
nere perfectissimum, & in quàm optimo statu esse appetat, homo certè illas  
virtutes, quibus maximè excellit ac eminent, non potest negligere. Sed reli-  
quarum rerum, quæ carent animò, summum bonum in corpore est, unde  
hoc nutriunt & tuentur potissimum. Homo autem, quia nihil divinius ha-  
bet ratione, hanc tanquam optimam suam partem sibiq; charissimam ma-  
ximè custodit, erigit & perficit. Non inscite Cicero: *In homine, inquit, sum-  
ma omnis animi est. Et in animo rationis: ex qua virtus est, quæ rationis absolutio*  
*definitur: quam etiam atque etiam explicandam putant. Earum etiam rerum, quos*  
*terra pignit, educatio quedam Et perfectio est, non dissimilis animantium. Itaq; Et*  
*vivere vitam Et mori dicimus, arboremq; Et novellam, Et vetulam, Et vigere Et*  
*senescere. Ex quo non est alienum; ut animantibus, sic illis Et apta quedam ad natu-*  
*ram aptare, Et aliena amputare, earumque augendarum Et alendarum quandam*  
*cultricem esse: quæ sit scientia atque ars agricolarum, quæ circumcidat, amputet,*  
*erigat, extollat, adminiculetur, ut, quò natura ferat, eo possit ire: ut ipse vites, si*  
*loqui possint, ita se tractandas, tuendasq; esse fateantur. Quoniam autem res, in*  
*quibus facultas ratiocinandi sese potest exerere, sunt vel necessaria vel*  
*contingentes, fieri nequit, ut una virtus sufficiat, sed requiruntur omnes*  
*illi habitus, quorum subsidiò in necessariis & contingentibus rebus verum*  
*possumus colligere. Sunt autem illi habitus, intelligentia, scientia, sapien-*  
*tia, prudentia & ars, quarum tres priores rationem perficiunt, ut in rebus*  
*speculativis; posteriores, ut in rebus practicis verum inveniri possit. Præ-*  
*clare Tullius lib. 4. de finibus: Ut Phidias potest à principio instituire signum,*  
*idq; perficere: potest ab alio inchoatum accipere Et absolvere: huic est sapientia*  
*similis: non enim ipsa genuit hominem, sed accepit à natura inchoatum. Hanc igitur*  
*intuens, debet institutum illud quasi signum absolvere. Qualem igitur naturâ*  
*hominem inchoavit? ac quod est munus, quod opus sapientiæ? quid est, quod ab eo*  
*absolvi Et perfici debeat? si nihil in eo quidem perficiendum est, præter motum in-*  
*genii quedam, id est, rationem: necesse est huic ultimum esse ex virtute vitam fin-*  
*gere: rationis enim perfectio est virtus. Proinde sapienter iudicat Paulus*  
*Manutius, quòd is, qui hæc non videt, nec de adipiscenda virtute, quæ ra-*  
*tionis absolutio est, assidue cogitat, eo ipso rationis munere; quò uno cæte-*



ris prestantibus animantibus, indignus sit. Vid. l. 5. epist. Quicumque ergo rectam rationem absolute & consummate sibi vindicare cupit, necesse habet, ut omnibus his habitibus accurate instructus sit. Vid. Sam. Rachelius de I. N. §. 70. seqq. Ejusdem prolegomena in Officia Ciceronis.

§. 5. Ubi tamen non dissimulandum, quod ad rectam rationem perficiendam & confirmandam in primis faciant divina revelatae doctrinae dogmata, quippe in his falsitatis suspicio nullum locum invenire potest. Equidem Pufendorfius de I. N. & G. l. 2. c. 3. §. 13. scribere non dubitavit. *Illud manifestum judicamus, etsi divinae literae liquidius cognoscendo juri naturali plurimam lucem adferant; illud tamen, etiam citra istud adminiculum per vires rationis homini abs Creatore concessa, & adhuc superstitis, posse investigari, & solide demonstrari.* Quae si manifesta sunt, & propterea Gentiles ab Apostolo inexcusabiles pronunciantur, inde bonitatem DEI erga nos, evidentissime agnoscere debemus, quod tam multa & tam varia media cognoscendi ea, quibus nostra felicitas nititur, divinitus suppeditata sint.

§. 6. Tot vero habitus induere animo, & rationi appetitum sensitivum conformem, adeoque totum hominem ad res bene gerendas promptum & preparatum reddere, ingens spatium temporis & assiduum studium requirit. *Omnium enim rerum principia parva sunt, sed suis progressionibus usque augentur: nec sine causa: in primo enim ortu inest teneritas & molities quaedam, ut nec res videre optimas, nec agere possint: virtutis enim beatæque vitae, quæ duo maxime expetenda sunt, serius lumen apparet, multo etiam serius, ut planè, qualia sint, intelligantur: præclare enim Plato, beatum, cui etiam in senectute contigerit, ut sapientiam, verasque opiniones assequi possit. Cic. l. 5. de fin. Unde pronum est colligere, quod illa perfectio animi, quam rectam rationem appellamus, non uno momento, unoque imperu obtineatur, sed sensim oritur & paulatim crescat, & prout intenditur assiduitas, incrementa capiat, prout vero eadem remittitur, diminuatur. Natura quod in homine præstantissimum atque optimum est, id deseruit. Et si dedit talem mentem, quæ omnem virtutem jam accipere potest, ingenitæque sine doctrina notitias parvas rerum maximarum, & quasi instituit docere, & induxit in ea, quæ inerant, tanquam elementa virtutis. Sed virtutem ipsam inchoavit: nihil amplius: itaque nostrum est (quod nostrum dico, artis est) ad ea principia, quæ accepimus, consequentia exquirere, quoad sit id, quod volumus, effectum. Cicero d. l. Cæterum bellissime monere videtur Sam. Pufendorfius l. c. Quam ad rem tamen vix necessarium arbitramur, præfractè contendere animis hominum ab ipsa nativitate congenitæ, & velut impressa esse juris naturalis saltem generalia præcepta, admodum distinctarum & actualium propositionum, quæ statim atque usus sermonis accesserit, citra ulteriorem informationem aut meditationem abs homine possint exprimi. Hæc enim gratis fingi, facile deprehendet, qui curiosius puerorum ex infantili inscitia paulatim emergentium profectus accuratius observare instituerit.*

§. 7. Illud etiam satis liquidum erit, quod diversa sint, recta ratione præditum esse, & ea facere, quæ rectæ rationi conveniunt vel non repugnant. Qui rectâ ratione præditus est, ille quid hîc vel alibi dedeceat, conveniatve, ex principiis moralibus concinnâ deductione institutâ per pronam consequentiam demonstrat, & eatenus rectè ad rationem provocat. Ille verò, qui demonstrationes necere haudquicquam valet, sed ex usu publico& communis vitæ tenore, & institutione populari cognovit discrimen recti ab iniquo, facere quidem potest, quæ rectæ rationi sunt convenientia; per hoc tamen nondum rectâ ratione præditus est, neq; ad rationem, sed ad consuetudinem & recepta Majorum placita provocare solet. Benè in hanc rem differit Pufendorfius l. c. *Quod etiam in pueris & rudi vulgo magna deprehenditur facilitas æquum ab iniquo discernendi, id ex assuetudine provenit, dum à teneris annis & statim atq; usum aliquem rationis exserunt, vident bona probari, mala improbari, & illa laudem, hæc pœnam sequi. Morum quotidianum exercitium & totius vite compages ad istum modum digesta, ita animos disponit, ut paucis dubitare subeat, an aliter ista fieri possint. Verum si quis accuratius ista cœperit expendere, deprehendet, multarum rerum & actionum rationes reddere oppidò quàm difficile esse, quæ à vulgo tamen expeditè & citra hæsitationem obeuntur. Exempli loco laudat ea, quæ Author de princip. justæ & decori affert: Si quispiam in furto deprehensus sit, omnis multitudo animo & viribus annitur furem comprehendere, si autem quispiam irâ percitus homicidium perpetraverit, omnes ejus libertatem optant, nullus saltem operam suam libenter ad illum capiendum commodat. Rationem vulgus ignorat; quæ hæc est, quia plus periculi cuiusvis ex fure, qui cuiusvis fortunas rapere intendit, quàm à tali homicida, qui in illum tantum excanduit, à quo lacescitus fuerat. Nimirum quemadmodum opifices ea, quæ à Mathematicis demonstrationum ope inventa & accuratissimè deducta sunt, efficiunt & imitantur, dummodò instrumentorum compendia adhibeant, licet demonstrationum vim & ignorent & capere nesciant; ita multi faciunt, quæ recta sunt, licet ex suis genuinis principiis, rationis ope illa deducere nequeant. Verè Cic. l. 2. Tusc. Quæst. hoc evenit, inquit, ut in vulgus insipientium opinio valeat honestatis, cum ipsam videre non possint. Itaq; famâ & multitudinis iudiciò moventur, ut id honestum putent, quod à plerisque laudetur. Et mox præclaram subjungit adhortationem oppidò dignam, quæ ab omnibus diligentissimè observetur. Tales verò reliquit stimulos: Te autem, inquit, si in oculis sis multitudinis, tamen ejus iudiciò stare nolim, nec, quod illa putet, idem te putare pulcherrimum: tuo tibi iudicio est utendum: tibi si recta probanti placebis, tum non modo tu te viceris, sed omnes & omnia. Post pauca: hoc igitur tibi propono, unam esse omnium rem pulcherrimam, eoque pulchriorem, si vacet populo, neque plausum captans se tantum ipsa delectet. Quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia: quæ sine venditione &*

*sine populo teste fiunt: non quod fugiendus sit (omnia enim bene facta in luce se collocari volunt) sed tamen nullum theatrum virtutis conscientiam majus est. Et nonnullis interjectis: nihil potest esse æquabile, quod non à certa ratione proficiatur.*

§. 8. Qui prorsus falsa ponunt principia, & cerebri sui heleboro indigentis figmenta vel incompositas suas libidines sequuntur, aut ex veris principiis, perversâ quâdam argumentatione, falsas inferunt conclusiones, illi non rectâ, sed corruptâ utuntur ratione. In hoc numero haberi debent minuti illi Philosophi, ut cum Cicerone loquamur, qui Deum rerum humanarum nullam curam habere asserunt, qui fatalem quandam & indeclinabilem necessitatem rebus humanis inferunt, qui immortalitatem animæ in dubium vocant, vel alias falsas sententias proponunt. Quamvis autem nulla Philosophorum secta rectæ rationis usum sibi denegatura, sed potius vindicatura sit; diversæ tamen & adversis frontibus sæpè pugnantibus sententiæ, in quas Philosophicæ Scholæ abierunt, luculentissimo argumento sunt, quod non omnes rectâ ratione usæ fuerint.

§. 9. Utrum verò à rectâ ratione aliquid proficiatur, nec ne? inde potest facile intelligi, si attendatur, num naturam rationalem & socialem ornet, conservet ac tueatur? an destruat illam, lædat & perturbet? Manifestum enim est, quod firmum & immobile sit illud fundamentum, cui moralia principia innituntur, natura nimirum rationalis & socialis. Ad hanc si quævis dogmata & placita, commenta etiam & figmenta quorumlibet hominum, tanquam ad lapidem lydium revocamus, & examinamus, non difficile fuerit, eadem dijudicare, atq; sana dignoscere à perversis & corruptis. Ut illud experimentis intelligamus rectius, protinus frontem perfricare cogentur, si qui sunt, qui Deum esse negant, ubi perspexerint, quod nefas sit, asserere quicquam à fundamentis illis dissonum aut abhorrens. Etenim Deo sublato, quæ supererit religio? Religione sublata, quis continebitur in officio & à maleficio summovebitur? quæ spes erit reliqua? qui metus? Certè nulla consistet amplius humanitas, nulla societas. Nulla juris, nulla fidei, nulla obligationis ratio habebitur, ubi omnis recti justiq; auctorem & vindicem atq; assertorem Optimum Maximum, è medio, errore animi perditissimi, vel impiâ cogitatione, sustuleris. Non minus à rectæ rationis decretis aberrant, qui Deum esse quidem concedunt, sed ejus providentiam negant. Etenim hominis natura rationalis utiq; postulat, ut non turpibus, sed honestis actionibus ad suum finem pertingat. Constat etiam, quod nulla Societas diuturna sit, quæ aliâ ratione, quàm innocentiam & virtutis studio ad felicitatem pervenire satagit. Si verò nulla foret penes immortalem Deum rerum humanarum cura, quomodo eveniret, ut illi, qui recta sequuntur, Numen propitium, improbi verò insensum experiantur? Aut quæ Deo inesset bonitas, justitia & omnipotentia, si bonis bona, malis

mala rependere negligeret? Multa sane, quæ cum hominis natura rationali & sociali pugnant, contingere necesse foret, si Deus rerum humanarum curâ se abdicaret. Egregrîe Quintilianus Inst. Orat. l. XII. 2. *Si regitur providentiâ mundus, administranda certè bonis viris erit Respublica. Si divina nostris animis origo, tendendum ad virtutem, nec voluptatibus terreni corporis servendum. An hoc non frequenter tractabit Orator?* Non tamen per divinam providentiam fatalis quædam, ineluctabilis & indeclinabilis necessitas asserenda est. Hanc enim pariter cura natura rationali non convenire, recta ratio agnoscit. Siquidem libera est humana natura, & nullâ necessitate impelli se ac cogi permittit. Aliàs leges sapientissimè sancitæ, pœnæ & præmia non munimenta & fulcra societatum Civilium, sed ludibria essent. Satis etiam declarant illi, quàm leviter naturæ rationalis & socialis indolem cognoscant, qui animæ immortalitatem in dubium vocare non sunt veriti. Quanto sapientiùs Cicero in Catone Maj. cum simplex animi natura sit, neq; habeat in se quicquam admixtum, dispar sui atq; dissimile, non possit eum dividi, neq; interire, rectæ rationis subsidiò, asseruit? Misera profectò etiam socialis vitæ esset conditio, si humanæ actiones non ad aliam, sed saltè ad præsentem vitam referri deberent. Id verò sacre literæ dilucidè inculcant, & antiquissimi Philosophi rectæ rationis auxiliò perspexerunt. Utrumque conjungit A. Steuchus de perenni Philosoph. l. X. c. 23. *Exigua, inquit, sunt præmia justis in hac vita, in qua ferè sunt miserabiliores, qui justè vivunt. Dicebat enim justissimus, si CHRISTUS non resurrexit, miserabiliores sumus cunctis hominibus, innuens, nisi præmia cælestia proposita essent, nisi spes vitæ cælestis affulgeret, justos in hoc mundo cunctis mortalibus esse miserabiliores. Quomodo igitur prohi, quod Aristoteles ait, & à Diis diliguntur & præmiis afficiuntur? nisi vera sint, quæ & ipse divus Paulus ex cælesti sapientia, & Plato tradiderunt, ut spectentur præmia post vitam.* Eodem in loco Steuchus adducit Platonem dicentem: *Cum anima se virtute quoddam divinâ exornaverit, etiam locam excellentem. Sanctum commutabit, delata in meliora regna. Sed cum contraria vixerit, in contraria proficiscetur.* Similiter Machiavellismum, quem ita interpretatur Thomasius, quod ejus primum principium sit, finem ultimum Reip. esse debere, non beatitudinem eam, quam ex virtutum exercitiis metimur, sed imperantium potentiam & commodum privarum, quantum esse potest maximum, rectæ rationi minimè suam debere originem, planissimum est, quoniam rectæ rationi certissimum & omnino exploratum, quod nihil utile, nisi quod honestum, nullaque vera felicitas, & secura potentia, nisi honestis actionibus acquiri & obtineri possit. Quam rem Cicero in officiis, rectam rationem secutus, prolixè demonstravit.

§. 10. Propterea in dubium vocare, an deus in his rebus recta ratio? nimis scrupulosum est. Equidem Ph. Moræus de vera Rel. Christ. c. 16. ita

differit: *Recta ratio, quæ ad bonum Dux esse debuit, quid nisi mali patrociniū & tegumen? quò & noceamus gravius, & cum ratione insaniamus? Interim etſi actiones noſtræ omnes à recta ratione aberrant, ignorare tamen poteſt nemo, quin ratio una ſit. Hanc enim arbitram, judicem vindicem provocant omnes, quæ certè, niſi nobis inſita ſit, non cognoscatur à nobis. Si integra etiamnum ſuperſit, non tam leviter ab omnibus deſeratur, cum, qui ſe perſpexerit, negare noliſt nemo, quin multis modis à recta rationis via ſubinde deſleſcat. Ergò de ratione humana, ut de viſu aut pravo aut ſcſcinato loquamur. Habet illa quidem adhuc videndi principia, ſed quæ ad aliud nil profunt, quàm ut falſis imaginibus & præſtigiis eò decipiatur facilius. Enim verò plurimum profunt rationis principia & ad res cognoscendas, & ad ſocietates tuendas, & ad vitam commodè tranquillequæ tranſigendam. Concedendum equidem eſt, & nemo inſiciari poteſt, quòd menti noſtræ objectæ ſint multæ ac variæ fuligines, nec non magnæ ac vehementes cupiditates turbent hominem, atq; in tranſverſum rapere moliantur, unde Socrates non diſſimulavit vitia, quæ ſibi haturâ inſint; & Ariſtoteles agnovit inexplebilem in nobis rerum jucundarum appetitionem, intellectumve ad ea, quæ natura maniſteſtiffima omnium ſunt, non minus quàm oculos veſpertilionum ad lumen dñei, cæcutire; & Cicero faſſus eſt aperte, in animis omnium ferè natura molle quiddam, demiffum, humile, enervatum quodammodo & languidum reperiri; nihil tamen impedit, quò minus doctrinâ, ſtudiò & rectâ graviſque conſuetudine fuligines ac tenebras diſpellere atq; libidines, auctore & adjuſtore DEO, comprimere ac coërcere liceat. Certè Deus pro immenſa ſua in genus humanum benignitate nonnulla recti ſemina & ſcintillulas prudentiæ, nullâ de cauſâ aliâ, in nobis relinquere voluit, quàm ut naturâ intelligere ac diſcere queamus, quid in quolibet negotio ſequi vel vitare, non decipi debeamus. Quemadmodum igitur viſus, licet depravatus & ſcſcinatus fuerit, dummodo videndi principia integra manſerint, arte ſanari & inſtaurari poteſt; ita ratio, licet miſerè lit debilitata, quia tamen natura rationalis non ſublata eſt; nihil obſtat, quò minus, opiſulante Deò, doctrinâ, induſtriâ & rectâ exercitatione, excoli & perſici poſſit. Eſt enim, ut Cicero agnovit, l. 5. de ſin. natura ſic generata viſi hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur: ob eamq; cauſam parvi virtutum ſimulacris, quarum in ſe habent ſemina, ſine doctrina moventur: ſunt enim prima elementa nature: quibus auctis, virtutis quaſi carmen eſſicitur. Nam cum ita nati factiq; ſimus, ut & agendi aliquid, & diligendi aliquos, & liberalitatis & referendæ gratiæ principia in nobis contineremus, atq; ad ſcientiam, prudentiam fortitudinemq; aptos animos haberemus, à contrariisq; rebus alienos: non ſine cauſa eas, quas dixi, in pueri virtutum quaſi ſcintillulas videmus; è quibus accendi Philoſophi ratio debet, ut eam, quaſi Deum, ducem ſubſequens, ad nature perveniat extremum. Quodſi ergò diſper-*

dispersa caligine, illam naturæ vim doctrinâ & studio excitaverimus, & usu confirmaverimus, verum & falsum cognoscere, quid appetere & fugere deceat, haud obscurè intelligere poterimus. Idcirco non minus verè, quàm prudenter monet Samuel Rachelius diss. de J. N. §. 84. *Ubi in dogmata Atheorum, Stoicorum, Epicureorum, Cynicorum, aliorumque incideris, primò omnium inquirendum est, sintne illorum scita placitaq; rectæ rationis dictamina. Talia verò existimabis, si illo deprehenderis cum legibus naturalibus, societates naturales continentibus & conservantibus, convenire, vel saltem iis non repugnare. Hoc enim quoties fit, dictamen id non rectæ, sed corruptæ & depravatæ rationis est.* Dari autem rectam rationem, satis manifestum est. Illi enim, qui in dubium vocant aut negant rectam rationem, vel rectè judicant vel falso. Si rectè, datur recta ratio, quia de re naturaliter intelligibili, quæ tali, rectum datur judicium. Si falso judicant, itidem patescit, rectam rationem dari, quia ipsam non dari, perperam atq; falso judicaverunt. Proinde illi, qui rectam rationem negat, quoad hoc, non est credendum; si enim verè datur recta ratio, quis fidem adhibuerit illis, qui dicunt ipsam non dari? Si autem non datur, ergò neq; in illis dabitur, qui negant. Proinde neq; isti conveniens de recta ratione judicium ferunt, unde rursus quis crederet illis, qui non conveniens de re habent judicium, ac aliter ipsam esse dicunt atq; est. Vid. Paul. Stevogtius disp. pract. VIII. Huc accedit, quod omnis moralitas actionum humanarum, bonitas & malitia tollèretur, si recta ratio non daretur, & intellectus humanus præviâ inquisitione debità, res objectas liquidò & prout in se sunt, apprehendere non posset. Illi enim, qui bonitatem à malitiâ discernere non posset, vitio verti nequit, quòd malè egerit, & non nisi per summam iniquitatem imputaveris errorem, quem exuere & vitare nunquam licuit. Omnes etiam disciplinæ artesq; negandæ & repudiandæ forent, si recta ratio non daretur. Neq; à vero alienum est, quod Cicero scribit l. 4. Tusc. *Quæst. Videamus, quanta sint, quæ à Philosophia remedia morbis animorum adhibeantur: est enim quedam medicina certè: nec tam fuit hominum generi infensa atq; inimica natura, ut corporibus tot res salutaris, animis nullam invenerit; de quibus est hoc etiam merita melius, quod corporum adjumenta exhibentur extrinsecus, animorum salus inclusa in his ipsis est. Sed quò major est in eis præstantia & diviniore, eò majore indigent diligentia. Itaque benè adhibita ratio cernit, quid optimum sit, neglecta, multis implicatur erroribus.*

§. II. Non verò existimandum est, quòd recta ratio nascatur nobiscum, quandoquidem in hanc lucem editos in omnium rerum crassissimâ ignorance versari abundè notum est, & naturæ nostræ corruptionem, quatenus rationi manifesta est, dilucidè demonstravit l. c. Mornæus; sed ut possimus de rebus benè judicare, veris rectisq; sententiis assentiri, & illis conformiter lubentes, hilaresq; agere, quòd rectæ rationis opus est, pro-

fecto requiritur, ut intellectus pariter & appetitus ad veritatis & virtutis reverentiam bene sit dispositus, & ille seorsim per doctrinam multis & variis scientiis eruditus, hic verò per assuetudinem optimè præparatus. Præclarè Tullius: *Reliquum est, ut tute tibi imperes, quanquam hoc nescio quomodo dicatur, quasi duo simus, ut alter imperet, alter pareat: non inscite tamen dicitur: est enim animus in partes distributus duas, quarum altera rationis est particeps, altera expers.* Cum igitur præcipitur, ut nobismet ipsis imperemus, hoc præcipitur, ut ratio coërceat temeritatem. Est in animis omnium serè natura molle quiddam, demissum humile, enervatum quodammodo & languidum. Si nihil esset aliud, nihil esset homine deformis: sed præstò est domina omnium & regina ratio, quæ connixa per se, & progressa longins, fit perfecta virtus. Hæc ut imperet illi parti animi, quæ obedire debet, id videndum est viro. Quònam modò, inquires? velut servus Dominus, velut Imperator militi, velut parens filio. Si turpissimè se illa pars animi geret, quam dixi esse mollem, si se lamentis muliebriter, lacrymisq; dedit, vinciat & constringatur amicorum propinquorumq; custodiis: sæpè enim videmus fractos pudore, qui ratione nullà vincerentur. Ergò hos quidem, ut famulos, vinculis ac custodia arceamus. Qui autem erunt firmiores, nec tamen robustissimi, hos admonitu simili oportebit, ut bonos milites revocatos, dignitatem tueri. Vid. lib. 2. Tusc. Quæst.

§. 12. Quando igitur cum iis, quæ naturâ sunt nota & industria possunt investigari, doctrinam divinitus patefactam jungimus, id afferi posse videtur, quod rectam rationem vindicare, principia morum & juris excolere, ac ritè applicare, nihil aliud sit, quàm integritatis statum, in quo primus homo erat collocatus, partim reducere, partim reliquias ejus tueri ac confirmare. Quamobrem Valentinus Alberti, Academiæ Lipsiensis Doctor celebris, non dubitavit affirmare, quòd *status integer à Christiano cognitus, sit norma statûs corrupti.* Quod ita interpretatur: *ex orthodoxâ statûs integri notitiâ resultant naturaliter in homine, sanâ ratione uso, dictamina non pauca, quæ ad observandas & confirmandas imaginis divine reliquias, nec non ad recuperandam perfectionem moralem, quantum viribus naturalibus fieri potest, nos obstringunt.* Inde ulterius infert, quòd vis obligativa statûs integri ad jus naturæ hodiè pertineat vel formaliter, vel normaliter. Formaliter quidem in illis, quæ in utròque statu, integritatis & corruptionis obtinent, ut colere DEUM, honore afficere Parentes. Normaliter in istis, quæ tantum ex hypothesi statûs corrupti locum habent, ut servum obsecundare Domino. Quemadmodum enim principia statûs integritatis ad illa nos formaliter, h. e. hodiè nos eòdem modò, quò integrum hominem olim obligant; ita ad hæc extenduntur normaliter, quia per extensionem quandam officii normalis sui nos obstringunt hodiè ad id, quod in statu integritatis locum non invenisset. Quò sensu hæc accipi debeant, vide in comp. J. N. part. I. c. I.

# CAPUT UNDECIMUM DE CONSCIENTIA.

## §. I.



Quando intellectus, rectæ rationis ope, principia moralia ad singularem actionem applicat, & quid his vel illis circumstantiis agendum vel omittendum, judicat, vocatur hic actus intellectus, Conscientia. Nam conscientia partim se extendit ad opera nostra præterita, ea vel reprehendendo & accusando tanquam malè facta, qui dicitur **REMORSUS CONSCIENTIÆ**; vel laudando & commendando, tanquam benefacta, quod dicitur **TESTIMONIUM CONSCIENTIÆ** nostræ; partim verò se extendit Conscientia nostra ad opera præsentia & futura, dictando, quæ agenda sint, tanquam honesta; quæ vero omittenda, tanquam turpia.

Priori modo considerata conscientia definitur, quod sit iudicium intellectus, quò res in vita benè vel malè peractæ examinantur, pro istis gaudium & tranquillitatem, pro his dolorem & perturbationem referendo. Dicitur aliàs Conscientia theoretica, & ab objecto, subjecto & effectu denominatur nunc bona, nunc mala. Atque hoc sensu plerisque Veterum accipitur Conscientia. Moralis verò Philosophiæ pariter & Theologiæ Doctores posteriori sensu potissimum, adeoque planè aliter de Conscientia loquuntur, eamque pro tali actu intellectus habere consueverunt, quò rectæ rationis ope principia moralia ad actionis præsentis & futuræ circumstantias applicantur, & quid fieri vel omitti debeat, significatur. Atque hæc conscientia vulgò vocatur Antecedens, Græcè *προβλεπτική*; contra verò altera Consequens, Græcè *επιθεωρητική*. Cæterum conscientiam utramque, antecedentem & consequentem, actum includere & significare formaliter, prolixè ac solidè confirmat Thomas in sum. part. prim. quæst. 79. art. 13. *Dicendum, inquit, quod Conscientia proprie loquendo non sit potentia, sed actus. Et hoc patet, tam ex ratione nominis, tam etiam ex his, quæ secundum communem usum loquendi conscientie attribuantur. Conscientia enim secundum proprietatem vocabuli importat ordinem scientie ad aliquid, nam conscientia dicitur cum alio scientia. Applicatio autem scientie ad aliquid fit per aliquem actum. Unde ex ista ratione nominis patet, quòd conscientia sit actus. Idem autem apparet ex his, quæ conscientie attribuantur. Dicitur enim conscientia testificari, ligare vel instigare, veletiam accusare, vel remordere, sive reprehendere. Et hæc omnia consequuntur applicationem alicujus nostre cognitionis vel scientie*



*scientiæ ad ea, quæ agimus. Quæ quidem applicatio fit tripliciter: Uno modo, secundum quod recognoscimus aliquid nos fecisse, vel non fecisse, secundum illud Eccles. 7. Scit conscientia tua te crebro maledixisse aliis; & secundum hoc conscientia dicitur testificari. Alio modo applicatur, secundum quod per nostram conscientiam judicamus aliquid esse faciendum, vel non faciendum: Et secundum hoc dicitur conscientia ligare vel instigare. Tertio modo applicatur secundum quod per conscientiam judicamus, quod aliquid, quod est factum, sit bene factum vel non bene factum: Et secundum hoc conscientia dicitur excusare, vel accusare seu remordere. Patet autem, quod omnia hæc consequuntur actualem applicationem scientiæ ad ea, quæ agimus. Unde proprie loquendo, conscientia nominat actum. Quia tamen habitus est principium actus, quandoque nomen conscientiæ attribuitur primo habitui naturali, scilicet synderesi, sicut Hieron. synderesim conscientiam nominat: & Basilius, naturale indicatorium: & Damasc. dicit, quod est lux intellectus nostri, consuetum enim est, quod cause & effectus per invicem nominentur.*

§. 2. Ut autem applicatio ista ritè fiat, necesse est, ut moralia principia dirigantur in finem debitum, in primis ultimum. Cum enim omnis actio ex deliberato animo suscepta, certum finem habeat propositum, humanæ actiones hinc & nunc productæ, h. e. in individuo, bonæ non possunt esse, nisi ad finem debitum referantur. Ad alium finem si spectant, protinus evadunt malæ. Qui asserunt finem indifferentem, & commodum naturæ indifferentem, nec non indifferentem voluptatem defendunt, illi multis difficultatibus implicantur. Etenim omnis finis rationem boni habet. Id si verum & honestum est, bonam; sin apprens, malam efficit actionem. Naturæ commoda, utilitates & voluptates rectæ rationis dictamine definiri, & honestatis limitibus circumscribi debent. Si ad corpus conservandum & sustentandum, ad animum colligendum & perficiendum, ad vires hominis augendas, instaurandas & perficiendas referuntur, bona est actio; sin nihil aliud quæritur, quàm oblectatio & voluptas, mala est actio. Equidem non est omnis voluptas prohibita; sed ad finem honestum dirigenda est, quandoquidem non ut pecudum, ita & hominum finis voluptas est. Egregiè Cicero in Lælio & in paradoxis: *Ab iis, qui pecudum ritu, ad voluptatem omnia referunt, longè dissentimus, nec mirum. Nihil enim altum, nihil magnificum, nec divinum suspicere possunt, qui omnes suas cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, tamque contemtam.* Neque ex eo, quod asseritur, dari actiones indifferentes in specie, licet inferre, quod dentur etiam actiones indifferentes in individuo, quoniam nulla est species, cui non subsit aliquod individuum. Quemadmodum enim omnis numerus in individuo est vel par vel impar, & omnis linea in individuo est vel recta vel curva, & tamen in universali & in specie, neque de natura

lineæ,

*lineæ*, ut *recta* vel *curva*; neque de natura numeri est, ut *par* vel *impar* sit; ita licet omnis actio humana in individuo sit vel moraliter bona, vel moraliter mala, fieri tamen potest, ut in *universali* & in *specie*, neque moraliter bona, neque moraliter mala sit. Nam in *specie* dicuntur actiones indifferentes, quatenus spectantur ex parte objecti, à quo speciem suam nanciscuntur, & à *sine*, bono vel malo, abstrahunt. Quoniam verò actiones in individuo, cum cæteris circumstantiis, actu conjunctæ sunt, adeoque ipsum etiam finem includunt, indifferentes esse non possunt. Equidem physice & in genere, naturæ hujusmodi actiones etiam in individuo spectatæ, indifferentes sunt, & eatenus concedi potest, quod actioni secundum speciem indifferenti subsit individuum; sed moraliter, h. e. cum omnibus circumstantiis, adeoque etiam ex parte finis, consideratæ humanæ actiones, & in *specie* & in *individuo*, indifferentes esse desinunt. Nusquam enim ad res creatas licet adhærescere illisque confidere, sed omnes actiones ad finem ultimum referendæ sunt. Qui locus L. 2. c. 4. est expositus latè, nunc autem repeti & vindicari debuit, ut constaret, quantâ cum circumspectione & quàm sollicitâ curâ, moralium principiorum applicatio sit instituenda.

§. 3. Differt igitur Conscientia à notitia seu cognitione principiorum moralium, quæ Græcè *Συνθεσις* seu *synthesis* vocatur, quia quasi promiscundus est principiorum moralium, & ipsa quoque rectâ ratione. Illud discrimen, ut evidentius appareat, sequens argumentum considerabimus:

Omne vitium est fugiendum.

Intemperantia est vitium. E.

Intemperantia est fugienda.

Majorem suppeditat *synthesis*. Minorem *recta ratio Practica*, ut & conclusionem infert. Si verò progredimur, & ita præviâ *rectâ ratione* colligimus: Hæc voracitas, hæc ebrietas est *intemperantia*, adeoque mihi nunc & hõc loco, & hõc die fugienda, actum exercemus, quem conscientiam appellant.

§. 4. Proinde Conscientia duo requirit: (1.) cognitionem alicujus principii Practici seu moralis, quo, quid & quomodo agendum sit, in *universali* scitur. (2.) Cognitionem actus singularis, ad cujus circumstantias applicat practicum principium. Ex his concluditur seu cognoscitur, quod his vel illis circumstantiis & quomodo agendum sit; quæ conclusio Practica propriè dicitur Conscientia. Quamvis ex præmissis revelatis, & ex legibus civilibus etiam possit inferri conclusio; hõc locò tamen potissimum principia moralia solent attendi.

§. 5. Est igitur Conscientia, (Antecedens nempe) dictamen *rectæ*

Ee

ratio-

rationis, ut loquuntur, proximè Practicum, seu Practicè Practicum, quoniam proximè & immediatè, quod aliquid hōc locō & tempore agendum sit, definit & determinat, e. g. huic egeno hīc & nunc opem ferre oportet. Dictamini proximè seu practicè pratico opponitur dictamen remotè seu theoreticè practicum, e. g. egeno subveniendum est, quæ propositio, equidem aliquid præscribit, sed non in particulari hīc & nunc. Similiter & hæc propositio: hæc sunt mea bona legitime parta, è quibus egenis possum aliquid elargiri, remotè seu theoreticè practica censetur. Licet enim sine illa actio fieri non possit, tamen quid agendum sit, non determinat. Ad conscientiam verò non remotè seu theoreticè, sed proximè seu practicè practicum iudicium requiritur.

§. 6. Dividitur Conscientia in consulentem & præcipientem. Conscientia consulens est, quæ suadet aliquid agendum vel omittendum esse, non tanquam necessarium, sed ut magis conveniens ad morum honestatem: v. g. si quis ingentes divitias & summos honores tanquam impedimenta & irritamenta fugiat, & mediocri sorte contentus esse malit. Sequitur ergò consulens Conscientia naturam consiliorum, quæ non præcipiunt, sed suadent tantum, hoc præ alio fugiendum vel eligendum esse. Id verò quando evenit, non Jus naturale, sed æquitas naturalis observari creditur. Occupatur quidem & Jus naturale & æquitas naturalis circa honestum; est tamen inter honestum, quod in se tale est, & inter illud, quod reliquis quidem omnibus, quæ in tali negotio licet facere, præferendum, in se tamen factu necessarium non est. Illud Jus naturæ exigit; hoc ab æquitate naturali commendari dicitur. Quò discrimine nititur distinctio inter Consilia & Præcepta: hæc Jus ipsum; illa naturalem æquitatem constituunt. Albert. Comp. J. N. part. 1. c. 1. §. 74. Præcipiens est, quæ aliquid vel agendum vel omittendum tanquam necessarium ad morum honestatem injungit, seu præcipit; v. g. Parentes honorandos, non mentiendum esse. Ad hanc distinctionem confirmandam faciunt, quæ Petrus Musæus de Lege Civili §. 25. disserit: *Ad actus virtutum quod attinet, si magnanimitatem, magnificentiam & urbanitatem intueantur, non abs re ambigimus, annon multos harum virtutum actus natura suadeat potius, quam jubeat: quos quippe qui omittunt, hoc ipso non videntur legem violare naturæ, neq. ut hujus transgressores pœnam mereri. Fortassis autem non tam de hâc nunc actibus questio est, quam de aliis, quos natura videtur jussisse, non cujusvis arbitrarij commississe; v. g. temperanter vivere, minimè arbitrarium est, sed necessarium: modum enim servare in appetendis voluptatibus corporis, rectamque sequi rationem non tantum suavit natura, sed jussit. Hinc qui secus agit, sine dubio adversatur naturæ, ut legis ejus transgressor jure merito audiat. De aliis actibus, qui in aliarum virtutum materiam occurrunt, tulerit quis idem iudicium.*

§. 7. Præterea Conscientiæ actus alius est decisivus, alius non decisivus. Decisivus actus dicitur, quando affirmat aut negat, utram contradictionis partem sequi debeamus. Non decisivus dicitur, cum neutri contradictionis parti adstipulatur, sed ob defectum rationum vel certarum vel probabilium suum iudicium suspendit. At tum vel simpliciter dubitat, unde oritur conscientia dubia, vel habet anxietatem in animo, unde scrupulosa conscientia nascitur. Ab actibus decisivis dicta decidens conscientia est vel recta vel falsa. Recta vel certò & evidenter decidit, unde simpliciter recta; vel topicè & probabiliter, unde probabilis seu opinativa est conscientia. Thomasius conscientiam dubiam similem esse ait testi nescienti, rectam vero, errantem falso, certam oculato, probabilem aurito, scrupulosam varianti.

§. 8. An autem singulis his dictionum partibus ratio conscientiæ verè competat, non immeritò dubitaveris. Cum enim conscientia de re proposita iudicare debeat, quod sit vel affirmando vel negando, ille autem, qui dubitat vel simpliciter, vel cum quadam anxietate animi, nil negat, neque affirmat, haud obscure apparet, neque dubiam neque scrupulosam conscientiam propriè esse conscientiam.

§. 9. Ut ut ita removeantur dubia & scrupulosa ratio à veri nominis Conscientia, nondum tamen caret vitiò conscientiæ divisio in rectam, erroneam seu falsam, & probabilem. Etenim primò hæc divisio non constat ex membris oppositis inter se, quoniam recta interdum probabilis & probabilis nonnunquam recta est. Error quoque non rarò speciosis rationibus & doctissimorum Virorum testimoniis sese commendat, ut adeo erronea conscientia interdum sit probabilis, & probabilis, erronea. Deinde continetur aliquid in diviso, quod non continetur in membris dividendis. Datur enim conscientia (v. g. quando rudis subditus ob auctoritatem Pastoris sui iudicat, Magistratui præcipienti iniqua non esse obediendum) quæ certò & evidenter non iudicat, cum auctoritate Pastoris sui nitatur, non rationibus, & tamen non est falsa, sed firma nihilominus & stabilis atque recta.

§. 10. Malunt igitur alii bimembri uti divisione & Conscientiam dividere in rectam & errantem, atque rectam iterum in certam & probabilem distribuere.

§. 11. Similia ferè tradit Jacobus Thomasius in Phil. Pract. annot. LX. Initiò enim demonstrat, quod recta & certa conscientia perperam habeantur pro synonymis. Potest enim esse recta, quæ non certa, sed probabilis tantum, ut si quis idiota subditus credat summæ potestati, etiam injustæ agentis, non esse rebellandum, sed patiendam potius injuriam: non quod possit hoc effectum ex suis principiis demonstrare, sed

quod assentiat hominibus doctis hoc subinde inculcantibus. De quinque membri verò divisione, in rectam, probabilem, errantem, scrupulosam & dubiam judicat, quod sit confusum chaos multarum divisionum & membris quibusdam mutila. Unde si membra illa omnia rectè volumus explicare, à seque discernere, sic procedendum esse arbitratur. Primo actus conscientiae est vel positivus vel negativus. Positivum vocat, qui quaestionem propositam moralem affirmat vel negat; negativum vocat, qui quaestionem propositam moralem nec affirmat, nec negat, sed suum de ea iudicium planè suspendit. Et actus negativus est ille ipse, quem vocant conscientiam dubiam. Possit etiam vocari suspensa, & positivæ indere licebit nomen conscientiae decidens. Secundo Decidens Conscientia in ordine ad rem ipsam extra intellectum humanum subdividitur in rectam & errantem. Quæ duæ species quia differentiis contradictoriis separantur, tertiam non admittunt. Tertio aliâ ratione eadem conscientia decidens in ordine ad modum intelligendi, & quidem æstimate à parte principii, subdividitur in certam, quæ oritur ex scientia, & probabilem seu opinativam, quæ ex opinione. Quarto; si verò ex parte formæ modus intelligendi æstimatur, conscientia decidens vel conjuncta est cum aliquo metu oppositi, & vocatur scrupulosa, vel non conjuncta, & vocari potest non scrupulosa.

§. 12. Quibus nos facile applaudimus, dummodò quæ de scrupulosa & dubia conscientia §. 8. monuimus, benè considerata & approbata fuerint. Certè si dubiæ & scrupulosæ conscientiae naturam intuemur, clarissimè apparet, quod ostendant duntaxat, qualis animus sit, quod hæreat, vacillet, dubitet, ac quò se vertat, adhuc nesciat, & plane nihil definiat. At conscientiae nomine intelligimus actum intellectus practici, quò judicatur ab intellectu, quid faciendum sit vel omittendum. Unde manifestum est, quod ille actus, quò nec affirmatur, nec negatur, sed iudicium planè suspenditur, non sit actus conscientiae vulgò definiti. De qua re tamen amplius non dubitabimus, si latius paulò terminus extendatur. Nec adeò etiam repugnabimus, si quis iudicium intellectus cum metu oppositi, conscientiam vocare contenderet. Quanquam non simus immemores, quod juxta receptas loquendi formulas, ille saltem actus, quò intellectus, citra dubitationem & hæsitationem aliquid definit, propriè Conscientia vocari consueverit.

## CAPUT DUODECIMUM

De

## HOMINIS CONSCIENTIA RECTA.

§. 1.

**R**ecta conscientia est, quæ principiis moralibus & rectæ rationi iudicat conformiter; id quod fit, cum rem, ut in se est, honestam, nempe honestam, turpem, turpem; indifferenter neque honestam neque turpem pronunciat, ac proinde id faciendum aut omittendum, quod reverà faciendum aut omittendum est, dicitur.

§. 2. Quicquid recta conscientia præcipit, adeo necessarium est, ut, qui id negligit aut non observat, peccato sit obnoxius: debet enim homo rectæ conscientia suæ dictamen pro actionum suarum, in re singulari occupatarum, proximâ regulâ & normâ habere. Id si negligit, aut non observat, quod ejus conscientia præcipit, aberrat seu deficit homo ab actionum suarum regula proxima, & propterea peccat, Deumque offendit, & supplicio, quò vindicetur facinus, fit obnoxius. *Quem enim, ceu gravissimè scribit Georgius Calixtus in Theologia morali pag. 24. utut Religionem Christianam professum, sui ipsius conscientia, crassi & enormis delicti condemnat, eum multò magis (in sensu videlicet composito, & quàm diu talis est, ac esse pergit) divina sententia condemnabit: nec spes est, ejusmodi hominem coram DEO cum fiducia comparere, vel ab eo aliquid impetrare posse.* Quod facillè animadvertet, qui perpendere sustinebit, quanta obligatio sit & necessitas moralium principiorum, quam superioribus capitibus prolixè demonstravimus. Siquidem constat, quod conscientia iisdem utatur principiis, & ex illis deducat, quid hîc & nunc vel faciendum vel omittendum sit. Quemadmodum igitur moralia principia hominem obligant, ut ex illorum præscripto actiones suas instituat: ita pariter tenetur homo conscientia dictamini obsecundare. Hoc si negligit, ipsa moralia principia negligit, illorumque Authorem, DEUM, omnium rerum Conditorum contemnit, quod nefas esse ac iniquissimum, homo non potest penitus ignorare, idcirco se colligens angitur, & moralium principiorum vindicem ejusque indignationem justamque animadversionem incipit extimescere. Cum autem conscientia recta vel formaliter, vel virtualiter talis sit, etiam non unò eodemque modo fieri solet, ut negligatur & contemnatur. Formaliter recta dicitur conscientia, quando expressè infert conclusionem rectæ rationi consentaneam, quæ quid hîc & nunc

quod assentiatur hominibus doctis hoc subinde inculcantibus. De quinque membris verò divisione, in rectam, probabilem, errantem, scrupulosam & dubiam judicat, quod sit confusum chaos multarum divisionum & membris quibusdam mutila. Unde si membra illa omnia rectè volumus explicare, à seque discernere, sic procedendum esse arbitrat. Primò actus conscientiaë est vel positivus vel negativus. Positivum vocat, qui quaestionem propositam moralem affirmat vel negat; negativum vocat, qui quaestionem propositam moralem nec affirmat, nec negat, sed suum de ea judicium planè suspendit. Et actus negativus est ille ipse, quem vocat conscientiam dubiam. Possit etiam vocari suspensa, & positivæ indere licebit nomen conscientiaë decidentis. Secundò Decidens Conscientia in ordine ad rem ipsam extra intellectum humanum subdividitur in rectam & errantem. Quæ duæ species quia differentiis contradictoriis separantur, tertiam non admittunt. Tertio aliâ ratione eadem conscientia decidens in ordine ad modum intelligendi, & quidem æstimato à parte principii, subdividitur in certam, quæ oritur ex scientia, & probabilem seu opinativam, quæ ex opinione. Quartò; si verò ex parte formæ modus intelligendi æstimatur, conscientia decidens vel conjuncta est cum aliquo metu oppositi, & vocatur scrupulosa, vel non conjuncta, & vocari potest non scrupulosa.

§. 12. Quibus nos facile applaudimus, dummodò quæ de scrupulosa & dubia conscientia §. 8. monuimus, benè considerata & approbata fuerint. Certè si dubiaë & scrupulosaë conscientiaë naturam intuemur, clarissimè apparet, quod ostendant duntaxat, qualis animus sit, quod hæreat, vacillet, dubitet, ac quò se vertat, adhuc nesciat, & plane nihil definit. At conscientiaë nomine intelligimus actum intellectus practici, quò judicatur ab intellectu, quid faciendum sit vel omittendum. Unde manifestum est, quod ille actus, quò nec affirmatur, nec negatur, sed judicium planè suspenditur, non sit actus conscientiaë vulgò definiti. De qua re tamen amplius non dubitabimus, si latius paulò terminus extendatur. Nec aded etiam repugnabimus, si quis judicium intellectus cum metu oppositi, conscientiam vocare contenderet. Quanquam non simus immemores, quod juxta receptas loquendi formulas, ille saltem actus, quò intellectus, citra dubitationem & hæsitationem aliquid definit, propriè Conscientia vocari consueverit.

## CAPUT DUODECIMUM

De

## HOMINIS CONSCIENTIA RECTA.

§. 1.

**R**ecta conscientia est, quæ principiis moralibus & rectæ rationi iudicat conformiter; id quod fit, cum rem, ut in se est, honestam, nempe honestam, turpem, turpem; indifferentem neque honestam neque turpem pronunciat, ac proinde id faciendum aut omittendum, quod reverà faciendum aut omittendum est, dicitur.

§. 2. Quicquid recta conscientia præcipit, adeo necessarium est, ut, qui id negligit aut non observat, peccato sit obnoxius: debet enim homo rectæ conscientiæ suæ dictamen pro actionum suarum, in re singulari occupatarum, proximam regulam & normam habere. Id si negligit, aut non observat, quod ejus conscientia præcipit, aberrat seu deficit homo ab actionum suarum regula proxima, & propterea peccat, Deumque offendit, & supplicio, quo vindicetur facinus, fit obnoxius. *Quem enim, ceu gravissimè scribit Georgius Calixtus in Theologia morali pag. 24. utat Religionem Christianam professum, sui ipsius conscientia, crassi & enormis delicti condemnat, eum multò magis (in sensu videlicet composito, & quàm diu talis est, ac esse pergit) divina sententia condemnavit: nec spes est, ejusmodi hominem coram DEO cum fiducia comparere, vel ab eo aliquid impetrare posse.* Quod facillè animadvertet, qui perpendere sustinebit, quanta obligatio sit & necessitas moralium principiorum, quam superioribus capitibus prolixè demonstravimus. Siquidem constat, quod conscientia iisdem utatur principiis, & ex illis deducat, quid hinc & nunc vel faciendum vel omittendum sit. Quemadmodum igitur moralia principia hominem obligant, ut ex illorum præscripto actiones suas instituat: ita pariter tenetur homo conscientiæ dictamini obsecundare. Hoc si negligit, ipsa moralia principia negligit, illorumque Authorem, DEUM, omnium rerum Conditorum contemnit, quod nefas esse ac iniquissimum, homo non potest penitus ignorare, idcirco se colligens angitur, & moralium principiorum vindicem ejusque indignationem justamque animadversionem incipit extimescere. Cum autem conscientia recta vel formaliter, vel virtualiter talis sit, etiam non unò eodemque modo fieri solet, ut negligatur & contemnatur. Formaliter recta dicitur conscientia, quando expressè infert conclusionem rectæ rationi consentaneam, quæ quid hinc & nunc

Ec 3

facien-



faciendum sit, præcipit. Sic, quando v. g. Sempronius ita colligit :

Nullum adulterium est committendum.

Concubitus cum aliena uxore est adulterium. E.

Concubitus cum aliena uxore non est committendus.

Conclusio est dictamen conscientie recte formaliter. Quam si volens & sciens negligit, contra conscientiam peccat, quæ formaliter præscribit, quid recte rationi consentaneum & faciendum sit, vel omittendum. Virtualiter recta conscientia in illo est, qui moralia principia non ignorat, affectu tamen, vitiò, vel negligentia impeditus ea non advertit, multò minus illis conformiter concludit, quid hic & nunc faciendum vel omittendum sit. Rectam igitur conscientiam, virtualiter talem, negligunt & contemnunt, qui ebrietati indulgent & moralia principia obruunt, ut ea nesciant applicare, sed vel inter pocula suos compotatores, vel alios homines lædunt. Huc pertinent, qui ex affectu & præcipitantie & incontinentie agunt. Nam ille actum intellectus antecurrit: cum hoc verò ideo actualis inscitia rei, quæ agitur, conjuncta est, quoniam affectus vehementia impellitur intellectus, ut immoretur contemplationi rei, quâ parte sensibus grata, quâ parte autem recte rationi conformis est, eam expendere intermittat. Accedit etiam nonnunquam perverse voluntatis imperium, quò dirigitur intellectus ad contemplationem rei, quatenus est ad palatum appetitus inordinati. Nec prius integrum est intellectui, ad veterem recte rationis speculationem reverti, quam voluptas titillare desinat, fatiscat & profus pereat. Utroque modo gravissimè peccatur. Tenetur enim homo, qui sui juris est, ad hujus conscientie dictamen, actiones suas ordinare & instituire. Is verò, qui sub alterius est imperio, caveat, ne contra illum agat, etiam si ipsi integrum non sit, secundum præscriptum ejus simpliciter agere: ratio est, quia legis naturalis major est obligatio, quam positivæ humanæ, quæ ab illa originem & modum accipit. *Non enim natura tollit, quæ ipsa peperit, jura, sed in illis, quæ communem originem habent, naturaliter ordo requiritur, quo salvo nequit fieri, ut minus imperium majori opponatur; ut v. g. Dominus aut Pater, aut Maritus, possit jubere, quæ summa civilis potestas suo jure vetat.* Bœcl. de Relig. mand. Quapropter multò minus lex humana præcipere potest, quod deroget naturali.

§. 3. Si verò conscientia recta saltem consulens est, suadet saltem vel dissuadet, id est, judicat quidem, non necessarium esse, ut hoc fiat, esse tamen melius & magis conveniens, quàm si non fiat, non obligat quidem simpliciter agentem, interim tamen instigat, & temerè negligendum non est, quod suadet, nisi videri velimus aliquo modo inconsideratè, & negligentè agere.

§. 4. Ex his apparet, quod iudex illum reum, de cuius innocentia ipsi, non ex præconcepta quadam sententia, sed ex genuinis rectisque iudiciis constat, condemnare non debeat, licet per testes sit convictus, acta quoque & probata eundem condemnent. Tenetur quidem iudex ex legum præscripto & more iudiciorum, secundum acta & probata agere, quoniam autem conscientiam vulnerare nefas, tutius esse perhibetur, intermittere iudicandi actum, nec absolvere reum, nec condemnare, sed superiori rem omnem committere, eundemque docere, ut accuratius omnia scrutari, & illâ prudentia uti possit, quâ Daniel presbyterorum iniquitatem deprehendit, ut Susannæ innocentiam patefaceret & criminationes dilueret. Manifestum est, quid censendum sit, cum reus nondum satis ab actore & testibus convictus, iudici verò constat, plana & manifesta & vera esse omnia, quæ ipsi objecta & crimini data fuerunt.

§. 5. Inde quoque patescit, quod ministri & subditi sine gravissimo scelere nihil, iussu etiam superioris, admittere queant, quod dictamini rectæ conscientiæ adversatur. Peccavit ergo Doëgus, quod Iussu Saulis 85. Sacerdotes innocentes trucidaverit, reliqui contra satellites cruentum illud ministerium laudabiliter detrectârunt. 1. Sam. XXII. iunge Pl. LII. Sicut etiam obstetrices Ægyptiacæ, Religionē ac innocentiam studio inductæ, immane Pharaonis mandatum, honesto & pio falsiloquio elusisse celebrantur. Exod. 1.

§. 6. Dum virtutis & honestatis studium extollimus, & ministris aliisque subditis adeo commendamus, ut illud omnibus rebus anteponendum esse censeamus, minimè mandati religionem & imperii sanctitatem sublatam & extinctam cupimus, sed potius illam confirmamus & stabilimus. Præterquam enim, quod nulla potentia scelere quæ sita cuiquam diuturna sit, etiam ira Regis in iræ ministros recidere plerumque solet. Curt. lib. 10. cap. 1. Certè vix quisquam ullum scelus & flagitium absque periculo capitis & fortunarum suarum admittere potest. Unde necesse est, ut maleficii ministri, in quos callidi Principes invidiam & infamiam facti derivare & à se avertere student, præsentissimo discrimini & exitio subjiciantur, atque fato quodam & divinæ providentiæ destinatione, veluti publicæ victimæ gravissimo supplicio afficiantur. Vid. J. A. BOSIUS in dissert. ad Tacit. 4. cap. Agricol. §. 15. Unde merito laudatur Græcinus, quod Silanum virum potentem & innoxium accusare iussus abnuerit, quando quidem innocentes deferre flagitiosum, & quicquid cum scelere conjunctum, etiam periculosum est. Tacitus d. l.

§. 7. Neque mandati Religio & imperii sanctitas eo usque extendenda est, ut crimina & facinora illicita iussi, obsequi & patrare debeamus. Nulla enim potestas civilis & obsequendi necessitas, naturam rationalem

&amp; fo-

& socialem deprimere, sed tueri potius & adjuvare debet. At verò admiffa scelera pessimè contaminant naturam rationalem, & socialem vitam turpissimè affigunt & destruant. Hujus enim felicitas non nisi honestis actionibus obtineri potest, & ad hanc beatitudinem facilius comparandam summa potestas reperta est. Fieri igitur non debet, ut ab imperantibus, quod iniquum est, mandetur, & à parentibus conficiatur. Juvat etiam, ut semper cogitent utrique, quod omne sub regno graviore regnum sit, divinoque imperio non secundum modo, sed subjectum agnoscat, quicquid in humanis summum appellatur. Unde certum est viro bono & prudenti, mortem potius oppetere ac quosvis cruciatus subire, quam turpe facinus admittere. Quo animo qui fuerit, is faciliè intelliget, nullam necessitatem fingi posse, quæ impellat hominem, ut peccandi periculum nequeat effugere.

§. 8. Hoc tamen modò de obsequii gloria nihil detrahitur, sed integra & sola relinquitur subditis, & unà conceditur, quod parendo potius, quam imperantium jussu sciscitando contineatur, ut verè Otho Imperator apud Tacitum 1. Hist. 83. 84. judicaverit, *si, ubi jubeantur, querere singulis liceat, pereunte obsequio, etiam imperium intercidit.* Turpissimè verò illa obsequii gloria contaminatur, & in summum dedecus convertitur, si in materia illicita & inhonesta versatur. Ne igitur subditorum pietas, quam summæ potestati debent, ullâ ratione lædatur, par & æquum est, ut subditi de Magistratu benè opinentur, & seriò existiment, quod tantum recta & justa, quæ ad commodum publicum pertinent, præcipiantur. Licet dubitatio quædam suboritur, satius tamen est, quoniam non nostro, sed imperantium arbitrio res gerenda est, in eam partem inclinare, quæ cautior est. Haud dubiè verò illa pars melior & cautior judicatur, quæ conservat, non quæ dissolvit ordinem imperandi & parendi. Hic autem consistere non potest, nisi subditi de justitia summæ potestatis optimè sentiant, & in obsequendi studium prompti & proclives sint, nec prius illud deprecentur, & recusent, ac planè denegent, quam certò & liquidò appareat, quod mandata sint injusta, & illicita. Quò pacto vis obligandi & obsequendi necessitas evanescit, & illud locum invenit, quod est apud Senecam; *ad quamdam nulla debet necessitas compellere.* Unde perappositè Musonius apud H. Grotium: *Si quis aut patri aut Magistratui aut Domino, turpia aut iniqua factu imperanti, non paret, is nec inobediens est nec injuriam facit nec peccat.* Nec alienum ab hoc loco est, quod apud eundem habet Ambrosius: *Julianus Imperator, quamvis esset Apostata, habuit tamen sub se Christianos milites: quibus cum dicebat, producite aciem pro defensione Reipublicæ, obediebant ei: cum autem diceret eis, producite arma in Christianos, tunc agnoscebant Imperatorem Cæli.* Non tamen

inficia-

Inficiamur, ejusmodi ministerium, quod omni vacat crimine, præstari posse, ut culpa redanderet in authorem. Sic legatus, qui mittentis jussu, verba, in quibus nullum manifestum crimen est, enunciat, eorum culpam, si quid peccatur, non ipsi, sed ei, qui imperavit, æquum est imputari: cum legato obsequii intumbat necessitas, & ministri sit, de jubentis justitia bene opinari, neque omnia negotiorum momenta civis exponere, consultum; neque omnibus dijudicare concessum sit. Add. Hipp. à Collib. Palat. in Speculo Aulic. & Polit. Observat. p. 164. seqq. Eadem ex causa civis ad arma injusta, quod tamen liquido non cognovit, neque cognoscere valet, arcessitus tutissime parat, atque Imperatorem de belli justitia DEO rationem reddere permittit. Aliud est injustum facere, aliud injustè. Benè Augustinus: *Vir justus, si fortè sub Rege etiam sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, si civica pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra DEI præceptum, certus est, vel utrum sit certus non est: ita ut fortasse reum faciat Regem, iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendit ordo serviendi.* Idem locò aliò: *Miles cum obediens potestati, sub qua legitime constitutus est, hominem occidit, nullà civitatis sue lege reus est homicidii: imò nisi fecerit, reus est imperii deserti, atque contemti, quod si suâ sponte atque auctoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset.* Itaque unde punitur, si fecerit in jussus, inde puniretur, si non fecerit jussus: vid. H. Grot. de J. B. & P. l. 2, c. 26. Hobbes de Cive & Sam. Pufendorff. de J. N. & G. l. VIII. c. 1, §. 6. 7. J. A. Bosius d. l. Ut forsitan nimium rigidus sit H. Grotius, quando l. c. scribit; *probabile esse, etiam carnifici, qui damnatum occisurus est, hætere, aut quòd quæstioni factis interfuerit, aut ex rei confessione, cognita esse debere cause merita, ut satis ei constet, mortem ab eo commeritam.* Tanta enim hic requiritur scientia æqui rectique, quanta in paucissimos hominum plebejorum cadit; inobedientia verò Principes & Rempublicam lædit, ipsumque ordinem parendi & imperandi dissolvit. Nihilominus tamen laudandum est in Grotio pacis studiosissimo, quod Magistratum sollicitè admoneat, conscientia civium quam rectissime consulere. Optandum verò, ut etiam hi tributa extraordinaria solvere, & militibus pecunias numerare mallent, quam præstare operam, de cujus bonitate & justitia dubitant.

§. 9. Propterea valdè liquidum est, quid de illis mandatis injustis, quæ vi jubendi carent, & volentibus tamen committuntur, adeoque recipi & recusari possunt, statuendum sit. Quò liberius enim in his mandatis convenitur, eò magis peccat, qui rem inhonestam mandari sibi patitur, cum possit recusare. Bœcler. de Relligione mandati.

## CAPUT TERTIUM ET DECIMUM

De

## CONSCIENTIA CERTA.

§. I.



Conscientia certa est actus intellectus practici, quod est duabus præmissis indubitato veris, evidenter aliquid dedit, & id faciendum vel omittendum esse dicitur, v. g. quando ita colligimus: Omnes benefactores sunt honorandi; Hi parentes sunt mei benefactores; Ergo hi parentes mei sunt honorandi. Est conclusio hæc dictamen

Conscientiæ certæ.

§. 2. Conscientia certa in illis saltem reperitur, qui rectâ ratione pollent, & principia moralia ritè applicare, & quid hîc & nunc agendum sit, evidenter colligere & demonstrare possunt. Tametsi ergo nonnulli constanter agant, quæ virum bonum decent, & à laudabili iustoque proposito se dimoveri non patiantur; si tamen officii sui rationes è primis fontibus derivare nequeunt, rectam, non certam habent conscientiam. Cæterum obligatio Conscientiæ certæ cum recta coincidit, aut potior & validior est, vel saltem liquidior & evidenter. Adde Luc. XII. 47. 48.

§. 3. Nam in certa Conscientia includitur demonstrativa & apodictica scientia, quæ duplicem requirit necessitatem & certitudinem, alteram rei, quæ scitur, alteram in animo scientis. Res enim, quæ scitur, debet esse constans & perpetua, æternæque veritatis; unde necesse est, ut aliter se habere nequeat. Non minus etiam animus scientis certus esse debet, quippe quem oportet planè esse ἀμεταπλῆστον, h. e. immotum & constantem, quod fieri non potest, nisi planè ac omninò certus sit, rem aliter se habere non posse. Nam, ut Bartholomæus Viottus, insignis Philosophus quondam & Medicus Taurinensis scribit, *hec in omnium hominum animis infixæ est opinio, ut tunc se rem aliquam scire affirmant, cum causam noverant, ob quam res illa est. Atque præter id, si noverint talem causam ad eò cum illo effectu reciprocam esse, ut impossibile sit, illam poni, quin res illa ponatur, tunc non fortuitam, & momentaneam ejus rei cognitionem habere existimant, sed firmam & perpetuam scientiam.* Vid. de Demonstratione Lib. 4. c. 10.

§. 4. Oritur igitur illa certitudo Conscientiæ ex perspecta & penitus explorata principiorum moralium, & inde per immutabilem connexionem

xionem deductarum conclusionum evidentiâ & necessitate. Cum enim & principia moralia, & quæ ex illis necessariâ & perpetuâ consequentiâ sunt, immutabilia & æterna sint, apta & idonea sanè judicari debent, quod possint in animo scientis certam & constantem scientiam producere.

§. 5. Ad quam firmitatem animi excitandam & confirmandam multum conferre potest sacrarum literarum auctoritas. Quamobrem juvat ostendere, quod in illis eadem præcepta præponantur, quæ moralibus principiis continentur. Id verò constanter asserit Author Philosophiæ veteris & novæ ad exemplar Parisiense nuper Noribergæ recusus. *Verum illud, inquit, semper inconcussum mater, hanc esse legis naturalis & æternæ summam, quam Christus Dominus penè extinctam renovavit, quam Apostoli prædicarunt, ex qua omnes aliæ leges fluxere. Nam hæc DEI leges omnia præcepta continentur, diliges Dominum &c. & proximum sicut teipsum. Ad hujus legis notitiam DEO cognito sponte animus emergit; hanc Spiritus S. mentibus nostris inserit, quam recta ratio per se intrinsecus, quæque non multum est perversa, propositam ultro amplectitur. Hæc enim, ut loquitur Augustinus, est lex æterna, & ipsa ratio, quæ ordinem naturalem violari vetat, conservari jubet; est illud lumen, quò illuminatur omnis homo veniens in hunc mundum; hoc præceptum est vetus & idem novum, quod in Scripturis adæ commendatur, ut vera sapientia, eiq; cælestis, non animalis, lex in cordibus scripta identidem appelletur. Lex enim naturalis à Christo renovata non aliud præcipit, quàm virtutes omnes, quæ amore DEI, ut sancti boni continentur. Vid. Philosoph. Moralis tractat. 3. Disp. prior. quæst. 5.*

§. 6. Eandem sententiam puetur, & principia moralia, horumque conclusiones à Mose pariter & Christo inculcari & repeti asserit J. A. Oslander in Theologia Morali. Cùm enim c. 10. §. 11. in controversiam illam incideret, teneanturne Christiani præceptis Decalogi, quatenus sunt declarativa legis Naturæ tantum, an etiam quatenus sunt Mose à DEO, DEIque jussu à Mose populo DEI tradita, & in sacros codices relata? ita pronunciare non dubitavit: *Consultius mihi loqui videntur, qui dicunt, legem illam Mosis non obligare Christianos formaliter, & quæ talis, hoc est, quatenus à Mose tradita est; sed tantum ratione materie, quatenus declarativa est legis Naturalis: & proinde vim suam obligandi omnem non ab auctoritate Mosis, eam sive ferentis sive tradentis derivare, sed ab ipso Naturalis legis dictamine, quam DEUS mentibus nostris & inserit in prima creatione, & ut voluntatis sue monitorem in eisdem etiam post lapsum voluit permanere.* Postquam de lege vetere & Mosaicâ ita disseruit, progreditur ad legem novam sive Christi, hoc est, Evangelium, quò hæc tria contineri dicit, Mysteria fidei credenda, ad quæ promissiones DEI gratuitas refert, instituta sacra Ceremonialia & Ecclesiastica, &

præcepta dēnum moralia. De his Novi Testamenti præceptis moralibus affirmat, illa eadem esse quoad substantiam cum Moralibus Veteris Testamenti, & utraque ad legem Naturalem, quæ in decem præceptis Decalogi continentur, esse referenda; sicut omnia Entia realia revocantur ad decem prædicamenta. Esse tamen præcepta Christi in lege nova, ut sancti Ecclesiæ Patres ubique testantur, præceptis Moysi, in veteri lege, quoad aliqua multò præstantiora; non eò solum respectu, quod plenius, clarius & explicatius proponuntur, sed quatenus etiam altius assurgunt, & ad eminentiorem perfectionis gradum Christianos provocant, idque efficacissimis utrinque *sermoneis*, proposito scilicet eis ex una parte exemplo Christi præterito, ex altera amplissimo regni cœlestis futuro premio. Ut in duobus illis magnis vitæ Christianæ officiis vel maxime patet, de diligendis inimicis & tollendâ cruce in lege nova imperatis. Neque enim sunt illa, sicut aliqui somniant, eâ duntaxat locò habenda, ac si consilia tantum essent vitæ perfectioris; quæ sicut omnibus proposita quidem sub conditione præmiî amplioris, neminem tamen obligant sub peccato, nisi qui se voto ad ea observanda obstrinxerint. Quin imò verè præcepta sunt, eaque propriè dicta & universaliter obligatoria: ad quorum observationem, sub gravi peccati culpa (abnegati scilicet Christi) & æternæ damnationis (nisi respiciant) pœnâ obligantur, quotquot Christi fidem nomenque profitentur.

§. 7. Non alio modo doctrinæ Christianæ partes in scripturis sacris traditas distribuit B. Joh. Musæus, in Introductione in Theol. part. alt. c. 5. sect. 1. §. 13. Quædam, inquit, ex lumine Naturæ quodammodo cognosci possunt, & in Scripturis sacris rectæ rationi per omnia convenienter, vel etiam perfectius, quàm in hoc naturæ statu corrupto per eam cognosci possunt, traduntur: Alia cadunt sub Lumen naturæ secundum rationem quandam genericam, excedunt verò illud, secundum suam rationem specificam; ex divina tamen revelatione cognita, nostram confusam, quam ex Lumine Naturæ de illis habemus, cognitionem insigniter perficiunt. Nonnullæ denique lumen Naturæ simpliciter excedunt, commendantur tamen nobis ut mysteria, à DEO ad salutem nostram revelata. Idem paulò ante §. 9. ejusd. cap. sed brevius, verbis sequentibus significavit: dogmata humane salutis causâ in Scriptura sacra consignata, duâ generum sunt, quædam ex lumine Naturæ etiam cognosci possunt; alia verò lumen Naturæ excedunt, nec aliunde, quàm ex DEO revelante nobis innotescere possunt.

§. 8. Quamvis autem eadem principia Moralia, quæ certa ratio suggerit, etiam sacræ literæ inculcent, liquidum tamen est, quod simplicius & certius in utroque instrumento, veteri & novo, proponantur. Etenim in Scriptura sacra præcepta vitæ brevibus & planis verbis, absque demonstratione, per nudas assertiones traduntur, quas omnes pariter, docti æque ac indocti, percipere possunt. Sed recta ratio conclusiones, quibus

vivendi

Vivendi modus præcipitur, adhibitis argumentis per demonstrationes deducit, quas non omnes eruditi valent assequi. Deinde quando ratio vivendi præcepta proponit, inferendi & asserendi ratio principiis naturæ notis fundatur. Si verò Scriptura sacra inculcat eadem, tunc assentiendi ratio in DEUM revelantem est referenda. Quemadmodum autem certius est, quod ipse DEUS per Scripturam sacram nobis patefecit & proposuit, quam quod homo ex naturæ lumine cognoscit & deducit; ita etiam præcepta de vita rectè & legibus conformiter instituenda, in sacris literis comprehensa, majorem habent certitudinem, quam quæ humana ratio ex naturæ principiis colligit. Etenim DEUS, propter infinitam suam scientiam & bonitatem nec fallere nec falli potest. Homo autem quidem pariter in eruendis & demonstrandis illis præceptis, quæ ad vivendi modum pertinent, errare & decipi possit, nemo dubitabit. Quamvis autem concedamus, quod adhibito convenienti studio evitari possint errores, & firmam liquidave obtineri scientiam; id tamen negari nequit, quod certior sit assensus, qui divinæ revelationi adhæret, quam qui humanæ rationis dictamina sequitur.

§. 9. Cum igitur præter principia moralia, quæ & sui, per se ipsa, & certarum inde promanantium conclusionum scientiam pariunt, etiam alia prostant subsidia, omni erroris periculo, omnique dubitatione majora, quæ fidem gignunt; dilucidè apparet, quod præter rectam, etiam certa conscientia dari possit, quæ reddat animum planè & omnino certum, constantem, firmum & immotum, ut à recta & vera & laudabili sententia nullis voluptatum invitamentis irretitus avocari, nullis doloribus & periculis perterritus averti queat.





## CAPUT QUARTUM ET DEGIMUM

De

## CONSCIENTIA PROBABILI.

§. 1.



Conscientia probabilis est actus intellectus practici, quò ex duabus præmissis, quarum utrique vel alterutri, maximè majori, cum formidine oppositi assentitur Intellectus, & inde quid faciendum vel omittendum sit, deducit. Sic actus Salomonis, quò judicavit infantem vivum illi foeminae adjudicandum esse, quæ intercesserat divisioni, erat Conscientia probabilis. Ita enim colligebat Salomon: Quæ amore majori prosequitur infantem vivum, illa est ejus mater; atqui hæc, quæ intercesserat divisioni, majori amore prosequitur infantem. E. hæc est ejus mater. Hujus Syllogismi præmissæ, maximè major, probabiles seu topicæ sunt, non apodicticæ, hoc est, ut plurimum sunt veræ, non tamen semper & necessario, adeoque non sine formidine oppositi.

§. 2. Non tantùm rationibus verisimilibus nititur Conscientia probabilis, sed interdum etiam hominibus, quorum non exigua est auctoritas. Unde vulgò dicitur, quod Conscientiæ probabilis principia duùm generum sint: alia intrinseca, alia extrinseca. Intrinseca, quæ ex ipsa rei & facti natura, ope ingenii artisque sumuntur, qualia Dialecticis argumenta vocantur artificiosa; sic probabile est, & rei factique natura docet, juvenem, qui commestationibus sæpiùs indulget, in libidinem tandem despumare. Extrinseca sunt auctoritates hominum gravium & rei, de qua disceptatur, peritorum; cujusmodi argumenta Dialecticis artis expertia vel inartificiosa dicuntur. Utraque cum formidine oppositi sunt conjuncta.

§. 3. Oritur oppositi formido, quando ipsam rei veritatem non habemus certò & exactè cognitam exploratamque, sed saltem gravi auctoritate & non modici momenti ratione nitimur. Est siquidem nullius viri tanta auctoritas, ut erranti periculo exemptus censi queat. Rationes verò validæ, evidentes & necessariæ sint, necesse est, si tanti roboris haberi debeant, ut animum ἀμυγνῶν & planè certum reddere queant. Hinc utut adsint rationes non contempnendæ & momenti haud modici, auctoritates etiam graves, quæ sententiam probent, deficient verò rationes necessariæ, & prorsus evidentes ac planè certæ & immobiles, sine formidine

midine oppositi non possumus assentiri ac judicare, quod res aliter se habere nequeat.

§. 4. Sed ponderare rationes, & ad mentistrutinam revocare, diligenterque expendere, ad hominem eruditum pertinet, sicut contra plerumque coningere solet, ut homines illiterati autoritatibus moveantur. Quanquam nihil obset, quò minus homo eruditus aliorum plus, quam suomet ipsius iudicio tribuat, & propterea illam opinionem, in quam rationibus verisimilibus adductus est, deferat, & diversam multorum sapientia præstantium virorum autoritate probatam, & passim usû publico receptam sententiam potius amplectatur. Improbabilem sententiam & rationibus & autoritatibus destitutam non solum, sed etiam contra quam rationes & autoritates militent, merito unusquisque despicendam esse judicat.

§. 5. Obligat Conscientia probabilis non minus quam recta & certa, ita ut rectè agat, qui secundum eam agit; perperam, qui contra. Potest enim & debet quisque illam animi sui sententiam sequi, quæ à recta ratione non est aliena. Talis autem est, quam suggerit Conscientia probabilis, gravi nimirum autoritate & non modici momenti ratione subnixâ. Solet enim haud raro usu venire, ut exactam rei veritatem accuratè indagare & certò invenire nequeamus, atque in verisimilibus subsistere cogamur. Quò casu id, quod non iniquum & probabile est, sequi sufficit, atque nimis dura, difficilis, & propè impossibilis, ac sæpè cum periculo conjuncta foret obligatio, si quis teneretur in univèrsum, non prius quicquam agere, quam accuratissimè invenerit rei planissimam veritatem. Nec cuivis integrum est, perpendere, ultra probabilium sententiarum efficaciore ratione, plurium doctorum & peritiorum hominum auctoritate subnixâ sit. Multorum etiam negotiorum ea est indoles, ut æquè feliciter, beneque administrantur, quæcunque ratione probabili suscipiantur.

§. 6. Pro tollendis tamen hujusmodi difficultatibus probè dispiciendum est, num in partem utramque æquè probabiles rationes fiat in promptu, ut discernere aliquis non possit, quarum rationum majus momentum aut pondus censei debeat: an verò una sit alterâ probabilior, & majoris momenti rationibus subnixâ. Utrum quis suo arbitrato & sua sponte, an alieno jussu & imperiò agat. Utrum quis doctus, an rudis? vel exiguâ peritiâ instructus, nec satis confirmatus? Est illud etiam non negligendum, an sententia probabilior sit etiam magis vel minus tuta. Minus tuta censetur, ubi ad rem maximi pertinet momenti, ingens damnum & præsentissimum peccandi periculum imminet. Tutior contra est, quæ minus habet incommodi aut periculi, & in qua non æquè peccari potest.

§. 7. His observatis asseri potest:

1. Ex duabus æquè probabilibus contradicentibus sententiis sequi quisque potest, quam maluerit; quamcunque enim eligat sententiam, rectè agit, h. e. secundum sententiam à recta ratione non alienam.

2. Si duarum probabilium sententiarum una sit altera probabilior, non necessario est eligenda probabilior, sed potest etiam eligi minus probabilis, dummodo intra terminos probabilitatis verè sit constituta. Securius tamen & consultius est, sequi probabiliores, quamvis in praxi & minus probabilem sequi permittatur, quoniam, qui ita operatur, secundum rectam rationem operatur, & propterea bene rectèque.

3. Si verò minus seu æquè probabilis sententia trahat secum periculum peccandi, vel adversum charitatem proximi aliquid committendum, aut damnum contra justitiam proximo inferendum, non licet eam sequi, quoniam nemo periculo peccandi semetipsum præsertim manifesto exponere, aut damnum vel contra charitatem vel contra justitiam proximo inferre potest. Hoc in casu altera tanquam tutior, & à periculo peccandi remotior præferenda est. Sic advocatus, cujus patrocinium utraque litigantium pars postulavit, rectè illam amplectitur, quæ minus sovet periculi, ut utriusque partis æquè sit probabilis, vel illa, quæ minus alit periculi, minus sit probabilis. Pariter quando Æsculapius Lazaro morbo chronico laboranti, & graviter periclitanti operam suam addixit, & paulò post à Caja puerperio intenta poscitur, rectè huic præ illò subveniendum esse statuit. Licet enim illi succurrere non minus sit probabile, quia tamen Caja puerperio intenta, cum majori periculo, quam Lazarus, deseritur, tutius sanè est, Cajæ opem ferre. Similiter in medicamentis & curationibus id observari debet: cum enim agatur de periculo corporis, tutior & securior via semper eligenda est, ut graviter peccare censeatur Medicus, si experiendi tantum causa inexplorata medicamenta applicat. Si tamen contingat, ut nulla suppetant medicamenta, nisi dubia & periculosa, prudenter & circumspèctè examinari debent, hinc quidem vis & periculum morbi, illinc verò tam spes sanandi, quam metus, vis ac periculum nocendi. Ubi Medicus intelligit, certò moriturum infirmum, nisi medicamentum adhibeatur, non carens quidem periculo accelerandæ mortis, junctum tamen cum probabili spe sanitatis restituentæ, applicari poterit, quia hæc via tutior & securior est.

4. Qui aliorum imperio est subjectus, mandata superiorum facere potest, quæ non sunt certò illicita, quamvis non adeo probabilia videantur.

5. Indoctus tutissimus est, si auctoritatem prudentiorum, in primis illorum, sequitur, quibus obsequio est obnoxius. Quæ tamen lo-

cum

cum obtinere possunt in illis saltem negotiis, de quibus nondum aliquit lege ullâ definitum est. Cum enim leges disertè præcipiant vel interdican, hujusmodi electionem & deliberationem excludunt, nec per plura & diversa velut æquipollentia sibi satisfieri permittunt. Quod notandum etiam adversus ea, quæ vulgò à Jesuitis solent disputari & ex probabilitate defendi.

§. 8. Quamvis ad æquum & honestum maximè respiciamus; quia tamen utilitate omnes trahimur, & ipsa virtus foecundissima mater variorum & certissimorum bonorum est, atque nemo detrimenti causa, sed commodi gratia quilibet negotium aggreditur; non incongruum fuerit hòc locò exponere, quid in deliberatione de utili & inutili, commodo & incommodo sequi vel vitare deceat.

§. 9. Primò semper ob oculos habenda sunt, quæ sapientissimè disserit Tullius lib. 3. offic. *Cum, inquit, aliqua species utilitatis objecta est, nos commoveri necesse est. Sed si, cum animum attenderis, turpitudinem videas adjunctam ei rei, quæ speciem utilitatis attulerit; tunc non utilitas relinquenda est, sed intelligendum, ubi turpitudinis sit, ibi utilitatem esse non posse. Quod si nihil est tam contranaturam, quam turpitudinis; (reli enim & convenientia & constantia natura desiderat aspernaturam, contraria) nihilq; tam secundum naturam quam utilitas, certè in eadem re utili turpitudinis esse non potest. Vid. plura l.c. Videlicet ambiguum, sed optabile utilitatis vocabulum, imperitoribus frequentissimè imponit. Est quippe duplex utile, prout non ex uno, sed diverso principio judicatur. Aliud utile est, quod pravo & corrupto mentis judicio tale judicatur, quodve ad affectus refertur malè compositos, qui præsentibus ferè ac citò transituris commodis tantum inhiant, & de futuro parùm provident. Aliud sana ratio æstimat utile, quæ non tantum ante pedes posita spectat, sed etiam, quid in posterum inde sit emeriturum, exactè perpendit. Rectæ igitur rationi hoc demum verè utile censetur, quod in universum est tale, & ad diuturnitatem facit; nequaquam autem illud tanquam utile appetendum ducitur, quod momentateo terminatur commodo, & ingens malorum agmen post se trahit.*

§. 10. Deinde ubi certum est utilitati nullam turpitudinem adhaerere, poterit sapienter observante Pufendorffio, fundamenti loco supponi, ne quid suscipiatur, ex quo morali æstimatione (id est, in quantum humana providentia, inter incerta casuum & futuri obscuritatem valet penetrare) tantumdem mali atque boni, aut etiam plus mali quam boni videtur oriturum, siquidem tantum de bonitate rei decedit, quantum illa mali adjunctum habet. Inde per se fluunt illa consuetudina Hug.

Grotii.

1. Si res, de qua agitur, æqualem, morali æstimatione, efficaciam habere videtur, ad bonum & malum, i. e. si æquè facile damnum, quàm lucrum ex ea provenire possit: ita demum est eligenda, si bonum aliquando plus habeat boni quàm malum mali, i. e. Si lucrum longè majus futurum est, ubi res benè cesserit, quàm damnum, ubi secus alea ceciderit. Sic temerarium non fuerit, decem periculo exponere, si centum sis lucraturus, ubi fors faverit.

2. Si videatur esse æquale bonum & malum, quod à re, de qua quaeritur, possit procedere, ita demum ea res eligenda est, si efficacia ad bonum quàm ad malum major sit, i. e. si facilius sit lucrum inde, quàm damnum provenire.

3. Si videatur & bonum & malum esse inæquale, nec minus inæqualis rerum efficacia, res ea ita demum eligenda est, si efficacia ad bonum major sit, collatâ efficaciam ad malum quàm ipsum malum est collatum bono, i. e. Si excessus mali minor sit quàm facilitas, quâ bonum provenire potest; aut si bonum sit majus comparatione mali, quàm efficacia ad malum comparata ad bonum, i. e. Si efficacia, quâ malum præ bono provenire potest, minor sit, quàm excessus boni præ malo.

4. Ubi autem rei tam bonum quàm malum, ut & efficacia ad utrumque sit invidens, cauti est, re abstinere, ubi nulla necessitas urferit. Gro-  
tius d. I, B. & P, l. 2. 24. §. 5. Sam. Pufendorffius de jure,

N. & G. l. 1. c. 3. §. 7.



## CAPUT QUINTUM ET DECIMUM

De

## CONSCIENTIA ERRONEA.

§. 1.



Conscientia falsa seu erronea est actus intellectus, quod e duabus propositionibus, quarum vel utraq; vel alterutra est falsa, aut perperam intellecta & applicata, deducit, quid faciendum vel omittendum sit, quod tamen secus fieri debebat, e. g. quando infertur, rem intrinsecè bonam esse fugiendam; intrinsecè malam esse appetendam; rem indifferentem esse moralem; rem moraliter bonam vel malam esse indifferentem. Quod fit, quando quis allatis rationibus contendit, bonum publicum esse negligendum, neque privatum commodum ei post habendum: Mendacium perniciosum esse dicendum: Esum carnis suillæ esse illicitum, aut esum carniū die Veneris esse prohibitum: perinde esse, utrum quis avaritiæ studeat, an non studeat. Committitur etiam error, quando vera proposito malè applicatur, ut cum Evchetæ vel Evchitæ, *καὶ τῆς ἐυχῆς* sic appellari, Servatoris nostri adhortationes ad preces ita interpretabantur, quasi ab omni opere abstinendum esset. Vid. Augustin. de Hæres. c. 57. Perperam applicando erravit Judas Ischariotes, quando illam propositionem illimitatò acceptam: Præmia mereri omnino licet: miserè applicavit, & infeliciter Magistrum suum prodidit. Quamobrem Erronea Conscientia dicitur etiam Sophistica, quatenus certæ tanquam apodicticæ, ut & probabili opponitur. Quemadmodum enim Sophistæ partim ex ambitione, partim ex lucri cupiditate; videri volunt sapientes; cum autem neque propriis & veris principiis rerum, neque *ἐπιζητοῦσιν* suam sententiam persequi possint, *φαρμακείους* utuntur quibusdam, & vel concludunt syllogisticè, vel non concludunt, qui dicuntur *παραλογισμοὶ*; ita erronea Conscientia æmulatur rectam conscientiam, & sibi pariter ut recta, vim obligandi arrogat, quoniam autem suas Conclusiones veris & probabilibus rationibus defendere non potest, adhibet falsas inter-dum, nonnunquam veras, sed malè perverfas & detortas in usum alienum, atque perperam accommodatas. Dicitur ergò Conscientia erronea ab errore admissio, vel circa scientiam facti; v. g. quando necessariam sui defensionem cum cæde ex vindictæ cupidine commissa confundimus; vel circa scientiam juris & legis, v. g. quando irrationabilis consuetudo, aut id, quod iniquum est, habetur pro lege & iusto.

Gg 2

§. 2. Con-

§. 2. Convenit igitur Conscientia erronea cum recta 1.) in eo, quod sit actus intellectus, in particulari quid faciendum; quid omittendum sit, dictitans. 2.) in eo quoque, quod is, qui agit contra Conscientiam erroneam, peccet non minus, ac is, qui contra rectam agit Conscientiam, v. g. Qui agit contra Conscientiam erroneam dictitantem: huic stipem petenti non esse dandam eleemosynam, peccat, ut actio materialiter bona sit. Nam is, cui, falso licet, persuasum est, eleemosynam non esse dandam, nihilominus largitur eleemosynam, sciens & volens agit illud, quod ex falsa licet persuasione, malum esse putaverat; quæ intentia peccatum est. Equidem adversus Conscientiæ erroneæ vim obligandi argumentis diversis pugnari solet. Primò enim opponitur, quod inferioris potestatis præceptum non obliget, si contrarietur præcepto potestatis superioris. Si enim Proconsul aliquid jubeat, quod Imperator prohibet, Proconsulis mandatum obligandi vi destituitur. Sed Conscientia vel Ratio errans quandoque proponit aliquid, quod est contra præceptum superioris, scilicet DEI, cujus est summa potestas. Ergò dictamen rationis vel conscientiæ errantis non obligat. Sed hoc argumentò errantis conscientiæ vis obligandi nondum infringitur. Nam si exploratum est, quod inferior potestas aliquid præcipiat, quod superiori contrariatur, tunc inferioris potestatis mandato nullam vim obligandi concedimus. Sed si alicui persuasum foret, inferioris potestatis mandatum esse superioris præceptum, v. g. mandatum Proconsulis esse præceptum Imperatoris, tunc contemnendo mandatum Proconsulis, etiam contemneret præceptum Imperatoris. Simili modo, si constat dictamen Conscientiæ errantis adversari præcepto DEI, nulla ei attribuenda vis est obligandi: Sed quando ratio vel Conscientia errans aliquid proponit, tanquam præceptum DEI, tunc obligat, & Conscientiæ dictamen contemnere idem est, ac DEI præceptum contemnere. Secundò etiam illud objicitur, quod Conscientiæ dictamen sit regula humanarum actionum, quatenus derivatur à lege DEI æterna. Sed Conscientia errans non derivatur à lege DEI æterna. E. Conscientiæ errantis nulla vis est obligandi. Enim verò licet concedatur, errantem Conscientiam non derivari ex lege DEI æterna; quoniam verò errans suum dictamen proponit, non ut falsum & aberrans, sed tanquam verum & quasi ex lege DEI æterna derivatum sit, eatenus obligat, & sine peccato nequit contemni.

§. 3. Differt autem à recta 1.) quia non è veris, sed falsis principiis procedit. 2.) quia is, qui ex præscripto Conscientiæ rectæ agit, usquequaque rectè & laudabiliter facit; qui verò errantem sequitur Conscientiam, si quidem error sit vincibilis & res moraliter mala, peccat gravissimè, v. g. qui gloriosum putat, regnandi causa jus violare, peccat, si

hanc

hanc sequitur Conscientiam, quia videlicet non facit, quod ex rei natura & vi legum faciendum erat, sed oppositum facit, nec errorem, peccati causam, quam deponere debuit ac potuit, deponere allaboravit.

§. 4. Hoc posterius ut fati capiatur, notandum est, errorem alium esse vincibilem, alium invincibilem. Ille est, quem quis adhibitâ diligentia moraliter possibili, seu quam communis conditio rerum humanarum admittit, discutere debuit ac potuit. Dicitur culpabilis & voluntarius. Hic, quem applicata omni diligentia moraliter possibili discutere non valeat. Vocatur involuntarius & inculpabilis. Deinde res, circa quam versatur Conscientia, vel est per se bona vel mala, & tum seu præcepta seu prohibita, seu indifferens, seu indeterminata, neque prohibita neque præcepta.

§. 5. Præterea error potest committi vel circa universalia vel circa particularia. De illo errore, qui committitur circa universalia, & speculativa & practica, quæve ipsa natura determinavit, tenendum, quod omnium sit gravissimus & turpissimus, atque homine planè indignissimus. *Nam, ut Thomas scribit 2. 2. qu. 154. 12. c. in quolibet genere pessima est principii corruptio, ex quo alia dependent. Principia autem rationis sunt ea, quæ sunt secundum naturam. Nam ratio, præsuppositis his, quæ sunt a natura determinata, disponit alia, secundum quod convenit. Et hoc apparet tam in speculativis, quam in practicis. Et ideo sicut in speculativis error circa ea, quorum cognitio est homini naturaliter indita, est gravissimus & turpissimus; ita in agendis agere contra ea, quæ sunt secundum naturam determinata, est gravissimum & turpissimum.* Utrum verò inter ligare & obligare, uti fieri solet apud Scholasticos, hoc locò admittendum sit discrimen, ambiguum putatur. Est autem illis ligare acturientem impedire, ne agere queat, nec permittere, ut agere possit. Obligare est constringere ad agendum sub interminatione reatus vel supplicii.

§. 6. His observatis, sequentes possunt formari assertiones: 1.) Initio cuivis homini necessitas imponitur, tantam adhibere industriam, in vero investigando, quantam potest & debet, ac ipsa rerum agendarum conditio requirit. Cum enim intellectus dictamen pro regula proxima habere deceat, opera profectò danda est, ne falsis sententiis imbuatur intellectus, neve in verorum principiorum applicatione cespitet. Aliàs frustra foret nobis concessum illud lumen, quò intellectus adhibito decenti studio illuminari solet ac debet, si illud impunè vel incuriâ nostrâ evanescere, vel malitiâ extingui posset. Eò magis autem curare debemus, ne in errorum laqueos inducamur, quò plures, etiam inter doctissimos, illis malè irretitos & implicatos deprehendimus. Ita enim Philippus Carolus in Critico scribit: *Nolite existimare, Numinum effata esse, que*

*cuncte*



cunque veterum admiramur hodie monumenta; ab humanis ingenii profecta sunt, quæ contigit interdum, ut Varro ait: *cespitare*. Nullum sine venia placuit ingenium. Da mihi quemcunque vis magni nominis virum, inquit Seneca, dicam, quid illi etas sua ignoverit, quid in illo sciens dissimulaverit. Neque in nobis saltem erroneam cavere juvat, sed in aliis quoque, si quos deprehendimus, eos corrigere ac emendare convenit. Quare J. C. de libertate Ecclesiast. ita præfatur: *Cogitate sapientissimè illud à Felice II. Romano Pontifice esse dictum: Error, cui non resistitur, approbatur: Et veritas, quæ minimè defensa fuit, opprimitur. Negligere quippe, cum possis deturbare perversam opinionem, nihil est aliud, quam fovere.* Facillimè autem in principio resistitur erroribus, quoniam cum fluminibus id commune habent, ut quemadmodum hæc ab origine quidem exigua sunt, sed progressa augentur, & eò majores undas vehunt, quò longius à fonte recefferunt; ita errores semel admissi, nobis imprudentibus tanta sumunt incrementa, ut difficillimè everti, & radicitus vix unquam excindi possint. Quicumque ergò non repugnat erroribus, neque industriam adhibet, ut errandi periculo liberetur, peccat, ut nequeat excusari. Emendationis verò curam prudenter & circumspectè suscipere debemus, quandoquidem *libentius respiciunt, quando non admoniti, sed quasi suâ sponte ad frugem rediisse sibi videbuntur. Quippe hæc plerorumque hominum natura est, ut eos potius pudor respiciëntiæ, quam admissi sceleris suffundat. Nemo unquam absque rubore errorem agnovit. Plures propugnati erroris obstinatio, quam ipse error damnavit. Dandum ergò est aliquid humanitati, ne obesse potius, quam prodesse videamur. Iste labor maximorum ingeniorum fuit.* Autor præfationis ad Lect. Jo. Valentini Andreæ Menippo præmissæ. II. Ubi verò alicui obrepit error, & res, circa quam versatur Conscientia erronea, est moralis, h. e. bona vel mala in genere morum, & error vincibilis, peccat, tum qui secundum eam, tum, qui contra eam agit, v. g. Princeps religioni Pontificiæ addictus, & à Jesuita quodam hanc legem edoctus, fidem non esse servandam hæretico, peccat, sive servet fidem, ob voluntatis perversitatem, agit enim animo deliberato, & ad contemptum legis obfirmato; sive frangat fidem, ob actionis *avopuav*. Idpropter legimus Sapientiæ XIV. etiam puniri eos, qui per falsos Deos pejerarunt. Eadem de causa veteres Theologi Arianos vocarunt idololatrias, quia adorarunt Christum, qui ex illorum opinione nuda erat creatura. Unde neque falsæ religionis, sed pro vera habitæ contemptus inultus est, sed qui in falsos suos Deos grassati fuere, sacrilegii poenas luisse leguntur. Cum Xerxes quatuor millia armatorum Delphos ad templum Apollinis diripiendum misisset, prorsus, quasi non cum Græcis tantum, sed & cum Diis immortalibus bellum gereret, illa manus tota imbribus & fulminibus de-

leta

leta est, ut intelligeret, quam nullæ essent adversus Deos hominum vires. Just. lib. 2. c. 12. add. l. 39. c. 3. Flor. l. 2. c. 2. Multa in hanc rem diligenter congesta vid. apud Jo. Himmelium Tract. de Canonicatu p. 184. usque ad p. 196. it. p. 285. seq.

§. 7. Non tamen existimandum est, hóc modó imponi hominibus peccandi necessitatem, ut nullâ ratione aliter agere, nec peccatum evitare queant. Nam primò illa necessitas non est absoluta, sed hypothetica, quæ contingentiam & agendi libertatem non tollit. 2. Evitari potest peccatum, quando id damus operam, ut error extuatur, quod fieri posse, ex eo apparet, quia error est vincibilis. 3. Neque absolute loquendo ullâ necessitas adest, quâ nos adstringamur, ut erroneam Conscientiam sequamur, cum potius teneamur errorem deponere, atque nulla esse potest obligatio ad faciendum illud, quod est illicitum. Quare si non obligat, neque ligat; à quacunque enim re me possum expedire, illâ propriè ligatus non sum. Egregium igitur bonitatis & prudentiæ documentum dant, qui agnitos errores ipsimet profitentur, eosdemque corrigere ac emendare allaborant. Quò laudis genere Augustinum in primis celebrat Ludóvicus Vives, & illum solum existimat in exemplum allegari posse, tanquam spontaneum errorum suorum præconem, nec quendam præterea repertum fuisse, qui singularem hunc atque inusitatum scribendi morem sit imitatus. Hoc encomium compararunt Augustino Retractionum libri, quos jam senio confectus eò scripsit consiliò, ut non tantum dicendi formulas incautiùs nonnunquam adhibitas mutaret, sed etiam doctrinas ipsas interpolaret, veras confirmaret, falsas & minus convenienter propositas rejiceret, confutaret ac aboleret. Enim verò nequaquam solus Augustinus est, cui hæc gloria tribuenda. Quod de Origene fertur, auctore Hieronymo, illum jam ætate admodum provecum epistolam scripsisse ad Fabianum, Romanæ urbis Episcopum, in qua testatus sit, pœnitere se multorum, quæ docuisset olim atque scripsisset, causamque temeritatis in Ambrosium retulerit, quod secreto edita, in publicum protulerit, aliis accuratius expendendum relinquimus. De Gregorio Nazianzeno manifestum est, imò ipse profiteatur, quod scripta sua *scrupulosius retractaverit*. Theodreti, eruditissimi Cyri Episcopi scriptis autoritatem & immortalitatem peperit subsequens emendatio. Neque B. D. Martinus Lutherus dissimulavit, quod agnitâ veritate coactus fuerit quædam suorum retractare, siquidem obtestatur lectores, ut *dignentur prudenter suos ejusmodi errores cavere*. Neque desunt nostræ ac superioris ætatis Philosophi, qui sententias suas mutarunt & retractarunt. Cum enim adeò multa in omni ferè scientiarum genere sint detecta, quæ veteribus ignota fuerunt vel omninò, vel non satis

cognita,

cognita, nonnunquam etiam falsis conjecturis & opinionibus erroneis corrupta; summæ nunc inscitæ pariter & arrogantæ foret argumentum, si quis tantâ esset ingenii confidentiâ, ut omnem retractandi laborem à se alienum existimaret, aut admonitus recusaret suscipere. Sed illi haud levem addunt improbitatem, qui errores, quibus vitam suam moraliter inquinaverunt, ex pertinacia corrigere detrectant. Quemadmodum enim laudi vertitur, in disciplinis mutare sententias, & antiquis amplecti meliores; ita pro summo reputandum est dedecore, inanis & falsæ constantiæ causa, vitæ, morum & consiliorum errores malle defendere, quàm profiteri & emendare. Prudenter tamen retractationis studium suscipiendum, & non minus cavendum est, ne, dum agnoscimus & rejicimus errores, in contrarios incidamus.

--- --- --- --- est genus unum

Stultitiæ, nihilum metuenda timentis: ut ignes,  
 Ut rupes, fluviosque in campo ob stare queratur:  
 Alterum & huic varium & nihilo sapientius, ignes  
 Per medios, fluviosque ruentis.

Horat. Serm. l. 2. sat. 3. Una veritas est, ad quam nos rectò itinere recta ratio perducit. Qui ab illo recedunt, & hujus dictamina audire detrectant, illi pariter aberrant, sive dextrorsum, sive sinistrorsum deflectant.

Horat. d. l. --- --- velut sylvis, ubi passim

Palantes error, certo de tramite pellit:  
 Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit: unus utrique  
 Error, sed variis illudit partibus.

§. 8. III. Si Conscientia erronea ex errore invincibili proficiscitur, non peccat in illam, qui secundum eam agit; peccat, qui contra eam agit, v. g. pecunia malè acquisita non est sacris dedicanda, quod si autem is, ad quem illa pecunia malè parta jure hereditatis pervenit, eandem sacris nuncupaturus esset, & adhibitâ omni diligentiam nesciret, pecuniam malè partam esse, peccaret, si à proposito desisteret, & promissam eleemosynam non exsolveret, quia ageret contra Conscientiam, quâ certus erat, eleemosynam, tanquam opus DEO gratum, non esse omittendum.

§. 9. Ubi tamen distinguendum est inter peccare vel non peccare absolute, & peccare vel non peccare contra Conscientiam. Ille, qui laborat Conscientiam erroneam, etiam ex errore invincibili, tamen si non peccet contra Conscientiam, si juxta eam agit, peccat tamen absolute, quoniam debebat legibus, non erroribus, agere conformiter. Quemadmodum enim ipse error in se malus est; ita etiam actio, quæ fit juxta errorem, bona esse non potest. Proinde is, qui egit juxta Conscientiam erroneam, etiam ex errore invincibili, aliter agere debebat, quàm egit.

Quam-

Quamvis enim Conscientia sit regula & norma nostrarum actionum, quam temerè negligere & rejicere non debemus; necesse tamen est, ut legibus sit conformis & penitus consentanea, quoniam omnem suam obligandi vim ab illis legibus habet, quarum interpret esse debet, atque easdem ritè applicare. Unde si Conscientiæ dictamen legibus adversum fuerit, manifestum est peccare illum, absolutè loquendo, qui juxta talem Conscientiam agit. Quamvis non peccet contra Conscientiam, quoniam ei conformiter egit, tanquam proximæ actionum suarum normæ & regulæ, & propterea, tametsi falsò, tamen certò persuasus erat, illud dictamen legibus conforme esse, & à se observari oportere.

§. 10. Ut hæc intelligantur meliùs, animo repetendum est, quod hominum actiones in triplici foro dijudicari soleant, Primò in foro Conscientiæ, ubi absolvitur, quisquis secundum dictamen Conscientiæ egerit. Deinde in foro civili nemo damnatur, nisi qui convictus fuerit, quod dolum adhibuerit, & illam quoque diligentiam, quæ in hominem mediocriter deliberatum cadit, omiserit, atque particularium ignorantiam malitiosè affectaverit. Demum in foro divino culpabile ac poenâ dignum censetur, quicquid ab æterna & immutabili lege aberrat. Tametsi ergò aliquis contra Conscientiam non peccet, in foro etiam civili absolvatur, nihilominus in foro divino condemnari potest. Unde manifestum est, admitti non posse, quod absolutè non peccet, qui non peccat contra Conscientiam, ex errore invincibili.

§. 11. Ass. IV. Si error vincibilis est de re indifferenti, non peccat, qui secundum Conscientiam agit; peccat, qui contra eam agit. Ratio est, quia talis Conscientia homini regulæ instar est, quam si observat, bene, si negligit, malè agit. Id propter Judæus quoties suillâ vescitur, Pontificius, quando carnem feriâ sextâ, vel quadragesimali tempore sine dispensatione comedit, peccat: si abstinet, neutiquam. Nam abstinere à re indifferenti licitum utique, at verò facere, quod per errorem credis esse prohibitum, aut in se malum, arguit animum perversum & in contemptum legis obfirmatum.



## CAPUT SEXTUM ET DECIMUM

De

## CONSCIENCIA DUBIA.

§. I.

**D**ubia Conscientia vocatur, quando intellectus anceps est, & neutri quæstionis parti assentitur, ignarus utrum operationem suscipiat, an verò suspendat. Etenim dum in neutram partem judicare potest, re ipsa profitetur, se nihil certi scire, neque statuerè posse, quid faciendum sit. Hujusmodi dubia casus Conscientiæ vocari solent. Oritur talis fluctuatio, vel quando quis tardiori est ingenio, vel quando alios doctiores consulere refugit, vel quando in utramque partem æquè speciosa suppetunt argumenta, quæ vel doctissimo negotium facessere possunt. Quicumq; verò dubiâ laborat Conscientiâ, & nihilominus progreditur ad actionem, quam bonam vel malam esse scit juxta cum ignarissimis, haud dubiè malè agit. Nam 1. talis, qui ita hæret, sciens & volens se exponit peccandi periculo, nec illud, quantum in se est, declinare annititur. 2. Quodammodo malum velle videtur, nam dum se accingit ad facinus, de quo bonum sit, an malum, nondum constat, utrumque quodammodo vult. Si enim malum simpliciter nollet, & modo debito evitare anniteretur, utiq; prorsus ab actione desisteret. Præclare Cicero 1. offic. *Quocirca bene præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum. Equitas enim lucet ipsa per se; dubitatio autem cogitationem significat injuriæ.* Add. Rach. Comment. ad h. l. p. 33. Unde Apostolus Rom. XIV. perinde loquitur de illis, qui dubitârunt, an cibi liciti sint, atque de illis, qui per errorem illos esse illicitos existimârunt. Quod nobis argumento esse potest, agentes cum Conscientia dubia peccare, quemadmodum peccant, qui contra erroneam agunt.

§. 2. Ut autem tollatur dubitatio, rectè fecerit, qui partem tutiorem elegerit, si sui juris est; qui altèri est subjectus, si id amplectatur, quod mandat superior. Satius etiam est, differre actionem, quàm dubiâ Conscientiâ agere, & se peccandi periculo exponere. Quod si verò de ipsa omissione oritur dubitatio, utrum non minus peccaminosa sit, quàm ipsa actio? Vel ea deprehendatur negotii indoles, ut differri nequeat, tunc sanè in eum locum conjicitur homo, ubi cum magna anxietate ipsi conflegendum est. Neque certius remedium sperari potest, quàm ut ipse omnes ingenii vires intendat, & rem ipsam accuratissimè excutiat, & simul doctorum hominum auctoritatem ac consilium adhibeat, & id operam det, ut dubiam in probabilem

babilem mutet Conscientiam, si certam nequit assequi. Ubi verò horum nil obtineri potest, ingenium non sufficit, consilia desunt, & necessitas agendi urget, tunc, quòd minus est inconveniens, agendum erit; id enim hoc casu rationem boni habet. Ubi neque hoc constaret, bonà fide agendum est, quòd nequit intermitteri. Cujusmodi casus inevitabiles inter humanas imbecillitates numerandi erunt, quales renato non imputari asseruit & demonstravit G. Calixtus Th. moral. p. 25, 33.

§. 3. Vanum est, quòd nonnulli docent, eum peccare, qui practicè dubitat, non autem illicò, qui theoreticè, cum possit aliquis theoreticè dubitare & practicè certus esse. Nam cum perpetuò judicium Conscientiæ practicum Theoretico respondeat, nemo potest esse practicè certus, nisi infimul certus sit theoreticè, v.g. qui dubitat in generali, an usuræ sint licitæ, ille utique etiam dubitare tenetur, an hæc vel illæ usuræ sint licitæ, modo has vel illas usuras sub veri nominis usuris contineri arbitretur. Similiter, qui dubitat, num concessum sit vesci suillâ, non potest non ambigere, num liceat hic & nunc vesci suillâ. Vid. Hornejus Ph. M. p. 333. Georg. Calixt. in Theol. moral. p. 33. & Dürrius in Inst. Eth. p. 111.

§. 4. Benè tamen hic distinguere videtur G. Calixtus inter dubium juris & dubium rei. Dubium juris vocat, quando de actione generatim dubitatur, an licita sit, nec ne? atque dicit, dubiò juris qui laborat, eum non posse non similiter cum dubiò proximè practico conflictari, ut adeò cum dubiò juris non magis actio recta esse possit, quàm cum dubiò proximè practico, cum hoc ex illo necessariò emergat. Quod si verò quis in ipso actionis exercitio ita esset dispositus, ut judicare intermittat, an hic & nunc licitum sit agere, (vid. B. J. C. Dürrius Inst. Eth. p. 2. l. 1. c. 3. §. 55. p. 109.) is præcipitanter & non satis deliberatè agere judicandus est, & incertum, an talis actio verè humana sit. Dubium rei appellat, cum de actione sive generatim sive particulariter sumpta non dubitatur, sed res quædam alia, cuò certo modo ad actionem pertinens, in controversiam venit. Per tale dubium rectitudo actionis non semper evertitur, v. g. dubitari potest, num bellum, quòd Rex aliquis gerit, legitimum sit & justum; & nihilominus à subdito, cui conflet, quòd licitum sit militare, rectè statui, quòd sibi hic & nunc licitum sit, manente priore dubiò: quia videlicet hoc non obstante, rectè judicat, suum esse regi militiam, imperanti parere, non esse autem, ut causas justitiamve belli examinet, aut penetret. Potest igitur hic & nunc formari judicium practicè practicum, quamvis de re quapiam ad actionem respectum habente, dubium maneat: nempe quando illud non tam ab ejus rei cognitione, quàm ab aliis proximioribus & certioribus principiis pendet.

Vid. Th. moral. p. 34.

Hh 2

CA-

# CAPUT SEPTIMUM ET DECIMUM

De

## CONSCIENTIA SCRUPULOSA.

### §. 1.

**S**crupulosa dicitur Conscientia, quando intellectus unam quidem contradictionis partem eligit, sed non sine angore ac metu. Fieri enim solet, ut aliquis rationibus & auctoritate inductus propendeat in aliquam sententiam, quæ satis certa ei videtur. Dum autem dubium, quantumvis leve, inane ac futile objicitur animo, cui satisfacere nequit, animi æger titubat & claudicat, non secus, ac pes, à spina impacta vel scrupulo in calceo latente.

§. 2. Oritur talis scrupulus vel è suggestionem Dæmonis, vel è iudicii imbecillitate, vel è consortio scrupulorum hominum, vel ex re ipsa & dubio circa eandem nato. Addunt nonnulli frigidam complexionem aptam ad fovendos scrupulos, quoniam frigus cordis dilatationem impedit, ne spiritus transmittantur ad gignendam animositatem & propulsandum metum. Huc pertinet Melancholia, quæ natura frigida putatur. Proveniunt etiam scrupuli ex debilitate capitis, læsione facultatis æstimatoriæ vel imaginariæ & similibus imbecillitatibus. Affliguntur nonnunquam homines scrupulis, ut confundatur illorum superbia, amor & nimia sui confidentia. Vid. J. A. Osland, in Mor. Theol.

§. 3. Est autem talis scrupulus vel rationalis & alicujus momenti, ut in eruditis; vel irrationalis, nullius momenti, è superstitione natus, ut in rudibus & plebejis. Ille, quia nititur probabili ratione, spernandus non est, sed ut doctrinæ & meliorum consiliorum subsidio evellatur, elaborandum erit. Hic verò contemnendus est, si peccandi animus non adfuerit. Sanum & salutare videtur, hinc non stare suo iudicio, sed aliis probis, doctis & prudentibus viris habere fidem, iis præsertim, à quibus regimur.

§. 4. Si verò scrupulus contrariâ ratione tolli non potest, siquidem nonnunquam consultatio & attentio scrupulum vel parit vel auget; tunc violentiâ & vehementiâ quâdam ejciendus est. Ubi neque hoc modò evelli & amoveri posset, contrariâ actione tentandus erit, quoniam talis scrupulus formido inanis est, nullo fundamento subnixâ, & obligandi vi destituitur; Conscientia verò agendi consuetudine contra hujusmodi scrupulos confirmatur, & ritè corroboratur.

**FINIS.**







Österreichische Nationalbibliothek



+Z160383002

